OMNIA OPERA

QUÆ VULGO EXSTANT SUB NOMINE

L. A. SENECÆ

PHILOSOPHICA

DECLAMATORIA ET TRAGICA

EXCUDEBAT DONDEY-DUPRÉ.

L. ANNÆI SENECÆ

PARS PRIMA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

QUÆ RECOGNOVIT

ET SELECTIS TUM J. LIPSII, GRONOVII, GRUTERI, B. RHENANI, RUHKOPFII, ALIORUMQUE COMMENTARIIS

TUM SUIS ILLUSTRAVIT NOTIS

M. N. BOUILLET

IN SANCTÆ BARBARÆ COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSOR

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

M DCCC XXVII

EDITORIS NOVI PRÆFATIO.

Quam hic inchoamus L. A. Senecæ editionem, illa in tres divisa partes, omnia quæ sub ipsius nomine circumferuntur opera, philosophica scilicet, declamatoria et tragica complectetur.

Nunc autem quum hæc prima pars philosophicos tantum libros contineat, in ea paulum immorabimur, cætera omittentes suo quæque loco repetenda. Nec ideo quidquam ibi de Nostro, immo nec de ipsa voluminis materia disserendum censuimus; quippe quia unicuique libro argumenta specialesve præfationes præmittuntur, quibus cuncta quæ ad illum pertinebant exponere curavimus. Itaque monenda supersunt pauca de totius hujus editionis tenore, et de ordine quem, tum in disponendis, tum in illustrandis nostri philosophi operibus, sequi constitutum fuit.

Primum omnium eligenda erat aliqua Senecæ editio quam plurimis approbata, qua potissimum duce, hac in recognitione, uteremur. Nulla autem huic proposito magis idonea nobis visa est, quam ea quam Lipsiæ, *Fr. Ern. Ruhkopf*, director gymnasii Bielfeldensis, in lucem edidit; nulla enim purioremve textum, melioresve notas præbet. Quæ quidem editio philosophica Senecæ opera quinque continet voluminibus, quæ diversis et maxime distantibus temporibus publicata sunt; namque editor, veritus forte ne quid nimia festinatione peccaret; Ho-

ratiique præcepto, *nonum prematur in annum*, fere ad literam obsecutus, postquam primum volumen anno 1797 typis mandavisset, sequentia annis 1800, 1805, 1808, 1811 protulit. Immo sextum idque ultimum volumen nondum in lucem prodiit post sexdecim et amplius annos; quod volumen ut nobis in manibus habere contingeret multum exoptavimus, quippe quo multæ novæ lectiones, ex novis MSS. excerptæ, exhibebuntur.

Germani editoris et textum et notas argumentaque fere ubique servavimus, nihil in eis mutantes, nisi quum ita obscuro et germanico magis quam latino sermone expressa viderentur, ut Gallico lectori vix intelligenda putaremus; his additæ sunt tum J. Lipsii, Gronovii, B. Rhenani, Fromondi aliorumque veterum commentatorum notæ, quarum multæ a Ruhkopfio perperam neglectæ fuerant; tum nostratis *Lagrange* lucidæ interpretationes, quotiescumque aliquid opis ex iis obtinendum erat. In Epistolis et Quæstionibus Naturalibus, non parvi nobis auxilii fuerunt edd. quas priorum *Jo. Schweighæuser* (Argentorati, 1809), posteriorum *Kæler* (Gottingæ, 1817) dederunt. Denique, si quid post illas tot et tantorum virorum doctas elucubrationes agendum superesset, nos, pro virili saltem parte, hoc tentavimus, aliquas notulas inserendo, sive circa philosophicas opiniones, sive circa hominum locorumve nomina, de quibus multa colligendi nobis copia fuit, quum *Dictionarium ad vetera tempora, tum sacra, tum profana, illustranda* nuper editum conscriberemus[1].

Quum omnes notæ hinc et illinc decerptæ in unum quasi fascem colligerentur, ita ut ex multis effingeretur

[1] *Dictionnaire classique de l'Antiquité, sacrée et profane*, etc., avec des Tables d'évaluation des poids, monnaies, mesures, etc, 2 vol. in-8°, 1826.

unica, parum utile visum est unicuique notæ nomen auctoris subjungere, nisi quum inter se pugnarent diversæ interpretationes, lectionesve, et nos aliquid novi proponeremus.

Præterea ne quid deesset ad perfecte intelligenda et recte æstimanda judicandaque nostri philosophi opera, Moralibus libris *Manuductionem ad Stoicam Philosophiam*; Physicis, Naturalibus nempe Quæstionibus, *Physiologiam Stoicorum* præmisimus; quæ scripta libris L. A. Senecæ illustrandis princeps et dux commentatorum, Justus Lipsius consecravit [1]. Quæ quidem, quantumvis utilia, immo necessaria nobis viderentur, huic editioni adjungere diu dubitavimus, veriti ne voluminum moles ultra modum excresceret; quum vero in locis commentarii pæne omnibus horum scriptorum auctoritas perpetuo invocetur, et ad illa remittatur lector, ex quibus ampliorem hauriat intelligentiam; non fieri poterat quin hic insererentur: paucissimi enim lectores totam J. Lipsii operum collectionem, cujus pars sunt, comparare et perpetuo pervolvere aut potuissent, aut voluissent. Attamen, ut tomi hujus molem quam minime augeremus, plurima omisimus capita quæ ad nostrum propositum minus faciebant. Denique clarissimi viri *D. Diderot* testimonium et judi-

[1] Præter hæc duo scripta Lipsius tertium, nempe *de Stoicorum Ethicis* pangere constituerat, de quo sic ipse in *Introductione lectoris* quam suo Senecæ præmisit: « Profudi quidquid opus erat (ad Philosophica illustranda) in tribus *Manuductionis*, totidem *Physiologiæ* libris; totidem *Ethicorum* restant, si Deus expolire et consummare dabit. » Quos libros ne consummaret, sane mors obstitit; nullibi enim in Lipsii operum Collectione occurrunt. Nec satis lugere possumus, hos a tanto viro perfectos, aut saltem, utut erant, editos non fuisse. Illorum tamen vicem explebunt, quatenus fieri potest, tum multa alia de Stoicorum morali doctrina, tum præsertim *Buddæi introductio in philosophiam stoicam* (Lipsiæ, 1729), et *Teidemannii systema stoicæ phil.* (Germanice script., Lips. 1776), sæpissime in nostris notis citatum.

cium, ex ejus libro : *Essai sur les règnes de Claude et de Néron, et sur les mœurs et les écrits de Sénèque, pour servir d'introduction à la lecture de ce philosophe*, ad uniuscujusque libri calcem caute ac prudenter exscribendum curavimus.

Quum vero, Ruhkopfii editione inprimis usi fuerimus, tanquam hujusce nostræ fundamento, hic nonnulla ex illius præfationibus inseremus, unde ab ipso docebimur quibus auxiliis adjutus fuerit.

Ex primi voluminis præfatione.

« Agebatur de repetendis Senecæ philosophi Operibus, ita ut primum textus, quem vocant, subsidiis criticis tum iis, quæ potissimum a Grutero, Lipsio et Gronovio allata sunt, tum iis, quæ forte in libris criticis laterent, sedulo adhibitis, emendatior evaderet ; nam sic eum constituere velle, quasi nunc primum in vulgus edendus sit, neque opes nostræ, neque consilium sinebant ; quapropter non recensionem, sed recognitionem promittimus : deinde ut interpretatione accurata difficultates e sermone, philosophia stoica, etc., ortæ tollerentur ; verbo, ut usibus eorum inprimis inserviretur, quibus quamvis literarum bonarum haudquaquam imperitis, notitiæ tamen eæ, quæ ad probe intelligendum auctorem faciant, non statim succurrant legentibus præstove sint. Adjicienda proinde erant brevia et apta monita tum critica, tum exegetica, quæ vocant, velut scholia, quæ tamen notationibus fontium, tamquam argumentis et causis suis, destituta esse nolebam, ut si forte essent lectores, qui in explicatione breviore, quam apposuissem, non acquiescendum sibi putarent, ubi declaratio quæri posset uberior harum rerum, satis larga adesset opportunitas....

» Præter subsidia, quæ modo memoravi, uti mihi contigit, in prima lib. I de Clementia parte, collatione Codicis Bibliothecæ Amplonianæ ad Portam Cœli, Erfurtensis, a Viro doctiss. et mihi per plures annos amicissimo Matthiæ, Profess. dirig. Gymnasii Leiningo-Grünstadiensis diligentissime confecta et mecum communicata. Codex ille membranaceus, seculi XII ut videtur, necdum ab ullo editorum usurpatus, scriptus est literis minusculis solitariis, s. minutis, non cursivis. Literæ majusculæ initio periodorum sunt partim capitales, partim (et plurimæ) unciales. Constat 110 foliis s. potius 219 pp. form. quat. Continentur eo Epistolæ Senecæ LII priores: de Clementia I, cap. 1-18 incl.: Epistolæ Pauli Apostoli ad Senecam: tandem Epitaphium et excerpta. Sedulo et cum cura scriptus est. Ab alia manu adscripta leguntur: *H. dei gra Rex Anglie dns Hyberny | dux Normany et Aquitany Comes Andeg | D: lto in Xpo Fratri Vlrico.* Hanc codicis descriptionem amico laudato debeo, qui et e literarum forma et e verbis adscriptis colligit, esse fœtum seculi XII. Lectiones sane non contemnendas continet. Majorem tamen messem e libris criticis nacturum sperans (quandoquidem per centum annos et quod excurrit, post Jo. Frid. Gronovium præterlapsos, multos viros doctos sciebam Senecæ operam suam navasse), multum temporis iis evolvendis et excutiendis insumsi, suppetias mihi afferente Juvene humaniss. J. G. Brandesio, Hamburgensi, qui literarum bonarum causa tum Gottingæ commorabatur. Enimvero parum auxilii mihi attulerunt. Nam si a Viris, dum in vivis essent, doctissimis et ingeniosissimis, J. M. Heusingero, et Trillero, altero Isenacensis Gymnasii directore, altero Profess. Vitebergens., discesseris, vix unum alterumve

deprehendi, qui operam suam criticam cum cura et successu in hisce operibus emendandis posuisset. In quorum emendationibus adhibendis hoc sequutus sum consilium, ut bona, quæ attulissent, vel in textum immitterem, vel in margine subnotarem, judicio meo qualicunque apposito, alia prorsus silentio transmitterem, alia quamvis rejicula speciminis loco allinerem. Præter editiones jam laudatas contendi quoque Basileensem ap. Jo. Hervagium Desid. Erasmi, quæ emendatior prodiit MDXXXVII. fol., qua Gronovius non usus est, quippe qui multo priorem anni MDXV contendit. Nonnullis locis manifesto corruptis medelam alias frustra quæsitam, dummodo levi ductu fieri id posset, conjectando adhibendam malui, quam lectionem salebrosam relinquere; in margine tamen lectione, quam ejeci, subnotata, causaque mutationis adjuncta. Modeste quidem hac libertate editoris, de qua nondum lis ad liquidum deducta esse videtur, usus sum. Inprimis vero interpunctionem, quam editori magis liberam esse, potissimum in Seneca, constat, ita temperavi, ut non solum lectio commodior et utilior reddita esse, sed ipse quoque auctor plus semel erroris crimine, quo premebatur, absolutus videatur.

» Quod in enarratione Philosophi virorum laude mea majorum, qui ante me Senecam expoliverunt, inprimis Lipsii et Gronovii vestigiis insistere, et eorum doctrina atque acumine uti placuit, id vero nulla mihi excusatione opus esse videtur. Etenim tantum absum, ut virorum vere clarorum merita de Seneca parvi faciam, aut de fama eorum detraham, quippe quibus ex inferis nulla refellendi et coarguendi obtrectatores conceditur opportunitas, ut nihil antiquius et sanctius habeam studio, reliquias eorum doctas, a veritate tamen et utilitate

commendatas, quamvis tenuiores interim ad nostrorum temporum lucem, sedulo colligendi, et prout consilii mei rationibus conveniret, cum meis apte conjungendi : quominus et hac immortalitatis humanæ parte, ut vel nomine nostro non commemorato facta dictave nostra bona æternentur, spoliati vel oblivione sepeliantur, vel invidia obruantur. Attamen sæpissime eos quoque honoris causa nominavi, a quibus me in enarrando Philosopho adjutum intellexeram. Auxilio eorum in argumentis conficiendis propter easdem rationes usus sum, inprimis Lipsii. Adjeci deinde iis adumbrationem quamdam literaturæ fontiumve, unde vel occasionem scribendi, vel unum alterumve ex locis pertractatis, hausisse videri potest Seneca. In qua tamen non id agendum esse putavi, ut materia velut cum pulvisculo conversa, copiam et ubertatem affectarem, sed nonnisi strictim appositis præcipuis, quæ ejusdem argumenti usque ad Senecam nobis innotuerunt, vestigia atque lineamenta ostenderem, quæ, si cui vacet, utiliter contendere, atque adeo proferre et exornare licebit. Nam me non latet, multa addi adhuc posse : ut, ad Consolationes vel e Cicerone, ad quem præclara illa epistola Serv. Sulpicii exstat, ad Div. IV, 5 : ad librum de Vita beata libri ejusdem inscriptionis Augustini, Ambrosii, Lactantii : quamquam hæc additamenta ad tempora post Senecam spectant, ideoque a nostro consilio aliena sunt.

» Haud paulo minorem commoditatem iis, qui Seneca vel legendo vel laudando uti velint, primus attulisse mihi videor, textu distinctionibus quas paragraphos vocant, margini appositis, consignato. »

(Scribebat, Idibus April. 1797.)

His pauca subjiciemus ex præfatione IV vol. (quo libri

de Beneficiis, Epigrammata super exsilio et Ludus de morte Claudii Cæsaris continentur), in qua exponit quæ et quomodo nova et insperata sibi occurrerint auxilia.

« Quum Fesslerus Vir S. V., de patriis literis expoliendis ornandisque et de philosophia excolenda meritissimus, decennio ultimo sæculi præterlapsi consilium Senecæ philosophi operum, quæ restant, omnium critice edendorum et observationibus cum aliorum tum suis illustrandorum prudenter iniisset, et vero probe intellexisset, multos adhuc codices manuscriptos in bibliothecis latere nondum collatos; nihil antiquius potiusque habuit, quam ut subsidia sibi illa conciliaret, nullis parcens impensis laboribusque, nomen suum et auxilium libenter cum eo communicante Kornio, librario Wratislav. honestissimo. Nec bonus eventus votis defuit : nam præclaram Lectionum variantium sibi comparavit copiam e codicibus manuscriptis nondum a criticis ad Senecæ opera pleraque emendatius præstanda admotis, qui in Ambrosiana bibliotheca quæ Mediolani est, Vindobonæ, Argentorati, Bernæ, Altdorfii, Erfordiæ, Helmstadii, Erlangæ et Guelferbyti asservantur. Moliebatur autem hæc Vir egregius eo ipso fere tempore, quo nostra editio parari et in lucem prodire cœpit.

» Nemo non facile intelliget, vel me non profitente, quam sæpe his proximis quatuor voluminibus (quibus continentur omnia Senecæ opera, præter Quæstiones Naturales) profligandis occupatus et interdum haud parum vexatus optaverim, ut, quamvis Recognitionem non Recensionem textus quem vocant paranti, mihi tamen tam felici esse liceret, ut subsidia isthæc Viri S. V. egregia vel leviter inspicere, ubi copiæ meæ tacerent, identidem possem. Sed quandoquidem hac fortuna uti non licuit,

strenue telam quo consilio exorsus eram detexere perrexi, quum, hoc volumine tantum non toto confecto, ecce, nec opinato, literæ a Librariæ, quam modo cum laude meritissima nominavi, præfectis honestissimis mitterentur, sibi adeoque mihi nunciantes concessum iri, nisi aliud suaderem, libertatem plenissimam ista subsidia a Viro præstantissimo summo labore et egregia cura collecta ita in usum nostrum convertendi, ut omnium quæ hactenus sæpe nuncupavissem votorum compos fierem. Quo quantoque gaudio tum perfusus sim, quot quantasque gratias tum his præfectis honestissimis egerim, dicere nihil attinet. Quid multa? Præfecti Librariæ Weidmannianæ emerunt illa subsidia mihique submiserunt, quorum uberiorem descriptionem Volumini sexto et ei ultimo Operum Senecæ Philosophi destinavi, adjunctis tum corrigendis et emendandis, tum indicibus.

» Sed ne in illo quidem thesauro sumtibus suis acquirendo operæ et studio suo in Senecæ quæ restant opera philosophica modum fieri voluit Librariæ præfectura. Etenim quum e literis Fessleri S. V. rescivisset, ejus amicos Romanos et Florentinos id operis imponi sibi passos esse, honorarii, quod vocant, parte haud spernenda jam accepta, ut codd. mss. Opp. Senecæ, qui Romæ et Florentiæ asserventur, accurate contendendis in meritorum de Senecæ Opp. emendatius edendis societatem venirent, quorum alter, Abbas *Santolonius*, collatis nonnullis codd. mss. epistolas Senecæ complectentibus et custodia Bibliothecæ vaticanæ deposita Romaque relicta, fasciculum Lectionum istarum variantium amico cuidam Romano commiserit, alter, *Bandinius*, Bibliothecæ Florentinæ custos meritissimus, relicto haud dubie etiam fasciculo Lectionum variantium e codd. mss. Opp. Senecæ

excerptarum, in vivis esse desierit; tantopere amore Senecæ emendatius promendi ideoque cum horum subsidiorum, tum si quæ alibi delitescant, recuperandorum flagrat, ut omni in id opera insumta quum maxime id agat, ut votorum nostrorum damnemur. Accedit, quod etiam *Heynius* V. Ill., quem præceptorem olim meum dilectissimum parentis loco carissimi veneror, literis a me compellatus, studium et operam inceptis hisce nostris promovendis promittere dignatus sit.

» Ita rebus prospere et ad voluntatem nostram fluentibus inopinato in spem pergratam adductus sum fore, ut hanc Senecæ Opp. editionem hisce decoribus ornatam et squalore qui a librariis antiquis additus est, liberatam opera mea qualicunque, isti emendationis statui reddere coner, qualis et egregio horum Operum auctore, et luce temporum qua gaudemus, dignus sit. Præstitisset forsan, ab initio operæ meæ his subsidiis instructum esse, sed quum ea fieri non potuerint, hoc Catone contentum esse oportet. Satius proinde esse duxerim, ut omnem hanc collectionem, cujus augendæ spem foveo, in sextum volumen conjiciam, ita tamen, ut interdum in Naturalibus Senecæ Quæstionibus recognoscendis ea uti liceat: qua libertate etiam usus fuissem in Epigrammatibus Senecæ tribui solitis et in Ludo de morte Claudii, nisi fasciculis Fessleri Lectiones variantes ad hos libellos spectantes deessent. »

(Scribebat anno 1808.)

Nunc de ordine quem in libris disponendis nos secuti sumus. Quorum dispositio quum fere in quaque editione varietur (nil enim de ætate qua plerique conscripti sunt constat), nos illa præcedentium editorum libertate usi, aliquas mutationes tentavimus. Temporum seriem, qua-

tenus nosci poterat, servavimus, ita tamen ut libros inter quos aliqua materiæ similitudo intererat, non alios ab aliis sejungeremus.

Itaque I volumini post Senecæ vitam, post varia veterum auctorum de ipso judicia, et J. Lipsii *Manuductionem*, quæ vere in omnem Stoicam philosophiam quasi manu Lectorem introducit, tractatus de variis virtutibus, aut vitiis, *de Ira*, *de Clementia*, *de Tranquillitate animi*, *de Constantia Sapientis*, *de Otio*, *de Brevitate vitæ*, *de Vita beata* hoc ordine assignavimus; a libris *de Ira* incipientes quos primos omnium, Caligula adhuc vivo, scriptos esse satis constat.

II vol. destinavimus varios de Consolatione libros, iis præmittentes opusculum *de Providentia*, sive *quare bonis viris mala accidant*, quod est quasi introductio ad Consolatorios libros. Duas *ad Helviam* et *ad Marciam Consolationes* alteram alteri apposuimus; quippe quibus eadem fere materia tractatur: nec *Ludum de morte Claudii Cæsaris* a *Consolatione ad Polybium*, cujus est tanquam Palinodia, sejungendum esse voluimus. Denique post illa moralia opera *libros de Beneficiis* collocandos curavimus; cuncti enim scriptores in hoc consentiunt eos omnium ultimos scriptos esse, Seneca jam sene.

III et IV vol. implebunt *Epistolæ morales*, quas diversis sane temporibus, sed præsertim senili ætate, philosophus noster scripsisse videtur; his subjiciemus *Commercium litterarum Senecæ et divi apostoli Pauli*, quod etiamsi supposititium videatur, hoc utile et multis gratum erit quod miras similitudines tum sententiarum, tum etiam verborum Christianos inter et Stoicos præbeat.

V vol. continebit *Quæstiones naturales*, ab omnibus aliis libris prorsus diversum et *sui generis* opus, quod

mnes editores a Moralibus libris seposuerunt; huic præmittetur Introductio, quam ad hunc librum Justus Lipsius scripsit hoc titulo : *Physiologia Stoicorum.*

VI autem vol. colliget *Fragmenta*, tum jamdudum nota, tum recens inventa et edita Romæ a B. C. Niebuhrio C. F.; *Epigrammata super exsilio;* novas lectiones, si quæ forte ex novis MSS. supra descriptis occurrant; recentiorum auctorum de Seneca judicia; notitiam literariam; amplos denique indices.

Quæ sex volumina, juvante Deo, quamproxime conficienda esse speramus; nostrum enim Senecam typis mandare non antea voluimus, quam omnia sub manu comparata forent, quæ ad hanc cito et diligenter absolvendam Editionem necessaria videbantur.

Audiamus nunc magnum Lipsium de vita et scriptis L. A. Senecæ gnaviter et copiose disserentem, atque nos ad Stoicæ Philosophiæ templum certo itinere deducentem.

DE

VITA ET SCRIPTIS

L. ANNÆI SENECÆ.

CAPUT I.

De patria, et parentibus.

VIRORUM illustrium vitam prodere, vetus institutum est : et quorum ingenia, scripta, aut facta miramur, juvat alia nosse, quæ adhæserunt. De Seneca igitur, quatenus potest, dicam : et colligam ac disponam, ex ipso et variis scriptoribus, quod huc facit. Patriam ei Cordubam fuisse constat, veterem florentemque in Hispania Bætica coloniam : atque adeo in iis regionibus primam. Strabo aperte : « Plurimum inter Hispaniæ Bæticæ urbes Corduba aucta est, Marcelli opus gloria et potentia : itemque Gaditana urbs. Hæc quidem ob navigationes, et Romanorum societates ; illa vero, ob regionis bonitatem, et amplitudinem, Bæti etiam fluvio multum huc conferente. » (Lib. III.) Laudat, et simul veterem ostendit « Marcelli opus. » (Lib XLIII.) Cujus ? prætoris, an consulis ? nam prætor Hispaniam obtinuit M. Marcellus, ex Livio, anno urbis DLXXXV, etsi in pace et otio, ut videtur ; eoque magis inclinem, coloniam ab hoc deductam, fortasse et oppidum auctum ornatumque. Neque enim novum plane conditum, vel Silius dixerit, qui jam tempore Annibalis Cordubam nominavit. Ad illum igitur magis, quam ad consulem Marcellum retulerim, qui anno DCI Hispaniæ præfuit, sed *citeriori*, ut est in Epitome, et ex Appiano colligas : atque ibi re feliciter gesta, triumphavit de Celtiberis. Itaque nihil ei tunc fuit cum Bætica, aut Corduba nostra, quæ est in Hispania ulteriore. Addit porro amplius Strabo : « Habitarunt hanc Cordubam ab initio selecti Romanorum, et indige-

narum : atque adeo primam hanc in ea loca coloniam miserunt Romani. » Nota, de *Selectis*. Ita enim fuit : eoque obtinuisse postea credam, ut *colonia patricia* diceretur. Plinius aperte : « Corduba, colonia patricia cognominata. » (Lib. III, c. 1.) Et in Augusti nummis, PERMISSU. CÆSARIS. AUGUSTI. caput ejus : tum parte altera, COLONIA. PATRICIA. Cui titulo causam dedisse arbitror, quod splendida et dives, patres ac senatores etiam rei Romanæ daret. Nam jam Augusti ævo, ex provinciis passim in senatum legebantur. Sed ait et Strabo, *primam coloniam eo missam :* quod caute lege. Nam Carteia, in eadem Bætica, jam ante colonia deducta, a L. Canuleio prætore : sed quia ex parum honestis, *Libertinorum* appellata fuit. Leges in Livio, initio libri XLIII. Tueri tamen Strabonem possis, fortasse et debeas : quod non missi coloni illi Roma aut ex Italia, sed ibi nati ex militibus Romanis et fæminis Hispanis, permittente Senatu, hybridæ isti libertate donati sint, et in colonia collocati. At Strabo *missam primam* diserte scripsit. Satis de Corduba : atque hæc patria fuit.

Qui parentes? E gente *Annæa* fuisse liquet : cui, ominis causa, ab annis videtur nomen factum : respondetque cognomen *Senecæ*, item ominis boni. Ita enim ego opinor primo inditum : etsi Isidorus, « eum qui primus ita dictus sit, canum fuisse natum », arbitretur. Sane *Seneca*, vel ut veteres, *Senica* (est enim a *Sene*, *Senicis*) γερόντιον significat, ut *Senecio*. Videatur Nonius, in *Senica*. Addo, quod in alia etiam gente reperio hoc cognomen, ut in *Accia*, lapide prisco : « M. Accio. Seneca.... Manlio Planta II vir. Quinq. » Sitne autem stirpis Hispanæ gens Annæa, an in coloniam ex Italia missa, haud adfirmem : illud tantum, equestrem etiam fuisse. Ita Seneca ipse de se, apud Tacitum : « Egone equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles, et longa decora præferentes, novitas mea enituit? » (Lib. XIV.) Pater igitur, fortasse et avus, inter equites : neque ultra. Nam de *Novitate* sua mox subjungit, non facturus, si qui majorum ad honores pervenissent. Pater autem a se scriptisque suis etiam notus, *L. Annæus Seneca*, quem *Declamatoris* agnomine (in hoc genere excelluit) a filio fere distinguunt. Exstant non ipsius, sed alienæ ab eo digestæ

Declamationes : quas præloquiis, aut interloquiis distinxit : et vel sic come atque amœnum ingenium suum satis ostendit. Uxorem habuit *Elbiam* aut *Helviam*, item Hispanam aut Hispaniensem, magni animi atque ingenii fæminam, ut filius eam (in Consolatione ad ipsam) satis descripsit. Pater, Augusti temporibus, Romam venit; et secuta mox uxor cum liberis, cumque ipso hoc Seneca nostro, adhuc tenello. Diu ibi in gratia et fama vixit, rem fecit : et ad ultima Tiberii censeo ætatem produxisse. Inducit me, quod Sejanianæ conjurationis mentio est in ejus libris, et alia quæ huc spectant. Omitto, et ad filium transeo, de quo proposui.

CAPUT II.

De ipso L. Annæo Seneca, ejusque fratribus : ubi natus, et quando Romam delatus.

Is natus Cordubæ, et puer inde Romam translatus : quod ita indicat ipse, ubi materteram laudat : « Illius manibus in urbem perlatus sum ; illius pio maternoque nutricio, per longum tempus æger, convalui. » (Consol. ad Helv. cap. 17.) Si manibus perlatus, puerili in ætate oportet fuisse : et vides languisse tunc etiam, et opera curaque ejusdem focillatum. Hoc ego evenisse colligo decimo quinto, aut circiter anno, ante Augusti excessum ; argumento ab adolescentia Senecæ in Tiberii ævo, mox dicendo. Ergo nec pater diu ante Romam migrarit. Fratres duos habuit, neque ullas sorores; ex verbis ejus ad matrem : « Carissimum virum, ex quo trium liberorum mater eras, extulisti. » (Ad Helv. cap. 2.) Hi tres autem, M. Annæus Novatus, L. Annæus Seneca, L. Annæus Mela fuerunt ; nati ordine, quo recitavi. Hoc ex Controversiarum inscriptionibus liquet, ubi sic, etsi cognominibus solis, recensentur. Maximus autem fratrum nomen mox mutavit, et in Junii Gallionis transiit, ab eo adoptatus. Qui Gallio Senecæ patri in Declamationibus aliquoties nominatur, et Noster ei dicitur : sive a communi patria, Hispania; sive ab amicitia, quæ cum eo fuit. An et necessitudo aut cognatio? nescio, suspicor tamen ob hanc adoptionem. Est autem ille Gallio, qui *Pater* Quinctiliano agnominatur, itemque Tacito, sexto Annalium. Noster autem iste

adoptivus in Eusebiano Chronico, « Junius Annæus (malim *Annæanus*) Gallio, frater Senecæ, et egregius declamator », dicitur : an duplici illo gentis nomine (quod tamen veteribus rarum, imo non fuit) ut notet in quam adoptione ivit, et in qua natura fuit? Apparet, si recta est nomenclatura aut scriptura. Est ille, ad quem libros De Ira noster scripsit et misit, quem in iis *Novatum* appellat : at eumdem, in scriptione De Vita Beata, *Gallionem fratrem;* itemque in Epistolis, *Dominum suum Gallionem;* honeste, ut fratrem scilicet seniorem. Sed observa igitur, non adoptatum videri, quo tempore libri De Ira scripti, id est Caio vivo : postea denique, et tunc cognomen mutasse. At frater minimus, Annæus Mela est, Tacito, Dioni, et Eusebio nominatus, qui eques tantum Romanus (nam prior ille Senator fuit) Lucanum filium genuit, « grande adjumentum (ait Tacitus) claritudinis. » Atque hi igitur tres fratres, de quibus Martialis capiendus :

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Doctum vocat, illum Declamatorem : triplicem domum, tres filios familiasque dictas.

CAPUT III.

Adolescentia ejus, præceptores, et studia.

Puer igitur Romam venit, atque ibi, in optimis artibus, optimum ingenium adolevit. « Adolescentia ejus in Tiberii principatum incidit, » ut ipse fatetur. (Epist. CVIII) : idque eo tempore, quo « aliena sacra movebantur. » Is fuit annus Tiberii quintus, urbis conditæ DCCLXXII : quod ex Tacito est manifestum, qui « sacra Ægyptiaca et Judaica pulsa » eo anno scribit. (Lib. II, Annal. in fine.) Itaque Seneca tunc plenam adolescentiam egerit, viginti aut viginti duorum annorum. Nam ætatem grandiusculam sub ipso Augusto habuisse, ex eo liquet, quod cometam, sive flammam ante excessum ejus observaverit, de quo prodit : « Vidimus ante Divi Augusti excessum simile prodigium » (Quæst. N. I, cap. I) : nec plane pueris talia curiose adnotentur. Præceptorem in eloquentia habuit ipsum patrem, opinor : atque id Controversiarum libri et præfationes dicunt.

Cur autem non optimus senex, qui alios ducebat et docebat, suos in hac via dirigeret? Fecit, et duos egregie disertos reliquit, Gallionem et nostrum : nam de Mela tale nihil legi. Ille est Gallio, quem a suavitate eloquii Statius commendat :

> Hoc plus, quam Senecam dedisse terris,
> Et dulcem generasse Gallionem.

Sonante et tinniente quadam eloquentia fuisse, auctor libelli De Causis corruptæ eloquentiæ ostendit : qui commemorat, *tinnitus Gallionis :* si tamen hujus, non patris. At noster, præter eloquentiam, philosophiæ magno impetu se dedit, et Virtus elegantissimum ingenium rapuit, etsi patre renitente. Ipse non semel ostendit, aversum eum a philosophia fuisse, uxorem et se avertisse : imo odisse, palam alibi scribit. Ardor tamen filii vicit, et insignes ac serios ejus ævi philosophos assiduus audivit : nominatim, Attalum Stoicum, Sotionem ejusdem sectæ, etsi Pythagorissare etiam visus, itemque Papirium Fabianum : quos et nominat identidem, ac grata memoria laudat. Sotioni quidem puer etiam operam dedit, scribitque : « Modo apud Sotionem puer sedi. » (Epist. XLIX.) Sed et Demetrium Cynicum admiratus est, et coluit : sæpe cum eo item grandior et jam in aula, domi forisque versatus. Nam et in via ac peregrinatione habebat. Iste ad honesta impetus : sed pater tamen fregit, et foro ac causis interim mancipavit. (Vide Epistol. XLIX.) Quas diu actitasse eum apparet, et Caii etiam temporibus, magna eloquii gratia et fama. Sane scripta ulla Philosophica ante id ævi non exstant.

CAPUT IV.

Honores, et civilis vita.

Atque idem pater latum clavum sumere etiam suasit, honorum candidatum. Itaque quæsturam primo gessit, in qua adipiscenda suffragium materteræ suæ agnoscit. « Illa, inquit, pro quæstura mea gratiam suam extendit, et quæ ne sermonis quidem, aut claræ salutationis, sustinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam. » (Consol. ad Helv. cap. 17.)

Quid fœminæ hæc fuerit, et quo marito, in notis meis ibi disces. Sed quando quæsturam gesserit, haud liquido scio : ætas non abnuit, ut sub Tiberio : potuit et sub Caio, neque libet definire. Illud magis, præturam statim ab exsilio gessisse, Agrippina faciente. Ita enim Tacitus : « Agrippina veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul præturam impetrat (a marito), lætum in publicum rata, ob claritudinem studiorum ejus, utque Domitii pueritia tali magistro adolesceret, et consiliis ejusdem ad spem dominationis uteretur. » (XII Annal.) Vides, prætorem statim designatum, et laudes dotesque, quas Tacitus candide adjungit. Vulgi benivolentia eo facto conciliabatur ; quia jam vulgo in ore et gratia Seneca, *ob claritudinem studiorum ;* denique *tali* et tanto *magistro* volebat Domitium suum crescere ; itemque *consiliis ejus* (nota civilem prudentiam) ad parandum principatum, sed et regendum, niti. Ergo prætor anno urbis DCCCII fuit : numquid postea et consul ? Affirmant libri legum, ad SC. Trebellianum ; ut Ulpianus : « Temporibus Neronis, octavo Kalend. Septembres, Annæo Seneca et Trebellio Maximo Coss. factum est Senatus-consultum. » Idem in Justiniani II Institutionum scriptum. Qui autem fastos nobis concinnarunt, faciunt hos consules suffectos (nam ordinarii non fuerunt) anno urbis DCCCXV : quod esset, anno et paucis mensibus ante Senecæ mortem. Aliquis de tota re dubitet fortasse ; quia Ausonius, Gratiarum actione palam : « Dives Seneca, nec tamen consul : » itemque nec ipse Seneca meminit usquam hujus honoris, etsi epistolas plerasque tunc scripsit. Respondeo : de Ausonio, intelligendum Ordinarium consulatum videri : de ipso nostro, silentium non esse negationem. Sed hoc etiam addo, non videri bene digessisse Fastorum concinnatores : neque illo anno profecto fuit. Nam ecce statim initio anni, Tacitus memorat (Annal. XIV) refrigeratam ejus apud Neronem gratiam, et calumniatores varie vellicasse : atque ipsum animosa oratione principem accessisse, commeatum petentem, et opes suas refundentem. Non admisit quidem Nero : sed tamen Seneca ab eo tempore (addit Cornelius) « Instituta prioris potentiæ commutat, prohibet cœtus salutantium, vitat comitantes, rarus

per urbem, quasi valetudine infensa, aut sapientiæ studiis domi attineretur. » Hæc non sunt pro novo consule, aut etiam candidato : et mors ejus non diu post secuta vetat assentiri. Quid tamen movit viros doctos sic suspicari? Quod Tacitus illo anno SC. factum scribit, « ne simulata adoptio in ullâ parte muneris publici juvaret, ac ne usurpandis quidem hereditatibus prodesset. » Sed profecto nihil hoc ad Trebellianum illud : alio spectat, si quis priora etiam illa in Tacito legit. Itaque fuisse equidem consulem consentio, sed alio et priore tempore : nec certo designem. At perpetuus ille ejus honos, principis doctorem moderatoremque fuisse : optimi sane, quamdiu hujus consiliis monitisque se dedit. Tacitus non celat, et duos nominat, quibus utiliter princeps se permisit. « Ibatur in cædes nisi Afranius Burrus, et Annæus Seneca, se objecissent. Hi rectores imperatoriæ juventæ, et pari in societate potentiæ concordes, diversa arte ex æquo pollebant. Burrus militaribus curis, et severitate morum : Seneca præceptis eloquentiæ, et comitate honesta : juvantes invicem, quo facilius lubricam principis ætatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. » O laudabilem conatum, et consensum! Consensum, qui nimis rarus in aulis, ubi quisque ita eminere fere vult, ut alium nolit. Sed ad Senecam.

CAPUT V.

Privata vita, uxores, liberi, exsilium.

Ille in publico ecquid aliud gesserit, haud scio : privatim reperio, aut certe colligo, in Ægypto adolescentem fuisse, occasione quod avunculus præfectus ibi esset. Nam scribit de matertera, ad matrem : « Exemplum tibi suum, cujus ipse spectator fui, narrabit. » (Consol. ad Helv. cap. 21.) *Spectator?* ergo in navigatione ea adfuit (de qua ibi) quum ex Ægypto matertera rediret. Et quomodo, nisi ipse etiam ex Ægypto? Plane ita fuit : et hæc causa, cur pluscula de ipsa Ægypto, et Nilo, curiose libris (præsertim Quæstionum Naturalium) inspergat. Fortassis et ex Ægypto ad Indiæ oras ivit, per mare Rubrum : atque ita de India commentari voluit; Plinio scriptum. (Lib. VI,

cap. 17.) Sed Romæ jam uxorem duxit : quam, non est proditum ; habuisse tamen, liberi evincunt. Nam ipse *Marcum blandissimum puerum*, multa laude et affectu commemorat, ad Helviam matrem : neque ambigendum quin filius sit. Vel carmen ejus doceat, ubi inter vota :

> Sic dulci Marcus qui nunc sermone fritinnit,
> Facundo patruos provocet ore duos.

Nam ut illos audiam, qui ad Marcum Lucanum hoc referunt, ratio non videtur. Atqui mentionem prioris uxoris non facit. Non in his libris, fateor : quid tum? nec Annæi etiam Melæ fratris nominatim ; non ergo habuit? Etsi videndum, an non de priore uxore capias ista : « Harpasten, uxoris meæ fatuam, scis hereditarium onus in familia mea remansisse. » (Epist. 1.) Vix enim est ut de Paulina sic loquatur, et sentiat : imo onus relegat ad defunctam uxorem, a qua penes heredem cum alia familia mansit. Sed clarius etiam alibi : « Quum sublatum est lumen, et uxor moris mei jam conscia conticuit. » (III De Ira.) Quæ uxor? illa prior; nam libri de Ira, Caio adhuc vivo, videntur scripti, in loco nobis doctum. At Paulinam post exsilium denique duxit, nobilem fœminam : quæ, inquam, jam seni nupsit, et potenti in aula. Quod ipsum Dio quoque, aut quisquis ille apud Dionem fuit, objiciendum Senecæ putavit : nempe quod ætate gravis juvenculam illam duxisset. Talis uterque fuit, et ipse Seneca prodit : « Hoc ego Paulinæ meæ dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat. Venit mihi in mentem, in hoc sene et adolescentem esse, cui parcitur. » (Epist. CIV.) *Adolescentem?* ipsam Paulinam. Sane amans ea viri, ut ibi pluribus jactitat : nec falso, et in morte ejus ostendit, cui suam (quod in ipsa fuit) ivit junctum. Postea videbimus. Atque istæ uxores : et alia vita quieta, et fere sine offensa, excipio grandem illum exsilii casum. Nam sub Claudio, primo imperii ejus anno, quum Julia Germanici filia accusata adulterii esset (Dii Deæque, a Messalina!), et ipsa extorris est acta ; et quasi inter adulteros Seneca, in Corsicam relegatus. Verane culpa fuerit, non dicam : nolim, et Tacitus fortasse mecum ; qui, ubi de

exsilio : « Seneca infensus Claudio, memoria injuriæ, credebatur. » Nota, *injuriæ :* ergo hæc ei facta. Et sane quis alias accusationes impudicissimi illius scorti (Messalinam dico) et damnationes hujus obnoxiæ pecudis (Claudii) ignorat? Neque enim aliquid mali fere, nisi bonis et insontibus, sunt machinati. Vixit in exsilio annos circiter octo : et fortiter, imo ut ipse ait, feliciter vixit, optimis studiis meditationibusque intentus. Ita enim ad matrem : « Inter eas res beatum se esse, quæ solent miseros facere » (cap. 4) : et pulcherrime deinde (vide, sodes) philosophatur. Addit in extremo, et assurgit : « Qualem me cogites, accipe : lætum et alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem optimæ, quum animus omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, et modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam sui universique naturam, veri avidus, insurgit. » O hominem, o verba honesta! quæ imitari Octaviæ tragœdiæ auctor (non enim ipse : apage) voluit, his versibus, in persona Senecæ :

Melius latebam, procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris.
Ubi liber animus, et sui juris, mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cælum intueri, Solis et currus sacros!

Hæc meliora, veriora etiam, quam quæ in Consolatione ad Polybium abjecte nimis et demisse scribuntur : et an a nostro Seneca? Dubitare non semel subiit, et pæne abdicare. Quomodocumque, homo fuit : et illud certe scriptum non nisi inimici protraxerunt, et publicarunt : fortasse et macularunt. Sed notes in Senecæ supra verbis, *levioribus etiam ibi studiis se oblectasse* : quæ poetica censeo : et exstat in iis *Medea :* quam in exsilio scriptam, quo tempore Claudius Britanniam subegit, mihi pæne certum : atque adeo argumentum illud elegit de Jasone, ut aliquid inspergeret scilicet de Oceano subacto. Sane versus illi in Choro quo, nisi ad Claudium, spectant?

Parcite, o divi, veniam precamur,
Vivat ut tutus, mare qui subegit.

Iterumque :

> Jam satis, divi, mare vindicastis,
> Parcite divo......

Quod item ad Claudium, etsi vivum : et Deos Deo vult parcere, poetica adulatione.

CAPUT VI.

Opes ejus, villæ, agri, fænus.

Sed ab exsilio reversus statim in splendore iterum fuit; opum jam tunc, et ante aulam, largus. Nam pater eas reliquerat, nec omnes suæ industriæ aut fortunæ debet. Ipse ad matrem : « Tu filiafamilias locupletibus filiis ultro contulisti. » (Cap. 14.) Liberalitatem ejus laudat, eo magis quod in *locupletes*, ut ait, nec sane egentes. Hæc ante aulam : at in ipsa ingentes opes quæsivit, sive potius venientes ultro admisit. Plerasque enim ex principis munificentia habuit : atque ipse ita ad Neronem, in Tacito nostro : « Tu, inquit, gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti ; adeo ut plerumque intra me ipse volvam : Ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, et per hæc suburbana incedit, et tantis agrorum spatiis, et tam lato fænore exuberat? » (Lib. XIV.) Nota hortos, villas, agros, fænus, omnia laxe et ubertim. Vis iterum Taciti verba, sed ab alieno ore et sensu? « Calumniatores, inquit, variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes, et privatum supra modum evectas opes, adhuc augeret : quodque studia civium in se verteret : hortorum quoque amœnitate, et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. » (Annal. XIV.) Et Suilius, apud eumdem, modum etiam opum expressit : « Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies HSS. paravisset? Romæ testamenta et orbos, velut indagine ejus capi : Italiam et provincias, immenso fænore hauriri. » (Lib. XIII.) Is modus nobis esset, « septuagies quinquies centena millia Philippicorum. » Opes pæne regiæ, fateor : sed de malis artibus et captatura, quod adjungit, aspernamur. Habuit ante censum magnum, ut dixi : et in copiosa illa aula, et ampla re Romana,

quid mirum si auxit? Sed ait etiam, « Italiam et provincias fœnore ejus hauriri. » Significat, fœnebrem variis locis pecuniam habuisse : et suspicor etiam in Ægypto. Id ex epistola, qua scribit naves Alexandrinas subito advenisse, omnes concurrisse in portum aut littus : « At ego, inquit, in hoc omnium discursu, magnam ex pigritia mea sensi voluptatem, quod epistolas meorum accepturus, non properavi scire, quis illic esset rerum mearum status, quid afferrent. Olim jam nec perit mihi quidquam, nec acquiritur. » (Epist. LXVII.) Habuit ibi suos (nempe actores, aut procuratores) et res ejus agebatur : ergo in pecunia aliqua grandi, aut et agris. Nam trans mare possedisse, ut illa ætas et copia erat, nihil novum. Enimvero Dio inter causas etiam Britannici belli recenset, quod « Seneca quum quadringenties HSS. (sunt decies centena millia Philippicorum) magno fœnore Britannis credidisset, universam illam pecuniam uno tempore repetebat. » An vere hoc, nescio : ubique enim infensus, et ex professo hostis, est nostro ; tamen a vero non abit, etiam illic pecuniam habuisse. Quid jam hortos, et villas? plures habuit, et cum vario instructo. Juvenalis attigit :

.... Senecæ prædivitis hortos.

Sed et ipse villas suas commemorat Nomentanam, Albanam, itemque Baianam : et habuit sane plures. Sed et domum in urbe, quæ nomen apud posteros tenuit : locatque Senecæ domum, in regione X. P. Victor. Jam et supellex invidiam habuit, objicitque Dio : « Quingentas mensas e cedro, cum eburneis pedibus, similes omnes et æquales. » Magnum hoc fuit, si verum (nam ita semper in Dionis objectionibus cavendum est) : magnum, tot illas mensas habuisse, quarum una aliqua taxari vel latifundii æstimatione solet. Sed non tam lectas aut raras fuisse has oportet : quid si nec fuisse? Non, quin moris, lautis et luxuriosis habere ; ita enim et Martialis de quodam (Lib. IX, Epigr. XXIII) :

Et Mauri Libycis centum stant dentibus orbes,
Et crepat in nostris aurea lamna toris.

Nam in magnis conviviis, singulis suas mensas anteponebant

(alibi adnotandum) et hoc fine sic plures habebant. Non, inquam, eo nego aut dubito; sed quia ipsus Seneca tangit et castigat hanc insaniam sæpius; etiam in aula et senex, libris de Beneficiis, quos tunc scripsit. Quid, quod in illo De Tranquillitate (sub initium) palam negat « placere sibi mensas varietate macularum conspicuas, » nec solere uti? Mira hæc impudentia, in re conspicua et ejus ævi oculis objecta, palam sic dissimulare, aut mentiri. Non arbitror; et magis Dionem, aut cui Dio partes has adsignat. Nam ex oratione aliqua adversaria hæc videri alibi (I. Manud. Dis. XIX), adnotavi: atque obiter ibi divitiarum crimen dilui, legendum si quis volet. Sed magis ipsum Senecam legat, qui sub hoc tempus De Vita Beata librum edidit, in quo scopum habet adversus criminantes se tueri. O elegantem, o sapientem libellum! et calumniam hoc ipso caram, quod fuerit huic eliciendo.

CAPUT VII.

Mores, et primum abstinentia, veritas, sanctitas pietasque.

Sed mores ipsi etiam hoc de opibus refrigerant, et usum iis clamant, non abusum. Quid enim in fastum, luxum, pompam? doceant, et silemus. In cibos fortasse, et lautitiam? Audiamus ipsum, in publico profitentem: « Ego quum Attalum audirem in vitia, in errores, in mala vitæ perorantem, sæpe misertus sum generis humani, et illum sublimem altioremque humano fastigio credidi...Quum cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem: non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis, libebat circumscribere gulam et ventrem. Inde mihi quædam permansere, Lucili; magno enim ad omnia impetu veneram: deinde ad civilem vitam reductus, ex bene cœptis pauca servavi. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est: inde in omnem vitam unguento abstinemus: inde vino caret stomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus. » (Epis. CVIII.) Quæ talis alibi frugalitas, an quo nomine appellanda? Et scripsi de ea in Laudatione Senecæ (I. Manud. Dis. XVIII): ne hic iteremus. Jam reliqua etiam vita seria et severa. Non

corrupit eum aula, nec ad familiare et cognatum pæne vitium adulationem? flexit. Minime; ipse ad Neronem : « Diutius morari me hic patere, non ut blandiar auribus tuis : nec enim mihi hic mos est: maluerim veris offendere, quam placere adulando. » (II De Clem.) Et jam moriturus, apud Tacitum, referri jubet principi : « Non sibi promptum in adulationes ingenium : idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ, quam servitium expertus esset. » (XV Ann.) Amplius, quæ morum vitæque exactio, et examen? Iterum ipse : « Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Quum sublatum e conspectu lumen est, et conticuit uxor moris jam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abscondo, nihil transeo : quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, quum possim dicere : Vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco? » (III De Ira.) Potest majus aut clarius studium elucere virtutis? Denique et pietas in Deum et submissio, quoties apparet? Unum excerptum posuero : « Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi quum maxime detego : in omnibus quæ aspera videntur et dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assentior; ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu : nullum tributum invitus conferam. » (Epist. XCVI.) Et plura sunt talia in Manuductione, aut Physiologia, a nobis notata. Imo tam claræ quædam pietatis, ut Tertullianus et prisci Nostrum appellent, Concilia ipsa quædam auctoritate ejus (in fragmentis posui) utantur. Atque adeo Otho Frisingensis asserat : « L. Senecam non tam Philosophum, quam Christianum dicendum. » Atque ob has eminentes virtutes, etiam illo ævo, ingens de eo opinio, et vel imperio destinabant. Tacitus aperte hoc agitatum scribit : « Ut traderetur imperium Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto. » (XV Ann.) O Roma, non manebat te hæc felicitas, nec Deus sic respexit! Alioqui,

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

(JUVEN. *Sat. X.*)

At enim de veris virtutibus ejus quidam dubitant, et verba hæc ac scenam fuisse. An igitur in morte fidem non fecit, quam omnia humana in levi haberet, quam Deo se præberet?

CAPUT VIII.

Mors ejus, fortis, constans, e Tacito narrata.

Et de ea commodum videamus : unde autem potius, quam e fidissimo scriptorum Tacito hauriemus? Verba ejus ecce habes :

« Sequitur cædes Annæi Senecæ lætissima principi, non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Solus quippe Natalis, et hactenus prompsit : missum se ad ægrotum Senecam ut viseret conquerereturque, cur Pisonem aditu arceret : melius fore si amicitiam familiari congressu exercuissent. Et respondisse Senecam, sermones mutuos et crebra colloquia neutri conducere : ceterum salutem suam incolumitate Pisonis inniti. Hæc ferre Granius Silvanus tribunus prætoriæ cohortis, et an dicta Natalis, suaque responsa nosceret, percontari Senecam jubetur. Is, forte an prudens, ad eum diem ex Campania remeaverat, quartumque apud lapidem suburbano rure substiterat. Illo propinqua vespera tribunus venit, et villam globus militum sepsit. Tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis duobus epulanti mandata imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquestumque nomine Pisonis quod visendo eo prohiberetur, se ratione valetudinis et amore quietis, excusavisse respondit. Cur salutem privati hominis incolumitati suæ anteferret, causam non habuisse, nec sibi promptum in adulationes ingenium : idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ, quam servitium expertus esset. Ubi hæc a tribuno relata sunt, Poppæa et Tigellino coram, quod erat sævienti principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus aut vultu deprehensum confirmavit. Ergo regredi et indicere mortem jubetur. Tradit Fabius Rusticus, non

eo quo venerat itinere reditum, sed flexisse ad Fenium præfectum, et expositis Cæsaris jussis, an obtemperaret interrogavisse, monitumque ab eo, ut exsequeretur, fatali omnium ignavia. Nam et Silvanus inter conjuratos erat, augebatque scelera in quorum ultionem consenserat. Voci tamen et aspectui pepercit. Intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas : ac denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam tamen et pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur, cujus si memores essent, bonarum artium famam tam constantis amicitiæ laturos. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans : « Ubi præcepta sapientiæ? ubi tot » per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim igna» ram fuisse sævitiam Neronis? neque aliud superesse post ma» trem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptorisque » necem adjiceret. » Ubi hæc atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem; et paululum adversus præsentem formidinem mollitus, rogat oratque temperaret dolori, ne æternum susciperet, sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Illa contra, sibi quoque destinatam mortem adseverat, manumque percussoris exposcit. Tum Seneca gloriæ ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret : « Vitæ, inquit, delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis; non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine. » Post quæ, eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parvo victu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Sævisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret, atque ipse visendo ejus tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscederet. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ, in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo. At

Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignaræ. Nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatæ cum marito mortis petivisse; deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam: cui addidit paucos postea annos laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim durante tractu, et lentitudine mortis, Statium Annæum diu sibi amicitiæ fide et arte medicinæ probatum, orat provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium judicio exstinguerentur, promeret: allatumque hausit frustra, frigidis jam artubus et clauso corpore adversum vim veneni; postremo stagnum calidæ aquæ introiit, respergens proximos servorum, addita voce, Libare se liquorem illum Jovi liberatori. Exin balneo illatus, et vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris solenni crematur. Ita codicillis præscripserat, quum etiam tum prædives et præpotens, supremis consuleret. »

Hæc Tacitus: neque pigebit insistere leviter, et examinare, aut illustrare. Ait, *Lætissimam principi hanc cædem.* Jamdiu enim gravabatur boni rectique hunc doctorem, et reverentiæ illud frænum (quod vel invito inhærebat) semel excutere voluit, eo sublato. Tamen aliter juraverat, ut Suetonius prodidit: « Senecam, inquit, præceptorem ad necem compulit, quamvis sæpe commeatum petenti, bonisque cedenti, persancte jurasset, suspectum se frustra, periturumque potius, quam nociturum ei. » Juravit, id est Deos quoque illusit. Ait, *Quando venenum non processerat.* Tentaverat enim, et ita idem Tacitus supra (eodem libro): « Tradidere quidam, venenum Senecæ per libertum ipsius Cleonicum paratum, jussu Neronis; vitatumque a Seneca, proditione liberti, seu propria formidine, dum simplici victu, et agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat. » Pergit. *An prudens.* Quasi gnarus conjurationis, et diei destinatæ.

Item, « Ex Campania remeaverat. » E villa aliqua ibi sua. Et sane ibi ante obitum sæpe in secessu vixit et plerasque Epistolarum ad Lucilium scripsit. « Quartumque apud lapidem. » In villa item aliqua sua. An Nomentana? Hoc Xicho Polentinus scripsit, sed mera, puto, conjectura. Neque Tacitus admittit, qui de *quarto lapide* ab urbe prodit : atqui Nomentum vel *duodecimum* distat. « Nulla pavoris signa. » En dignam philosopho, et quidem Stoico, mortem : quam et sequentia deprædicant. « Imaginem vitæ suæ. » Obsecro, si fœdus Seneca ut Dio voluit, hæcne de vita sua, in clausula diceret? amicos scilicet, et arbitros ejus quotidie, sic falleret? « Modo sermone. » Leniter, et ut in alloquiis. « Adversus præsentem formidinem mollitus. » Non rescribo temere : tamen ambigat aliquis, an non *mollitam*, et ad uxorem referatur. Sequentia videntur inducere, quum rogat temperaret dolori, et quæ jungit. « Vitæ, inquit, delinimenta. » Hæc et pleraque alia, sunt ipsa Senecæ, aut certe similia : quia exstabant vulgata, ut mox dicet. « Senile corpus. » Meo calculo LXIII, aut quatuor annorum. Neque ultra fuisse, Neronis illa ad Senecam evincunt, non diu ante prolata, apud Tacitum : « Verum et tibi valida ætas, rebusque et fructui rerum sufficiens : » quæ de seniore haud vere dicas. « Advocatis scriptoribus. » O virum, o animi robur! in ipsa etiam morte dictare, quod posteros juvaret. Neque enim ambigendum, talia fuisse, ac constantiæ et sapientiæ mera præcepta. Argumentum, quod *in vulgus edita* : haud futurum, nisi præclara aliqua essent. Et quia edita, Tacitus omisit; o improvide factum! et nobis quoque cygnæas illas voces audire vel levi aure esset! « Stagnum calidæ aquæ. » Solium; et tunc primum calida usus, quum non ultra usurus. « Balneo illatus. » Laconico et sicco, ut opinor. Nam vapore, et acrimonia caloris, exanimatum ostendit. « Quum etiam tum prædives et præpotens. » Aliquid est, in quo Tacitus carpere videtur : nec satis tamen capio. Tacitum funus voluit, et solemnia ejus vetuit : sed quomodo in eo supremis suis consulit? An ne testamentum Nero rumperet? qui fortasse heres in parte magna scriptus, et nolebat sibi per impendia aliquid perire. An in eo parcimo-

niam Senecæ tangit? sed verba examinata non huc eunt. Alius videbit.

CAPUT IX.

Corpus, morbi, forma.

Finivi, nisi placet de corpore aliquid addi : et juvat magnorum ingeniorum etiam habitacula, ut sic dicam, novisse. Corpore igitur a pueritia infirmo fuit. Ipse de matertera, postquam in urbem perlatus esset : « Illius pio maternoque nutricio, per longum tempus æger, convalui. » (Consol. ad Helv., cap 16.) Et in epistola quadam : « Longum mihi commeatum valetudo dederat, repente evasit. Quo genere? inquies. Prorsus merito interrogas : adeo nullum mihi ignotum est. Uni tamen morbo quasi assignatus sum : quem quare Græco nomine appellem, nescio : satis enim apte dici suspirium (*asthma*) potest. » (Epist. LIV.) Et mox addit : « Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me transierunt. » Vide senem, bene exercitatum! qui etiam adolescens destillationibus vexatus fuit, et per eas videbatur ad tabem ire. Ipse iterum : « Vexari te destillationibus crebris ac frebriculis, eo molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus morbi, quod inter initia contempsi. Poterat adhuc adolescentia injurias ferre, et se adversus morbos contumaciter gerere : deinde succubui, et eo perductus sum, u ipse destillarem. Ad summam maciem deductus, sæpe impetum cepi abrumpendæ vitæ : patris me indulgentissimi senectus retinuit. » (Epist. LXXIIX.) Satis clare scribit, de macie sua, et marcore : nec mirum Caligulæ sic a fœmina persuasum. Scribit enim Dio : « Quum causam quamdam in Senatu egregie et feliciter Seneca egisset, livore suffusum illum principem, qui solus videri eloquens volebat, cogitasse de Seneca tollendo : et fecisset, nisi una e concubinis admonuisset, Frustra mortem parari jam morituro : tabe quippe laborare. » Credidit, et saluti ea res Senecæ fuit. Adeo verum est, quod ipse (an huc adspiciens?) scripsit : « Multorum mortem distulit morbus, et saluti illis fuit, videri perire. » Ceterum corpore sicco et exhausto ad extremum fuit : quid mirum vel a morbis, vel ma-

gis a studiis ? Et Tacitus etiam tertiam causam adjungit : « Corpus parvo victu tenuatum. » Neque id formosum fuisse, indicare videtur ipse Seneca alibi : « Quod libros meos petis, non magis ideo disertum me puto, quam formosum, si imaginem meam peteres. » (Epist. XLV.) Tangit, non fuisse : et imago quæ a Fulvio quidem Ursino prodita est, vix præfert dignum illo animo vultum.

Ceterum, corpus etsi tenue firmabat exercitiis durioribus : et cultu agri, et fossione vinearum : cujus meminit in Epistola quadam (Ep. CIV), et Quæstionibus Naturalibus (Lib. III, cap. VII) : ubi « diligentem vinearum fossorem » se appellat : itemque universæ hortorum ; quod *artificium* etiam *suum* dicit. (Ep. CXII.)

CAPUT X.

Libri, qui non exstant.

(Libros qui nunc exstant memorare omittit Lipsius ; quippe qui in omnium manibus versantur. Quid de illis sentiat fuse satis exposuit duobus locis, nempe in Judicio, quod in suæ editionis fronte posuit, nos vero post hocce caput exscripsimus, et in Manuductione ad philos. stoicam, lib. I, dissert. XVIII, quem locum infra leges.)

De corpore tantum est : nec ab eo nobis fructus : ab animo maximi, et per Indicem videamus. Scripta enim ejus exstant multa, plura non exstant : et hæc, quod eruere potui, hic dabo. Perierunt igitur, primum :

VERSUS ejus et poemata, quos certum est ubertim scripsisse. Ipse in exsilio fecisse ostendit ; et Tacitus, jam etiam seniorem, et in aula. Ita enim invidi calumniantur apud Neronem : « Objiciebant etiam, eloquentiæ laudem uni sibi adsciscere, et Carmina crebrius factitare, postquam Neroni amor eorum venisset. » (Lib. XIV.)

ORATIONES, sive causarum Actiones. Egit multas et illustres, atque in ipso Senatu : ut omittam quas principi scripsit, in Senatu item recitandas. Neque dubito Edicta ad populum, et Epistolas graviores, ab illo conscriptas, aut dictatas : quorum omnium levis memoria superest, et tulit, ut solet, ævum.

DE TERRÆ MOTU liber, quem juvenem se scripsisse ipse tes-

tatur VI Nat. Quæst., cap. 4. Non desideres, quia eamdem materiam, in iisdem Quæstionibus, retractavit.

DE MATRIMONIO. Fueritne liber, an epistola, nescio : sed citat Hieronymus adv. Jovinian. lib. I.

HISTORIA, aut compendium; ex Lactantii VII, cap. 15.

DE SUPERSTITIONE liber, haud dubie inter sapientes. Laudat et excerpit quædam Augustinus, VII De Civit. Meminit et Tertullianus in Apologetico.

DIALOGI; quos Fabius nominat, nec ultra.

MORALIUM libri. Lactantius citat lib. II, cap. II, atque alibi, et ipsemet noster Epist. CVI; initio, et epist. CIX. Scripsit in extremo, ut ibi apparet : o insigne opus! et lugeo interceptum.

EXHORTATIONUM libri. Plures enim fuerunt, e Lactantio, et Fragmenta nostra vide. Hoc ipsum quis non inter egregia operum censebit reponendum? Sunt alia, sed quæ incerto ad hunc referas : ut Notarum libros, qui patris magis fuerunt. Item De Causis. Ita enim scriptor innominatus Rerum Britanniæ : « Seneca de Causis commemorat, Catonem oratoris officium definientem dixisse, Orator est vir bonus dicendi peritus. » Sed is quoque patrem spectat, et sunt Controversiarum libri : in quorum primo, Præfatione ipsa, hoc Catonis reperies ibi citatum. Si quid me etiam fugit, in Fragmentis reperies : etsi minora non tam effugiunt, quam patior elabi [1].

Sed heus, EPISTOLAS ad Divum Paulum non memoramus? Quæ nunc sunt, non sunt tanti : imo certum est ejusdem auctoris, et Pauli et Senecæ, illas esse, et compositas a semidocto in ludibrium nostrum. Tentat Latine loqui quisquis auctor fuit. Ergo inter se non scripserunt? Hieronymus (de scriptoribus Eccles.), Augustinus (Epist. LIII, ad Maced. et VI De Civit. c. 10); atque etiam antiquior utroque Linus Pontifex (De Passione divi Pauli.), asserunt, et passiva opinio olim fuit. Atque adeo Jo. Sarisberiensis (Lib. VIII. Polycrat, cap. 13.)

[1] Ex novissime repertis Senecæ fragmentis, quæ ad Nostræ edit. calcem reperies, discimus a Nostro scriptum quoque librum *de vita patris*, et disputationem *de amicitia*, quæ fortasse Moralium librorum pars fuit.

fortiter : « Desipere videntur qui non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat. » Itaque rejicere hoc totum et calcare non ausim : fuerint aliquæ, sed aliæ : si istæ, requiro judicium optimorum Patrum. Sed quid alii etiam de Seneca, videamus.

JUDICIUM

SUPER SENECA EJUSQUE SCRIPTIS.

(EX EODEM J. LIPSIO.)

VIDEO inter veteres, tres fuisse qui Senecam ex professo culparunt, Caligulam, Fabium Quinctilianum, Aulum Gellium : qua causa, aut fine, videamus. De Caligula, Suetonius :

« Lenius comptiusque scribendi genus adeo contempsit, ut Senecam, tum maxime placentem, Commissiones meras componere, et Arenam esse sine calce, diceret. » (Cap. 53.)

Caligulæ hoc judicium est : nempe illius, qui « cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis : itemque Virgilii et T. Livii scriptis, ex omnibus bibliothecis amovendis. » (Sueton. cap. 34.) En hominem, cui bona scilicet placeant : et quo arbitro Seneca stet, vel cadat. Quid tamen in dicteriis illis voluit? *Commissiones componere*, id est, pompæ tantum et theatris apta scribere : quæ florem et fucum magis, quam robur et veritatem haberent. Sunt enim *Commissiones*, quum inter se ingenia committuntur, pro palma : ἀγωνίσματα Græcis, καὶ ἐπιδείξεις. Hoc eo spectat, quod, ut Suetonius dixit, *comptum et lene* illud dicendi genus Caligula odisset. Et de *comptu*, in Seneca est, fatemur : de *lenitate*, mihi non videtur, in istis quidem philosophis, ubi robur magis est, et acrimonia : fortasse aliter in orationibus, de quibus proprie Caligula fortasse censebat. Sed alterum, quale est? *Arenam sine calce*. An quod minuta commatia, et sensus jaceret, parum inter se devincta? quod diffiueret

oratio ejus, nec hæreret? An etiam, quod longus et sine fine esset : sicut stadium vel circus (nam id quoque Arena) sine meta? Possis utrovis ducere : et de priore, mox in Fabio viderimus : de altero, certum est uberem et copiosum in rebus verbisque esse, eidem etiam Fabio assertum. Atque hunc igitur audiamus : non per convicia, sed judicio, ut apparet, et consilio arbitrantem. Ait, lib. X :

« Ex industria Senecam in omni genere eloquentiæ versatum distuli, propter vulgatam falso de me opinionem, qua damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. Quod accidit mihi, dum corruptum, et omnibus vitiis fractum dicendi genus, revocare ad severiora judicia contendo : tum autem solus fere hic in manibus adolescentium fuit, quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam; quos ille non destiterat incessere : quum diversi sibi conscius generis, placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis, quam imitabantur, tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. Foret enim optandum, pares, aut saltem proximos illi viro fieri : sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quæ poterat. Deinde quum se jactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat : cujus et multæ alioquin, et magnæ virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, et multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab iis quibus inquirenda quædam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem ferme studiorum materiam; nam et orationes ejus, et poemata, et epistolæ, et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen vitiorum insectator fuit : multæ in eo claræque sententiæ, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosiora, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset : consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque jam robustis, et severiore genere satis firmis, legendus vel ideo, quod exercere

potest utrumque judicium. Multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt : eligere modo curæ sit, quod utinam ipse fecisset! Digna enim fuit illa natura, quæ meliora vellet, quæ quod voluit, effecit. »

Ista Fabius ; quem boni rectique plurimum judicii censorem agere, libens fateor : nisi sicubi affectus abducit, quod hic vereor factum. Ipse non dissimulat, sparsam de se opinionem, iniquiorem Senecæ esse : et ego hercules agnosco. Tamen vel sic bona de Seneca, quædam alia dicit : et pensitemus. Ait : « In omni genere eloquentiæ versatum. » Magna et vera laus est : versa et prosa valuit, omne studiorum argumentum fere tractavit. Pergit : « Ingenium facile et copiosum. » Agnoscimus : et de facilitate, quis non inter legendum videt, fluere omnia e pleno pectore, et inexhausto illo ingenii fonte? Ipse de se : « Qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularemus, *illaboratus et facilis*, tales esse Epistolas meas volo. » (Epist. LXXV.) De Epistolis hoc signate. Atqui eæ sunt, quæ curam et tractationem habuisse, inter omnia scripta, videantur. Jam de *Copia*, inventiones illæ tam variæ et dispares, in una re Moralium, dicent. Quot libri sunt, quot etiam fuerunt? Et inter omnia similia, nihil idem : imo vix sententiam aut imaginem reperias iterata. Mirabitur, si quis inquiret, et tale exemplum alibi requiret. Iterum Fabius : « Plurimum studii. » Quod me dat in stuporem. In aula, in conjugio, in illo genere vitæ, familia, opibus, occupationibus, potuisse in libris scriptisque sic esse. Sed ipse pertinax et intempestivum suum studium non celat, scribitque Lucilio suo : « Nullus mihi per otium dies exit : partem noctium studiis vindico. Non vaco somno, sed succumbo ; et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus : et primum a meis. Posterorum negotium ago : illis aliqua, quæ possint prodesse, conscribo. Salutares admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando. » (Epist. VIII.) En virum diligentem studiorum, et nostri! quis non amet pariter, nobis sic natum et occupatum? Verba ea repete et examina, quisquis es : pudebit vel spargere, vel audire calumniam, in generis humani sic aman-

tem. Studium autem illud nisi tale fuisset, unde tot istæc opera quæ habemus, et non habemus? Voluptati, somno, vitæ detraxit: quod nobis impendit. Pergit etiam Fabius: « Multa rerum cognitio. » Vides Polymathiam, quam novelli judices frustra detractum eunt. At Fabius candide donat, et magnus ille Plinius, qui *Principem eruditionis*, invidendo elogio, appellat. Et quis detrahet, qui varia in omni materie scripta ejus videt, aut cogitat? In poesi plurima fuerunt: exstat Medea tragœdia, et gloriæ sufficit aut palmæ, in hoc quidem genere scriptorum. Quid oratoria ejus, historica, philosophica, miscella? Omnia enim tractavit, non solum tetigit: atque etiam *Dialogos* scripsit (ut hic Fabius) quo argumento nescio, et desiderabile tamen mihi hoc opus. At una etiam Satyra in Claudium exstat: quam varie docta, arguta, venusta? nec Venus aut Lepor aliquid addant. Sed porro etiam Fabius: « Egregius vitiorum insectator. » Sane fuit, et vel nimium hac parte aliquis dicat, aut potius jam dixit. Mihi tamen non videtur; aut nimius etiam Epictetus, qui vel acrius ea insectatur. Cynicum hoc fuit, destringere passim et defricare: Stoici tenuerunt, etsi modestius, et in scriptis magis quam sermone, usurparunt. Quis autem in philosopho damnet, vitia insequi, pellere; virtutes advocare, inducere? proprium illorum opus est, aut debet. Cæterum noster hac parte merito a Fabio attollitur, acer et calidus insectator; et hostis toto animi sensu. Vide stimulos et ictus sententiarum, quum hoc agit: vide insurgentem, et pæne dicam ardescentem. Simplicius de Epicteti acrimonia: « Qui ab ea non excitetur, eum non nisi apud inferorum tribunalia corrigendum. » De nostro verissime usurpem; sensum boni honestique non habet, quem eo non impellit. At ipse, inquiunt, hæc non sensit. Non sensit? da qui simulat, et sic scribit. Sophocles olim vere:

.... ἄνδρα γὰρ καλῶς
Πράσσοντ' ἀνάγκη χρηστὰ κερδαίνειν ἔπη·
.... virum est opus
Bene facientem, verba consequi bona.

Est opus et e fonte puro, pura; e sordido, sordida et maculantia

aliqua manare. Neque abnuo, simulari ista posse, et solere : sed sic, ut frigus et remissio appareat, et uno verbo, animi dissensio et pugna. Amplius : « Multæ in eo claræque sententiæ. » Hoc unice jactamus, et parem ei in Græcia aut Latio non damus ; quid parem ? vix propinquum. Atque eæ sententiæ acres, argutæ, penetrantes sunt ; et quod caput, salutares. Unus libellus, una epistola ejus dabit, quod satis sit vitæ formandæ, aut corrigendæ, si quis medenti se donat. Denique Fabius : « Multa probanda, multa etiam admiranda sunt. » Quid hoc est ? censorem, an laudatorem induximus ? adhuc talis fuit : et ex animi sensu, contra animum pæne fuit. Venite, audite, qui Fabium nobis obducitis : ego plura aut majora non dixerim, qui Senecam produco. « Est probabilis, est *admirabilis* in multis : » quid ultra volumus ? nam ubique talem esse, conditio hæc hominis non capit. Sunt igitur et culpæ, sive vitia : atque ea ab eodem Fabio (nam ego ordine excerpam) audiamus. Primum est, « quod antiquos incesserit, diversi conscius sibi generis. » Hoc caput, hic fons est Fabianæ reprehensionis : qui veteris eloquentiæ (nec immerito) amator, revocare eam, et nimium ævi sui comptum, et fractum dicendi genus emendare conabatur. Qui autem tuebantur, Senecam auctorem aut ducem præferebant : ideoque et hunc repellit, aut invadit. Ait, « veteres incessisse : » nec falso ; minime antiquarius Seneca, et epistolæ istæ (ubi judicia talia inspergit) docent. Imo adeo abhorret, ut vix alium quam Virgilium e poetis advocet, aut Publium : raro vetustioris ævi aut styli quemquam. Proprium aliquod et suum genus habuit : ut solent ista vel cum ætatibus mutari, vel pro ingenio atque animo cujusque formari. Quis Ciceronem Graccho aut Catoni similem dicat, aut velit ? Nec illi Senecam, aut Plinium : sed nec Tacitum ; nam et iste causas egit, et orationes scripsit. Tamen puro sinceroque judicio, laudanda in stylo et eloquio hi posteriores etiam habent. Quid de Symmacho dicam, quem multi bonique jam olim mirantur ? tantum etiam ab illis abivit, quantum illi a Cicerone. Ut in vultibus nostris, sic in stylo diversitas : et laudabiles etiam formæ, non sunt, ut si dicam, uniformes. At enim multa Senecæ « in eloquendo, ait

Fabius, corrupta. » Ab hac causa, quam dixi, a cultu et flore nimio : denique etiam, quod « rerum pondera minutissimis sententiis fregit. » Ita enim idem addit : neque abnuo, crebras et minutas istas sententias intervenire. Sed pondera etiam rerum frangere? hoc nego, in istis quidem philosophicis libris, qui exstant. Augent magis, et intendunt. Stoicorum hoc proprium fuit, non gladiis, sed pugiunculis, rem gerere : et brevi et accincto sermone esse. Docui alibi (I, Manuduct. Diss. XIV) : et vel Epictetus, qui superest, dicet. Imo vero in philosophia mire hoc decere videtur : aliud in oratoria fateor, de qua proprie Fabium censere mihi liquet. Et tamen, ut revelata fronte et pectore agam, non etiam abnuo interdum Sententiolas intervenire, frigidas aut inani argutia : et quas exire magis, quam ferire dicam. Sed paucæ sunt istæ : et meliorum numerus obumbrat. At culpat etiam Fabius, ut « in philosophia parum diligentem. » Quid hoc est? aut de qua parte loqui eum putem? Logica? non, opinor, tractavit. Naturali? quædam in ea sunt, et nominatim libri VII Quæstionum : sed illi vero ita exacti, curiosi, subtiles, ut ipsa Aristotelea provocent, aut vincant. De Morali igitur? nugæ, regnum hic inter omnes tenet. Sed Fabii mentem ego hanc arbitror, non inquisisse nimis aut penetrasse in interiora Philosophiæ; externa hac populari, et velut medicante, contentum. Quod fateor : et ipse noster sæpe hunc sensum et finem suum prodit, utilia magis quam subtilia sequi. Prodit, et mihi probat : atque utinam operati omnes philosophiæ huc eant! Ultimum est, « Pleraque corrupta in eo esse. » Quod ad eloquentiam iterum spectat, non illam puram, simplicem, et antiquam : jam fassi sumus, et prædiximus : « oratio ejus (Taciti verbis) multum cultus prætulit. » Quare? causa duplici : « ut fuit illi viro amœnum ingenium, et temporis ejus auribus accommodatum. » Ecce, prior causa ab ingenio et indole est, culta et amœna, facili et copiosa : altera ab ævi moribus et sensibus, cui oratio fere se aptat. Noster verissime : « Quemadmodum uniuscujusque actio dicenti similis est; sic genus dicendi imitatur publicos mores. » (Epist. CXIV.) Corruptio igitur ista, nonnisi in cultu nimio : et quid valde dam-

nes? ipse Fabius fatetur, « abundare eum dulcibus vitiis. » Sane dulcibus : et capiuntur, scio, isti ipsi qui carpunt. Sed ad Fabium satis : tertius assurgat, et agat A. Gellius, qui sic :

« De Annæo Seneca partim existimant, ut de scriptore minime utili, cujus libros attingere nullum pretium operæ sit : quod oratio ejus vulgaris videatur et protrita ; res atque sententiæ aut inepto inanique impetu sint, aut ut levi et quasi dicaci argutia ; eruditio autem vernacula et plebeia, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiæ neque dignitatis. Alii vero, elegantiæ quidem in verbis parum esse, non inficias eunt ; sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt ; et in vitiis morum objurgandis severitatem gravitatemque non invenustam. » Duæ partes sunt ; prior ex professo hostilis, nec judicium sed odium adfert. Ait, « scriptorem minime utilem. » Tune? quin unica ejus epistola magis talis, quam agelli[1] tui omnes fructus. « Attingere libros nullum operæ pretium. » Non vobis illis, siqui logodædali tantum estis, et in una lingua polienda occupati. Deinde, « Oratio ejus vulgaris et protrita. » Quid potest vanius? alii nimium cultum objiciunt ; hic nullum. An id indicium est, modum tenuisse? « Res et sententiæ inepto inanique sonitu. » Tua, ita me Deus, omnia hæc verba : sed non tua : aliis nescio quibus tribuis, mox mitiora, et vero magis confinia adjungis. Ea ipsa tamen tenuem et macram, ut sic dicam, laudem habent : notam autem animi tui ab hoc scriptore aversi, a quo et stylo nimium divertis. Hæc causa repudii ; quæ quisque amat et habet, amari ab aliis vult ; et odit dissentientes. Audi semel, A. Gelli ; tu nil nisi veteres Comicos, et Latii puritatem sectaris, et exprimis (fatendum est) : noster in via alta et alia, in cothurno est : ne revoca ad tuum soccum. Denique in te, et omnes istos caniculas ; genus scribendi et materiem videamus : nihil pro ea melius fortasse potuit, aptiusque. Philosophatur, animos et mores format, excitat a formidine, a luxu et fastu reprimit : hæc

[1] *Agelli* voce utens, Lipsius in hujus scriptoris, quem Agellium, uno verbo, vocat, nomine cavillatur, parum feliciter.

omnia fortiter et calide agenda sunt, et oratio talis adhibenda. An non fecit? Ciceronem in eo genere confer, stagnum dices: hunc autem flumen rapidum, quod lectorem secum trahit. Satis, satis; ego Senecam universe, admiratione magis quam laude prosequendum arbitror: in partibus aliquid esse quod censeas, aut cui succenseas, non nego. Sane decidit interdum, aut a se mutat; ut in jocis aut dictis, quam ineptus alibi, sive affectatus est! in laudibus aut vituperiis, sine modo! exordia, aut transitus, longinqua, aut comica! incuria etiam in historiis! inquisitiones aut dissertationes in philosophia, sed et philologia tenues! Sunt enim ista, sed pauca: et meliorum statim interventu ita pensantur, ut momentum ad deprimendum non habeant, in hac judicii lance. Itaque sententiam pro te, Seneca, audacter ferimus: in philosophia, et præsertim morali ejus parte, vicisti qui fuerunt, qui erunt: accipe palmam, non magis quam Herculi clavam (omnes omnia faciant) extorquendam. In ipsa eloquentia, duæ tuæ virtutes eximiæ: copia in brevitate, vehementia in facilitate. De copia, bonus judex et sagax statim agnoscit, et Fabius ut peculiarem virtutem etiam alibi adsignat: « Copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri. » (Lib. XII, cap. 10.) Ut ridere merito sit illos, qui siccum et aridum nobis dicunt. At de vehementia ego ejus miror: et est tota oratio fere accincta, intenta, et robur in ea et acrimonia, qua vel ad Demosthenem se jactet. Δεινότης, quæ mirabilem illum oratorem facit, cum isto certe ei communis est, itemque numeri illi viriles. Unde autem, nisi ab animo tali? et « pectus est (pulcherrimo sensu Fabius) quod disertos facit, et vis mentis. » Judica sic, bone Lector, et bono tuo (spondeo, respondeo) Senecam ama.

DE L. ANNÆO SENECA

VETERUM AUCTORUM LOCI.

EUSEBIUS, in Chronologia.

« L. ANNÆUS SENECA Cordubensis, præceptor Neronis, et patruus Lucani poetæ, incisione venarum, et veneni haustu periit. » (Olymp. CCXI.)

B. HIERONYMUS, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

« L. Annæus Seneca Cordubensis, Sotionis Stoici discipulus, et patruus Lucani poetæ, continentissimæ vitæ fuit : quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ provocarent quæ leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, et Senecæ ad Paulum : in quibus, quum esset Neronis magister, et illius temporis potentissimus, optare se dicit, « ejus esse loci apud « suos [1], cujus sit Paulus apud Christianos. » Hic ante biennium quam Petrus et Paulus coronarentur martyrio, a Nerone interfectus est. »

COMMENTARIUS ANTIQUUS IN JUVENALIS Sat. V, versu 109.

« *A Seneca.* Hic sub Claudio, quasi conscius adulteriorum Juliæ Germanici filiæ, in Corsicam relegatus, post triennium revocatus est; qui etsi magno desiderio Athenas intenderet, ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, sævum immanemque natum et sensit cito, et mitigavit [2] : inter

[1] *Ejus esse loci apud suos.* Hoc in adsimulatis illis epistolis adumbratum exstat : « Nam qui meus apud te locus, qui tuus velim ut meus. » Balbuties est, fueritque : « qui tuus apud tuos locus, velim ut meus. »

[2] *Sensit cito, et mitigavit.* Pro mente Scholiastæ videbatur : « et indicavit. » Nam sequentia sic volunt.

familiares solitum dicere : « Non fore sævo illi leoni, quin, » gustato semel hominis cruore, ingenita redeat sævitia. » Huic postremo, quod habitus esset inter conscios conjurationis Pisonianæ, Nero per Tribunum ultimam necessitatem denuntiavit. Hic interritus, amicorum animos, quibus jam ejus casus lacrymas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogitans : « Ubi » præcepta sapientiæ [1]? ubi tot per annos meditata ratio adver- » sus imminentia? cui præterea ignara fuerit Neronis sævitia? » neque aliud superesse post matrem fratremque interfectos, » quam ut educatoris præceptorisque necem adjiceret. » Deinde sibi venas præsecans, crurumque venas abrumpens, et durante tractu lentitudineque mortis, hausto veneno, postremo calidæ aquæ stagnum introiens, exanimatus est. »

Tacitus, lib. XV Annalium. Cujus verba in Vita data et explicata sunt.

Cetera quæ ad Senecæ vitam pertinent, videre potes apud eumdem auctorem lib. XI, XII, XIII, XIV et XV Annalium : sed et apud Dionem lib. ult., Suetonium et Xiphilinum in Nerone, Plutarchum περὶ ἀοργησίας, et in vita Othonis.

[1] *Ubi præcepta sapientiæ?* Sunt e Tacito sumpta, an ex ipsis Senecæ verbis? quæ vulgo tradita Tacitus scribit.

DE L. ANNÆO SENECA

AUCTORUM ELOGIA.

L. JUNIUS MODERATUS COLUMELLA, lib. III, de Re rust. cap. 3.

« SED Nomentana regio [1] nunc celeberrima fama est illustris, et præcipue quam possidet Seneca *vir excellentis ingenii atque doctrinæ*, cujus in prædiis vinearum jugera singula culleos octonos reddidisse plerumque compertum est. »

M. FABIUS QUINCTILIANUS, lib. XII, cap. 10.

« In his etiam quos ipsi vidimus, *copiam Senecæ*, vires Africani, maturitatem Afri reperimus. »

TACITUS, Annalium lib. XII.

« Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Annæo Seneca, simul Præturam impetrat, lætum in publicum rata, ob *claritudinem studiorum ejus*, utque Domitii pueritia *tali magistro* adolesceret, et consiliis ejusdem ad spem dominationis uteretur. »

IDEM, lib. XIII.

« Quamquam oratio composita a Seneca *multum cultus* præferret, ut fuit illi viro *ingenium amœnum*, et temporis illius auribus accommodatum. »

IDEM, eodem libro.

« Burrhum tamen et Senecam *multarum rerum experientia cognitos*. »

PLINIUS, lib. XIV, cap. 4.

« Novissime Annæo Seneca *principe tum eruditionis*, ac po-

[1] *Nomentana Regio :* Ubi prædium et vineæ Senecæ, epist. CIV et CX.

tentiæ, quæ postremo nimia ruit super ipsum, minime utique miratore inanium. »

PLINIUS JUNIOR, lib. V, epist. III, de his qui doctrina et moribus insignes amatoria luserunt.

« Sed ego verear ne me non satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Calvum, Asinium Pollionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, etc. Annæum Senecam, etc. »

FRANCISCUS PETRARCHA, epist. ad Annæum Senecam.

« Plutarchus (inquit) siquidem Græcus[1] homo, et Trajani principis magister, suos claros viros nostris conferens, quum Platoni et Aristoteli, quorum primum divinum, secundum dæmonium Græci vocant, Marcum Varronem, Homero Virgilium, Demostheni Marcum Tullium objecisset, ausus est ad postremum et ducum controversiam movere, nec eum tanti saltem veneratio discipuli continuit. *In uno sane suorum imparia prorsus ingenia non erubuit confiteri*, quod quem tibi ex æquo in moralibus præceptis objicerent, non haberent. »

IDEM, epistola contra Gallum.

« Et cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus magnus vir et Græcus ultro fatetur, *nullum in Græcis fuisse, qui sibi in moralibus possit comparari.* »

[1] *Plutarchus si quidem Græcus.* etc. Unde hæc Petrarcha, nescio : in hodierno Plutarcho non puto legi. Bis quidem nominat Senecam : sed sine laudatione alia aut elogio. Semel libello, De non irascendo : «Ideo, inquit, quum Nero tabernaculum quoddam octangulum, forma et pretio eximium confici jussisset, Seneca ad eum : Ostendisti pauperem teipsum ; nam si hoc amiseris, tale non reparabis. Et ita evenit, quum navis submersa esset, periit et tabernaculum : quod Nero tamen moderatius tulit, memor Senecæ admonitionis. » Iterum in Galba, ubi de Othone : « Otho utebatur familiariter Seneca, cujus opera et monitu missus est a Cæsare proprætor in Lusitaniam. » Attende obiter ; generosa illa postea mors Othonis, ab hac consuetudine et præceptis Senecæ profecto fuit. Aliquid, etsi molli, ex forti amicitia adhæsit. Hactenus in Plutarcho reperio : cætera fide Petrarchæ nituntur. (Qui quidem, ut sæpe patet, non nulla veterum scripta in manibus habuit quæ nunc deperdita sunt.)

Fronto orator apud Joh. Salisberiensem Polycrat, lib. VIII.

« Seneca tantus utique, quem Fronto, secundum quosdam nepos Plutarchi, asserit, *sic universos exterminare errores*, *ut aurea videatur sæcula reformare, et Deos ab humano genere exsulantes, ejus opera revocatos, hominibus contracta societate misceri.* »

Dio lib. LIX.

Ὁ δὲ δὴ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος Λούκιος ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ᾽ ἑαυτὸν Ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας, διεφθάρη παρ᾽ ὀλίγον, μητ᾽ ἀδικήσας τὶ, μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ τοῦ Γαΐου καλῶς εἶπε : « Annæus Seneca, qui *omnes sui ævi Romanos*, multos vero et alios *sapientia anteivit*, propemodum periit : etsi nihil admisisset vel suspicione levi, sed quia causam quamdam in Senatu, præsente Caïo, diserte egerat. »

Xiphilinus in Nerone.

Ἐδυσχέραινεν ὅ τε Σενέκας καὶ ὁ Βοῦρος, φρονιμώτατοί τε ἅμα καὶ δυναστώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες, etc. » Ægre tulerunt Seneca et Burrhus, prudentissimi simul et potentissimi eorum qui Neroni aderant. »

Juvenalis, Satyra V.

Nemo petit modicis quæ mittebantur amicis,
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri.......

Idem, Satyra VIII.

.... Quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni ?

Idem, Satyra IX.

Temporibus diris igitur jussuque Neronis
Longinum, et magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, et egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Martialis, lib. VIII, ad Ovidium.

Facundi Senecæ potens amicus.

AUCTORUM ELOGIA.

MARTIALIS, lib. XII.

Non es, crede mihi, bonus; quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum.

TERTULLIANUS de Anima, cap. 20.

Seneca, *sæpe noster*.

AUSONIUS in Gratiarum actione pro consulatu suo ad Gratianum Imperatorem.

Dives Seneca, non tamen consul.

SIDONIUS APOLLINARIS ad Felicem.

Non quod Corduba præpotens alumnis
Facundum ciet, hic putes legendum,
Quorum unus colit hispidum Platona,
Incassumque suum monet Neronem.

Cetera elogia inter Fragmenta reperies ad nostræ editionis calcem.

JUSTI LIPSII

MANUDUCTIONIS

AD

STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBRI TRES;

L. ANNÆO SENECÆ

ALIISQUE SCRIPTORIBUS ILLUSTRANDIS.

JUSTI LIPSII

MANUDUCTIONIS

AD STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBER PRIMUS.

Quum nobis nullum aliud propositum sit, nisi ut lectori facem ad Senecæ scripta prælucentem præbeamus, ex hoc primo Justi Lipsii Manuductionis libro ea tantum excerpenda censuimus quæ ad hunc finem conferebant. Itaque prima novem capita, quæ circa philosophiam generatim sumptam, illiusque doctrinæ commoda et varios eventus versantur, quamvis per se optima sint, omisimus, ab iis tantum hanc Manuductionem incipientes, quæ ad Stoicos vere spectant. Attamen, ut tractatus ordo rerumque series percipi posset, Dissertationum titulos exscribendos curavimus.

DISSERTATIO I. *Adhortatio ad Philosophiam omni ætati aptam et utilem: et Liberales scientias non tanti videri.*

DISS. II. *Conducere tamen hactenus Liberales, si præparant: non autem insistendum et inhærendum iis esse.*

DISS. III. *Philosophiam non damnari, nec alienam, imo utilem Christianis esse. Tricas tamen et cavillos vitandos; et cum modo habendam.*

DISS. IV. *A quibus petenda Philosophia? Aristoteles et Plato laudati: nec tamen his solis adhærendum.*

DISS. V. *Electione utendum, et hoc fine Sectæ præcipuæ ostensæ: et primum Barbarica.*

DISS. VI. *De secta Italica: ejus auctore Pythagora: item bonitate, sed non diuturnitate. Aliquid de Nigidio Sextio et Seneca in hanc inclinatis.*

DISS. VII. *Tres Græcanicæ Philosophiæ partes, an sectæ: ac primo de Poetica.*

DISS. VIII. *De Ionica Philosophia, et Thalete auctore: de successione ejus, atque examinati Sidonii quidam versus de Socrate, et ab eo sectis, eæque in Tabula propositæ.*

DISS. IX. *Secta Eleatica, et variatio in auctore. Confundi cum aliis a quibusdam. Successio in tabella.*

DISSERTATIO X.

Stoici obiter laudati, eorum successio : et de auctore ipso Zenone.

STOICOS in hac recensione requiri a te jamdiu scio : sed dilatos a me, non omissos. Causa, quia seorsim dare placuit, philosophorum (pro meo sensu) maximos optimosque : ideoque seorsim, et in sua Tabula, dabo apices eorum, et qui familiam hanc, ut sic loquar, duxerunt. Caput omnium,

		ZENO, CITTIEUS.		
PERSÆUS, Cittieus.	ERILLUS, Carthaginiensis. (*Qui defecit.*)	CLEANTHES, Assius.	ARISTO, Chius.	ATHENODORUS, Solensis.
	SPHÆRUS, Bosphoranus.		CHRYSIPPUS, Solensis.	
	DIOGENES, Babylonius.		ZENO, Sidonius.	
	ANTIPATER, Sidonius.		ZENODOTUS.	
		PANÆTIUS.		
	POSIDONIUS.	ASCLEPIODOTUS.	APOLLONIUS.	

Et plures, quorum nomina facilius, quam successionem aut ævum, certo dare. Ergo quosdam differo, istos levi luce perfusurus. ZENO ductor est, qui « Cratetis cynici auditor, verecundia prohibitus, ne in illam impudentiam (Diogenis verba) se daret. » Itaque dogmata fere tenuit, sed leviter a vitæ genere et habitu abivit. Is patria Cittieus fuit, id est e Cittio Cypri oppidulo, ad mare, ortus. Strabo : « Cittium, habet portum qui claudi potest; illinc ortus Zeno, stoicæ sectæ dux et princeps. » (Lib. XIV.) Diogenes : « Zeno Cittieus, e Cypri oppidulo Græcanico, sed quod Phœnicas incolas habuit. »

Suidas hoc ipsum « Pœnus cognomine dictus est (Zeno) quoniam Pœni (Græce *Phœnices*) incolæ oppiduli fuerunt. » Cicero huc spectat, aut qui apud eum Zenoni illudunt : «Tuus ille Pœnulus (scis enim Cittieos, clientes tuos, e Pœnicia profectos) verba versare cœpit. » (IV De Finib.) Et alibi : « Zeno Cittieus, advena quidam, et ignobilis. » (V Tusc.) Illudunt, in quo jure glorietur ipse : e majoribus esse Syris, et Judææ finitimis, a quo tractu sapientia in alias oras, ut dixi, diffusa. E qua autem Pœniciæ parte ? Sidone, ut opinor ; ex Diogene : « Afficiebantur erga Zenonem etiam Cittiei, qui in Sidone erant. » (In Zenone.) Ut appareat eam gentem, sive familiam amplam, colonias emisisse, et illam a se in Cypro urbeculam dixisse. Patria ergo talis : quis ipse? peregregius : factis, verbis, scriptis laudatus, et laudandus. Vita continens, adstricta, et austeritati atque inopiæ propior : et quod in Decreto publico Atheniensium perscribitur, « aurea corona donatus (raro in id genus hominum honore) quia vitam suam exemplar omnibus proponebat, consentaneam verbis ac doctrinæ. » O vere philosophum ! et qui paratis opibus donisque abstinuit, imo sprevit. Nam rex Antigonus Gonatas (inter bonos magnosque ponendus) sæpe ad hunc visendum, audiendum, fruendum Athenas venit : ad se præmiis evocavit : nunquam movit. Itaque dicere solitus rogantibus, Cur illum ante omnes suspiceret ? — « Quia, inquit, multa me et magna sæpius offerente, nunquam neque elatus neque humilis apparuit. » Vult dictum, mansisse in tenore et æquilibrio illo animi, in sola virtute fundati. Itaque illo mortuo, idem rex proclamavit : Quale theatrum perdidi ? Sed quanquam in amicitia hac Regis et totius populi affectu, pauper perseveravit, uno an nullo servo contentus ? De uno, Diogenes suadeat, qui aliquando percussisse servum in furto deprehensum narrat : de nullo Seneca, qui satis adfirmate : « Unum fuisse Homero servum, nullum Zenoni, a quo cœpit Stoicorum rigida et virilis sapientia, satis constat. » (Consol. ad Helv., cap. 12.) Ne dubitari quidem vult : esto, faveo et credo. Vita, moribus, sermone, habitu, severum vel, prave interpretantibus, austerum fuisse autumant : nisi si in convivio et potu : ubi remittebat, et

detendebatur. Omisi dicere, de initio ejus sive aditu ad Philosophiam : qui ab injuria Fortunæ, aut verius beneficio fuit. Mercator enim, et dives (ad mille talenta possedisse dicitur) Athenas venit, purpuram e Tyro venalem vexit : naufragium fecit, et in portum Philosophiæ venit. Nam quum Athenis mœstus versaretur, legere cœpit, rogare, discere ; denique Crateti adhærere : annos jam natus circiter triginta. Vixit autem nonaginta octo, ut plerique tradunt : ut Persæus ejus discipulus, duntaxat septuaginta duos[1]. Sepultus publice, ex decreto Atheniensium, in Ceramico : Diogeni traditum, in quo et verba Decreti. Pausanias non pugnat, qui monumentum Zenonis, et Chrysippi Solensis, extra urbem ponit, prope Academiam : quia duplex scilicet Ceramicus, et in urbe via, et extra urbem ager, ubi sepeliri solent de rep. bello vel aliter bene meriti. Pluria scripsit : sed quod excerpam ad ingenium judiciumque viri notificandum, Pythagorica, et Quæstionum Homericarum libros quinque. Vides in quibus auctoribus deditus fuerit? utroque capite Sapientiæ, et quod ejus alumni mecum mirentur.

DISSERTATIO XI.

Discipuli ejus, et præcipui deinde doctores : descripti vel laudati ab aliquot notis.

At hunc CLEANTHES excepit, qui Φρεάντλης joco dictus, a labore quem noctibus sumebat, puteos exhauriendi ; ut diem studiis, et alimenta sibi daret. Præter Diogenem, etiam Seneca : « Cleanthes aquam traxit, et rigando hortulo locavit manus. » (Ep. XLIV. lib. XIII.) Patria Assus fuit, urbs Æolidis : quod et Strabo sic testatur. « Natura et arte munita est Assus, a mari et portu arduum et difficilem ascensum habens. Cleanthes Stoicus philosophus, qui Zenoni Cittieo successit in schola, et eam Chrysippo Solensi reliquit, hinc natus est. » Simplicius, « Statuam Cleanthis admirabilem se vidisse » testatur, « in ipsa Asso, magnificentiæ Romani Senatus specimen, viri ejus honori dedicatam. »

[1] Ipsemet in epistola ad Antigonum, octogenarium se scribit.

(Comment. ultimo in Epict.) A Cicerone « Pater Stoicorum » dicitur (III De Nat. Deor.) : et alibi, « Majorum gentium Stoicus. » (IV Academ. Quæst.) Meruit hæc et plura elogia, ipse quoque vita ac scriptis egregius : et multa horum versu Iambico complexus. Fragmenta docent. Longævus item, et Zenonis annos dicitur æqu asse. Diogenes : et adde Lucianum in Longævis.

Chrysippus huic successit, cui Soli patria, urbs Ciliciæ, postea Pompeiopolis dicta : quod prædones ibi Pompeius locasset. Diogenes ambigit an non Tarsensis fuerit : Strabo definit, « Chrysippum Solensem, patrem vero Tarsensem : sed huc commigrasse. » (Lib. XIV.) Mirifice hunc laudant, ut Cicero : « Chrysippus acerrimo ingenio. » Iterum : « In omni historia curiosus. » Itemque : « Somniorum Stoicorum vaferrimus interpres. » Denique alibi : « Qui fulcire putatur porticum Stoicorum. » (II De Nat. Deor.) Cui adsonat illud παροιμιῶδες apud Diogenem :

> Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά·
> Chrysippus haud esset, nec esset Porticus.

Et doctrina sane multa, lectione, atque scriptione fuit : adeo ut volumina reliquerit ad septinginta et quinque : vicitque numero priores omnes, victus ab Epicuro. Itaque Cicero alibi : « Nihil esse a Chrysippo prætermissum in Stoicis. » (I De Finib.) Nube autem testimoniorum in scriptis uti solet ; adeo ut in quodam opere quum Euripidis Medeam totam fere inseruisset, qui librum tenebat rogatus, Quid scripti esset? — « Euripidis Medea, » facete responderit. (Diogen. in Vita.) Logicæ autem plurimam operam dedit : ingenio atque arti ita fisus, ut dictitaret : « Doctrina dogmatum (id est Decretorum) se egere tantum : nam probationes a se reperturum. » (Ibid.) Et vulgo jactabatur : « Si dii vellent Dialectica uti, Chrysippea usuros. » (Ibid.) Itaque « solius Logicæ partis volumina reliquit trecenta undecim. » (Ibid.) Notabile, an et laudabile? Negat Seneca, et audet « Chrysippum in ordinem cogere, magnum virum, sed tamen Græcum : cujus acumen nimis tenue retunditur, et in se sæpe replicatur : etiam quum agere aliquid videtur, pungit, non perforat. » (I De Benef., c. 4.) Bonum judicium, et universe etiam amplectendum. Sane Chrysippus, a moribus et vita ad

disputatiunculas divertisse videtur : et uno verbo, virilem illam Sapientiam enervasse. Etsi ipse in vita tamen purus, et animi erecti, adeo ut, quum multa scripserit, numquam Regi aut Dynastæ aliquid inscripserit : extra ambitionem, et fructu operis aut fama contentus. Sed et sui magna fiducia, cuidam roganti, « Cu filium optime instituendum traderet? » respondit : « Mihi; nam si quem supra me putarem, ipse me ei darem. » (Diog.) Magnum ingenium fuisse, clarum est; virum, probabile; nec de Logica nimis obstat, quia ipse quoque ostendit et edixit, talia juvenibus magis, et in flore aut luxu quodam ingeniorum, quam viris senibusque convenire. Nam ad Dialecticum Cleanthi imminentem: « Desine, inquit, hunc grandem natu a seriis abducere : nobis juvenibus hæc propone. » (Diog.) Sentiebat, juvenes præparari per hæc talia et exerceri : viros et maturos in melioribus esse. Cæterum acuminis laudem tulit, et Seneca de eo pronunciat : « Chrysippus, penes quem subtile illud acumen est, et in imam penetrans veritatem : qui rei agendæ causa loquitur, et verbis non ultra quam ad intellectum satis est, utitur. » (I De Benef. c. 3.) Nota inibi et Brevitatem, et quamquam multa, non multis scripsisse : quod proprium fere Stoicorum fuit. Vixit annos LXXIII, et statua ei ab Atheniensibus posita, in Ceramico, quam, quia ferme a vicino equite occuleretur, Carneades Κρύψιππον appellabat. Cicero ejus meminit : « Statua est in Ceramico Chrysippi, sedentis porrecta manu. » (De Finib. I.) Non ergo mirum, occultum fuisse et oppansum ab equite, quia sedentem, ut solent docentes : et alias etiam tenui atque infirmo corpusculo fuit. Pausanias « Chrysippi Solensis statuam locat in Gymnasio, quod Ptolomæeum a conditore dicitur, haud longe a foro. » (Lib. I.) Ergo Ceramicum interiorem accipi hic magis est. Ad alios eo. — AUDITOR. Verbum interpono : qui Dialectica illa Chrysippi (nam observavi) sic in pretio, quum Aristotelis jam esset? qua nobis quidem nihil videtur perfectius aut acutius. — LIPSIUS. Nobis : alia olim judicia : nec nos in morte omnium Chrysippi operum sententiam feramus. Sequitur, et excipit

ZENO Sidonius, de quo Diogenes in Zenone, quum plures fuisse hoc nomine notat : « Quintus, inquit, Chrysippi discipulus, qui

libros quidem paucos scripsit, sed complures reliquit discipulos. » Eusebius, ubi Chrysippum nominasset, addit : « Nam hujus (Chrysippi) discipulum et successorem Zenonem, aiunt dubitasse super universi conflagratione. » (Lib. XV Præpar. Evang.) De hoc ipso Suidas, et dubitatum de patria ostendit : « Zeno Dioscoridis filius, Tarsensis : ut vero quidam, Sidonius, discipulus Chrysippi Tarsensis, Philosophi Stoici, et successor. » Ab eodem doctore

Diogenes, cognomento Babylonius ; non quia vere ibi natus, sed a vicino et notiore loco sic dictus. Laertius : « Fuit et Diogenes Stoicus ex Seleucia oriundus : sed Babylonius, ob viciniam, cognominatus. » (In Vita Diog. Cynici.) Chrysippi auditor fuit : « Magnus et gravis Stoicus » Ciceroni insignitus. (Cic. I De Divinat. ; III De Offic.) Factum ejus, philosopho et Stoa dignum, in Seneca : « Diogeni Stoico de Ira quum maxime disserenti adolescens protervus inspuit. Tulit hoc leniter ac sapienter : Non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat. » (De Ira III, cap. 38.) Stoicum agnominat tantum ; et sic sæpe in Stobæo, atque hunc puto. Romæ fuit, legatus, de quo Cicero : « Lælio et Scipione adolescentibus, Stoicum Diogenem, et Academicum Carneadem, video ad Senatum ab Atheniensibus legatos esse missos : qui quum reip. nullam unquam partem attigissent, essetque eorum alter Cyrenæus, alter Babylonius ; nunquam profecto scholis essent excitati, neque ad illud munus electi nisi in quibusdam principibus (Romanis) temporibus illis fuissent studia doctrinæ. » (IV Tusc.) Sed addo etiam, Carneadem hunc discipulum Diogenis ejus fuisse. Ex ipso Cicerone : « Quum aliquid ejusmodi inciderat (*cavillatorium et spinosum*), sic ludere Carneades solebat : Si recte conclusi, teneo ; sin vitiose, minam Diogenes reddat ; ab eo enim Stoico Dialecticam didicerat. » (IV Acad. Quæst.) Huic auditor successorque fuit

Antipater Sidonius, quem Laërtius in Zenone, atque alibi, nominat. De disciplina a Diogene, Cicero auctor : « Aliud Diogeni Babylonio videri solet, aliud Antipatro discipulo ejus, homini acutissimo. » (III De Offic.) Atque alibi in primis Dialecticis

recenset : « Duo vel principes Dialecticorum, Antipater et Archidemus, opiniosissimi homines. » (IV Acad.) Attollit et Seneca : « Antipater, inter magnos sectæ hujus (Stoicæ) auctores. » (Ep. XCII.) Nominat et Epictetus (lib. III, Diss. XXI), velut inter Triumviros : et Plutarchus hoc quoque ad notitiam viri prodit : « Stoicus Antipater, quia non valebat neque volebat pedem conferre cum Carneade, scribebat autem et libros implebat suis in eum refutationibus, καλαμοβόας, quasi *calamo-clamator* dictus est cognomento. » (De Garrulitate.) Quod calamo scilicet inclamaret, voce mutus esset. Reperio et Antipatrum Tyrium, item Stoicum : qui Catoni Uticensi in adolescentia doctor, atque adeo in contubernio Romæ fuit. Plutarchus in vita Catonis hoc prodidit : estque ille de quo Cicero : « Antipater Tyrius Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus. » (II De Offic.) Verius autem, hunc diversum a priore esse : sicut et Antipatrum Tarsensem, quem inter illustres Stoicos Strabo nominavit. An non iste sit, quem Cleanthis γνώριμον, id est discipulum, Clemens Alexandrinus fecit ? (Lib. XIV.) Primo illi successit

PANÆTIUS, ille inclytus, et inter vertices, de quo Cicero : « Posidonii doctor, discipulus Antipatri, Panætius. » (I De Divin.) Rhodius patria fuit : quod Strabo notavit (lib. XIV.), ejusque majores inter belli duces, aut athletas. Magni eum fecit idem Cicero, ornavitque elogio : « Panætius princeps, meo quidem judicio, prope Stoicorum. » (IV Acad.) Iterum : « Homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Lælii. » (IV De Finib.) Enimvero Scipio ille Africanus posterior, ita virum æstimavit et amavit, ut domi habuerit, nec a se dimiserit, etiam quum ad res aut bella iret. Cicero : « Historiæ loquuntur, P. Africani, in nobili illa legatione, quam ante censuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuisse. » (IV Acad.) De qua ipsa re Plutarchus : « Missus Africanus ad res regum inspiciendas, Alexandriam venit. Comitabantur eum amicus unus, philosophus Panætius, servi quinque. » (In Apoph.) Diu vixisse apparet ; nam Cicero ex Posidonio tradit, « triginta totos annos superfuisse, postquam libros De Officiis edidisset. » (III De Offic.) Seneca nominat aliquoties, sed tantum.

Posidonius, discipulus prioris, ut dixi; Apameæ in Syria natus. Alius ab isto est,[1] item Stoicus (de quo et Suidas), qui Alexandrinus Diogeni agnominatur : ævo anterior, et Zenonis ipsius auditor. Sed hic noster nobilior, et Senecæ laudatus : « Posidonius, ut mea fert opinio, unus ex iis qui plurimum philosophiæ contulerunt » (Epist. XCI.); Ciceroni : « Vidi in podagræ dolore vel omnium maximum Stoicorum Posidonium. » (Ex Fragm. libri de Philosophia.) Quidni laudet? inter doctores eum habuit, et Rhodi operam dedit. Nam inibi vixit plurimum, remp. rexit, scholasque habuit, etsi alibi natus. Strabo : « Posidonius Rhodi remp. administravit, et Sapientiæ studia docuit, in Syriæ tamen Apamea natus. » (Lib. XIV.) Idem vixisse circa suum ævum ostendit, laudatque : « Vir philosophorum nostri ævi plurifariam doctissimus. » (Lib. XVI.) Narrat Cicero (II Tusc.), Pompeium ejus visendi audiendique, e Syria redeuntem, deflexisse Rhodum (addit Plinius, Lib. VII, cap. 30, « percuti de more fores a lictore vetuisse, et fasces januæ submisisse eum, cui se Oriens Occidensque submiserat ») : deflexisse, inquam, Rhodum : et quum decumbentem, graviter podagra ægrum, reperisset, doluisse quod audire eum non posset. Sed Posidonium non tulisse, ut frustra tantus vir venisset, itaque dixisse, cum dolore interpellante pugnantem, et subinde exclamantem : « Nihil agis, dolor, quamvis sis molestus, nunquam confitebor te malum esse. » Hæc magni et stoici animi, diversa ab iis quæ in Fragmento ejusdem Ciceronis alibi : « Vidi in dolore podagræ vel omnium maximum Stoicorum Posidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium hospitem meum, fortiorem. » (In Hortensio.) Sed cave Ciceronis ea censeas; imo alterius (ut in Dialogis) philosophos oppugnantis et suggillantis : an non ipsius Hortensii? Qui Rhodi pariter eum viderit : etsi Romæ etiam potuit, si vere Suidas; « Posidonium Romam, ducente M. Marcello venisse. » Hoc vero magis assidet, quam cum Scipione Africano vixisse : etsi in Athenæo palam scriptum. Nam ubi Strabonem Geographum laudasset, addidit ad ævum ejus notandum, « Non ita recentem scriptorem esse, quippe qui scribat in libro VII Geographiæ, cognovisse sese Posidonium

illum Stoicum philosophum, qui Scipioni Carthaginis domitori adhæsit, convixitque.» (Lib. XIV.) Hæc sunt nimia mira : nec de Posidonio, sed Panætio certa. Itaque id nomen omnino reponendum, nisi latum et ridicularium errorem Athenæus erravit. Potuit autem Strabo novisse Panætium, qui ad ultimum senium venit, adolescens. Tamen hodie in Strabonis hæc non legas, nisi fallor. Hic est porro Posidonius, cujus moderatio, non eruditio solum laudatur, judicio Stoicus : et ideo aliquando dissentiens, ut qui « sectam deserere maluerit (Galenus de eo) quam veritatem.» Atque ista fere successio est ad Augusti ævum : neque ultra quæro. Addam e Sidonio imagines et habitudines quorumdam. Nam ille in epistola quadam, ait « per gymnasia vel prytanea pingi Zenonem fronte contracta, Chrysippum digitis propter mensurarum spatia laxatis; Cleanthem propter utrumque corrosis.» (Lib. IX, epist. IV.) Invenies inibi et de aliis Philosophis, sed ego meos excerpsi. De Zenonis fronte, non mirum; severus et subacerbus fuit, superciliosus. Zenodotus in Epigrammate :

> Ζήνων, σὺν πολιῷ σεμνὸς ἐπισκυνίῳ.
> Cum cano augustus Zeno supercilio.

Denique in proverbium ivit, *Stoicum supercilium* : et *Stoica gravitas*. De Chrysippi digitis constrictis, dissentire Cicero videatur, qui facit *sedentem, porrecta manu*. Sed potest pansa manus esse, et digiti cohærere, etsi non inflecti. Qui tamen habitus vix ad numeros in quibus complicari varie solent : ad quos palam Sidonius non hic tantum refert. Nam et alibi, « Chrysippi numeros, et Euclidis mensuras » ita jungit. (Lib. IV, epist. III.) An ad Soritem igitur hæc spectant, cui Chrysippus inventor, et illum numerosum adscensum vel descensum? Dicas ex eodem Sidonio (Carm. XXIII.) :

> Non hunc, si voluit rotare rhythmos,
> Quidquam proposito virum morari
> Chrysippus potuisset ex acervo.

Adde et Scholiastem Persii in illud,

> Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

Sed ut de mea mente dicam, longinqua satis hæc Sidoniana sunt

magisque obvium, ad Dialecticam et subtiles brevesque conclusiunculas ejus referri. Id enim digiti adstricti notare; et item manus porrecta, disputantem potest. Simile in Cleanthis corrosis digitis. Neque hic, inquam, assentior; quid enim singulare ille in Numeris aut Spatiis? et cur digiti ab iis corrosi? Vide an non ad diligentiam et intentionem viri magis referas: notumque per eam, rodi ungues. An et ad attritos digitos ab antlia obiter adspectum? cogitetur. Sidonius idem alibi (Carm. II.):

.... Arroso quidquid sapit ungue Cleanthes.

DISSERTATIO XII.

Alii aliquot clari Stoici; et præsertim qui in Senecæ scriptis.

Auditor. Alios omittis, in Tabella et Indice positos: juvet novisse. Sæpicule enim lego, et nomina occurrunt: neque ævo aut notis aliis semper distinguo. Lipsius. Ad laborem addis: si gratum tamen, exsequar, et spero profuturum.

Persæus est a latere primus; quem vides e schola Zenonis fuisse: atque ego e patria etiam addo. Nam et ipse Cittieus. Qua in re lusit apud Athenæum Bion Boristhenites: qui conspecta statua ejus ænea, in qua inscriptum, PERSÆUS ZENONIS KITTIEYΣ: « Ipse errasse scriptorem dixit, faciendumque οἰκιτεύς »; quod esset Zenonis famulus. Scilicet, quod in Diogene est, vere famulatum Zenoni tradunt, librosque descripsisse et alia ministeria obiisse: etsi postea ad Antigonum regem rediit, a quo donatus Zenoni fuerat. Apud istum (regem dico) sapientiæ peramantem, et titulo suo dignum, in gratia fuit, atque etiam ad rem civilem et militarem promotus. Nam Acrocorintho eum præfecit, a qua arce Corinthus ipsa, imo Peloponesus, pendebat: sed parum felici exitu, quum astu Arati Sicyonii arx capta fuit, et Persæus ipse ejectus, vel, ut quidam, interfectus. Ejectum lPutarchus refert, qui etiam dictum ejus postea narrat, cum disserente quodam, « Solum sapientem belli ducem esse: » subjecit: « Et nobis olim hæc visa, ex Zenonis scitis; sed mutavi, et juvenis Sicyonius (Aratum signabat) aliter me condocefecit. » (In Arato.) At interfectum, Pausanias clare: « Aratus,

inquit, quum Antigonus Acrocorinthum cum valido præsidio obtineret, quum alios pugna victos interemit, tum ipsum custodiæ præfectum Persæum. » (Lib. II.) Iterat hoc ipsum postea : « Aratus et Sicyonii præsidium Acrocorinthi totum ejecerunt, et interfecerunt Persæum ipsum ab Antigono præpositum. » (In Achaic. I.) Athæneus hæc talia narrat, illudens Philosophastro, et ait eum, « dum assiduis compotationibus indulget, arcem ipsam cum Corintho amisisse; illum, qui antea in suis ad Zenonem Dialogis contenderat, *Omnia recte facere sapientem, atque unicum belli ducem esse.* » (Lib. IV.) Atque ipse Plutarcho propior, ἐκπεσεῖν duntaxat, *excidisse* eum scribit, non interiisse. Scripsit Dialogos Conviviales, ex eodem Athenæo; et parum seria quædam alia certe parum ipse. Cicero hunc nominatum voluit : « Perseus Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa. » (I De Nat. Deor.) Et mox : « Perseus Cittieus. » Sed utrobique *Persæus* rescribendus, quia constanter Græci Περσαῖον dicunt.

Erillus, sive potius Herillus, qui omnia ad scientiam revocavit, et eam unum Bonum esse. Cicero aliquoties meminit : et Diogenes satis dicet, qui seorsim descripsit.

Aristo Chius a patria, item inter Zenonis γνωρίμους, id est *discipulos*, philosophantium lingua. Hunc Athenæus, ex Timone Phliasio, describit « Zenonis auditorem, sed adulatorem et asseclam Persæi, jam dicti, quia Antigono regi amicus erat. » (Lib. IV.) Cicero aliquoties memorat, et a Zenone suo abiisse ostendit. Nam « Aristo Chius, inquit, præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum et honestum est, esse dicebat. » (In Hortens. ex Fragm.) Sed explicat magis, et addit : « Aristonis explosa sententia est, dicentis nihil differre aliud ab alio, nec res esse ullas, præter virtutes et vitia, inter quas quidquam interesset. » (IV. De Finib.) Itaque *Media* omnia sustulit, nec in iis momenta ulla, quæ Zeno censuisset. Sed plura de ejus dogmate Diogenes, in fine Zenoniæ vitæ. Seneca virum nominat alibi hoc Chii cognomine, alibi Stoici : et ex ipso liquet eumdem esse. (Epistola LXXXIX et XLIV.) Etsi alii etiam Aristones, et duo quidem Peripatetici.

ATHENODORUS Solensis, quartus in Tabula discipulorum Zenonis est. Diogenes inter inclytos et præcipuos nominat: aliquoties et Seneca noster (etsi absque cognomine) sed puto istum. (De Tranq. cap. 3. Epist. x et alibi.) Alioqui et alii hoc nomine fuere; duos quidem Strabo suggerit, et Stoicæ item sectæ. « Tarsus Ciliciæ, inquit, edidit duos Athenodoros, quorum alter Cordylio cognomento, vixit cum M. Catone, atque apud eum obiit: alter Sandonis filius, quem et Cananitam a pago quopiam appellant, qui magnos honores a Cæsare Augusto, cujus doctor et familiaris fuerat, consecutus in patriam rediit, eamque turbatam ordinavit et rexit. » (Lib. XIV.) De M. Catone quod ait, Uticensem accipies, nam et diffusius hoc paulo in vita hujus Plutarchus denarrat. « Cato, inquit, incensus studio doctrinæ quum audisset Athenodorum Cordylionem cognomine, in Stoicis excellentem, Pergami agere, ætate jam grandem, atque eum regum et principum plurium amicitiam aut contubernia refugisse: arbitratus nihil se nunciis aut litteris profecturum, sumpto in duos menses jure legationis liberæ, ipsus in Asiam ivit, fretus virtutibus suis, quibus præda ea cederet. Quod factum: et expugnatum virum ac de sententia, post aliquot sermones, dejectum secum in castra duxit, ovans ac triumphans, ut re præclarissime gesta, splendidius justiusque quam Pompeius aut Lucullus de regibus aut regnis, quæ tunc maxime capiebant aut vastabant.» Nota Pergami egisse: et ergo εἰκότως (*probabiliter*) esse illum, de quo Diogenes (in Zenone.): « Athenodorum Stoicum Pergamenæ bibliothecæ præfuisse, inibi libros Zenonis interpolasse, sublatis quæ invidiam aut infamiam vulgo habebant. Sed deprehensum, ipsum in periculo fuisse; » et an ea quoque causa, cur facilior Catoni fuerit abducenti? Tres igitur Athenodori Stoici, et omnes Cilices: ultimus autem Plutarcho in Apophthegmatis nominatus, et Dioni in rebus Augusti.

SPHÆRUS Cleanthis discipulus, etsi Zenonem quoque audivit. Bosphorus ei patria, et de vita ac scriptis ejus pauca seorsim Laertius: quem est videre. Cicero una nota commendat: « Definitiones superiores erant Sphæri, hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici. » (IV Tusc.) Plutarchus Cleomenis

Spartani illius præceptorem facit, et ad gloriam hunc inflammasse. (In Agide et Cleom.)

De ZENONE Sidonio supra dixi : neque enim firmiter scio, quis in schola Chrysippo successerit.

De ZENODOTO, ex Laertio Diogenis discipulum fuisse. (In Zenone.)

Est APOLLONIUS et ASCLEPIODOTUS : ille Straboni, hic Senecæ aliquoties dictus.

Sed postremi hi parum nobiles : duo sunt extra ordinem dicendi. Prior ARCHIDEMUS, sive ARCHED., ut plurimum[1] scriptus. Hunc Diogenes satis crebro nominat, et quidem inter primores Stoicos, quibus jus censendi. Tarso Ciliciæ ortum Strabo significat : si tamen de isto. « Et incolæ, inquit, tantum curæ ardorisque erga sapientiæ et variæ doctrinæ studia habuerunt, ut vel Athenas vel Alexandriam superaverint, et sicubi inclytæ et frequentes etiam sunt Scholæ. Viri illustres ex ea prodierunt, Antipater, et Archidemus, et Nestor, Stoici. » (Lib. XIV.) Epictetus sæpius nominat, sed semper ut inter vertices, et qui vulgo sic censeretur. (Lib. II, Dissert. IV, et XVII, et XIX. Lib. III; Dissert. II.) Etiam noster Seneca : « Exclamanti alios opponam cum quibus litiges, Posidonium et Archidemum. » (Ep. CXXI.) Cicero de eodem : « Duo vel principes Dialecticorum, Antipater et Archidemus. » (IV Acad.) De isto, an alio, Plutarchus? cujus verba, ubi ostendit multos voluntarium exsilium elegisse : « Atheniensis, Archidemus, in Parthorum regionem se tranferens, in ipsa Babylone Stoicam successionem reliquit. » (De Exsil.) Notabile, etiam Parthos huic sectæ insertos : et magnum viri ardorem, qui ivit, docuit, fecit. Dubitavi an idem esset : imo non videtur, cum illo Strabonis certe, qui Tarsensis, non Atheniensis fuit. An diversi Archidemus, et Archedemus?

Alter quem volui suggestum, est SOTION. Debui Senecæ causa, cui doctor ille fuit. Nam ita in epistola quadam, ubi præteritos annos recolit : « Modo apud Sotionem philosophum puer

[1] Græcis quidem; nam Latinis fere ARCHIDEMUS.

sedi.» (Ep. XLIX.) Iterumque: « Non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagoræ Sotion injecerit.» (Ep. LVIII) An ergo Pythagoreus fuit? vix credam: sed non alienum ab ea abstinentia, fortasse et aliis magnanimi viri scitis, aut institutis. Sitne hic, quem Diogenes et Athenæus citant, libris De successione Philosophorum: quem Stobæus, De Ira; non adfirmem, vereor ut ille antiquior sit: magis inclinem esse, quem Plutarchus circa suum, id est Senecæ ævum fuisse ostendit. In libro, De pietate fraterna: «Sed et recentiorum philosophorum Apollonius Peripateticus reprehendit et refutavit qui dixerat, Gloriam esse incommunicabilem, quippe juniorem fratrem Sotionem illustriorem quam seipse reddidit.» Tangit aliquod factum circa fratrem, nobis ignotum.

Satis de Stoicis nobilioribus: nunc causam nominis hujus breviter etiam dicam. Zeno in Porticu docuit, quæ Pisianactæa olim dicta, postea picturis varie a Polygnoto decorata, nomen illud ποικίλης sive *Variæ* accepit. Inde igitur nomen, et ἀπὸ στοᾶς, littera mutante et augente, Στωϊκοὶ appellati. Bono omine pinxit ille; et πολύγνωτον (*multi-notum et nobilem*, ad nomen *Pictoris* allusum) hanc *Porticum*, et *Porticenses*, ut latine sic reddam, orbi terrarum factos scimus. (Diog. in Zen. init.; Plutarch. in Cimone; Harpocration in *Polygnotus;* Pausan.; Persius, Sat. III. ibi Schol.)

DISSERTATIO XIII.

Cynicos originem Stoicis dedisse, et Dogmata fere convenire. Illi ex professo laudati.

ANTEA Zenonii appellabantur etiam: et cur non Cynici? nam revera sunt pæne iidem. Itaque et ortum Stoicæ, sunt qui Antistheni adscribant, Cynicæ eidem conditori. Diogenes aperte: «Videtur et virilis illius Stoicæ sectæ princeps auctorque fuisse.» Quidni videatur? dogmata consentiunt, in vita et cultu aliquid mutant. Itaque poeta recte:

> Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat
> A Cynicis tunica distantia:

sive quia veste et habitu differebant; sive quia verecundia tantum, et tegebant Stoici, quæ illi in aperto audebant. Sane, ut Diogenes ait (In Menedemo.) « communio et societas quædam est his duabus sectis, unde et Cynicismum dixerunt brevem ad virtutem viam. » Qui dixerunt? Ipsi Stoici. Atque adeo Zeno definivit, « Sapientem Cynicum debere esse, atque Cynicismum, compendiariam ad virtutem viam. » (Diog. in Zenone.) Aud. Ita mihi Stoicos tuos laudas? et Cynicos etiam facis? Apage sordes illas, et impudentiam; mihi Cicero inclamat: « Cynicorum natio tota ejicienda est. Est enim inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. » (I De offic.) Lips. Cicero, id est vulgus: hic quidem; frustra autem de Sapientia loquimur, si ad illum judicem imus. Prima fronte qui Cynica adspicit, tecum dicet: qui restat et inspicit, munditias, pudorem, decus, virtutem inveniet et laudabit. Itaque breviter exploremus: et quidem ab ipso nomine, quod in ludibrium aut probrum trahunt. Aiunt a *canis impudentia* sic dictos, quia naturæ in publico obsequuntur, ingerendo, egerendo, atque etiam inserendo, animalis illius exemplo. Quod Empiricus abnuat, qui ubi Canem laudavit a sagacitate aut prudentia, « quod commoda appeteret, incommoda vitaret; mala agnosceret, et mitigaret; sed et justum, memorem, gratum esse; animosum, et malis infestum: » addit: « inde factum videri, ut philosophi quidam (Cynici) se hujus animalis cognomine commendarint. » (Lib. I, Pyrrhon. cap. 14.) Bene; quid enim tam proprium Cynicis, quam bonos tueri et favere, malos invadere et allatrare? Laertius et aliam causam suggerit: « Docebat, inquit, Antisthenes in Cynosarge gymnasio, haud procul a portis: unde et Cynicam sectam dictam sunt qui opinentur. Ipse quidem appellabatur ἁπλοκύων: simplex et ingenuus Canis. » In nomine, hoc est: dogmata autem si videas recto animi oculo, quid culpes, imo quid non suspicias et admirere? « Virtutem sufficere ad beatam vitam. Eam in rebus factisque esse, non verbis. Sapentem sibi satis esse: ejus enim omnia. Nihil ei novum videri: Regem esse; non ad legem, sed virtutem vivere. Sola bona pulchra; mala, turpia. Denique Finem homini secundum vir-

tutem vivere. » Non hæc alta, et puri æthereique animi et judicii dicas? Sed nemo melius veriusque legitimum Cynicum (falsos insuper habemus) descripserit, quam magnus ille Epictetus, in Dissertatione huic rei propria, quam περὶ Κυνισμοῦ, *de secta Cynica*, indigitavit. (Lib. III, Dissert. XXII.) In compendio, et ordine aliquo dabo, quæ ille, Stoico suo more, calide aut confuse: « Cynicus, inquit, explorator quidam est, et velut legatus a Jove ad visendas res humanas. Diogenes ille, inter capita ejus sectæ, post Chæronensem cladem ad Philippum regem perductus fuit, ut speculator. Statim fassus est, et, Sum, hercules, inquit, sed tuæ ambitionis, sævitiæ, et luxus. Itaque monet et inclamat libere, quæ bona, quæ mala sint demonstrat, appetenda, fugienda; et elata manu, velut tragica scena conscensa, homines miseriarum suarum, et vitiorum admonet, ab iisque ad meliora (quantum in ipso est) compellit. Idem est publicus doctor et pædagogus generis humani, instruit simul ac castigat.—(Lib. IV, Dissert. VIII.) Idem medicus et velut Æsculapius quidam: qui statim demonstrare possit, et illos si curatione sua utantur sanos fore, et suam valetudinem in argumentum proferre. Convenite omnes, inquit, qui e pedibus, e capite, qui febri laboratis, convenite cæci, amentes; ac videte me ab omni malo expertem et salvum. Denique dominus et rex est sceptro et diademate a Deo ornatus: qui tales facere pollicetur sibi audientes. Ut sciatis, o mortales, vos felicitatem et tranquillitatem, ubi non est, quærere: ecce ego exemplum a Deo vobis sum missus. Non rem habeo, agros, domum; non uxorem, liberos, familiam; imo nec stragulum, aut tunicam, aut aliud vasum. Videtis tamen quam sanus sim? facite mei periculum. Nihil habeo, nihil egeo, ne cupio quidem: non hominem, non locum, non oblectatiunculam, sicut pueri Vindemiæ dies aut ferias.—(Iterum e III Dissert. XXII.) Ecquid mihi deest? nonne sine metu sum? nonne liber? Quando quisquam me in vovendo frustratum vidit? quando in vitando? Quando deum vel hominem aliquem incusavi? Quomodo autem alacer et erectus incedo? quomodo eos tracto et convenio, quos

vos timetis? nonne ut mancipia? Quis me conspecto se regem et dominum suum videre non putat? Hæc ago, hæc curo: sicut eum oportet,

> Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλεν:
> Qui populos moderetur, et ampla negotia curet. (Ex Hom.)

Atque hæc libere omnia, sine trepidatione aut respectu: quippe qui sole puriorem mentem conor circumferre. Non habeo satellites, gladios, pompam sive terriculamenta ista externa: eorum loco bona conscientia dat fiduciam mihi et potestatem. Non ipse reprehendendus, in alios incurro; verecundia ubique ornatus, et honesti amore, illud sine lege aut pœna colo. Cæteri parietibus, januis, velis teguntur: ego sub dio, in propatulo ago, omnium oculis et inquisitioni expositus, Deo me probo. Atque hæc quum facio, evenit ut male audiam, imo vapulem: quid mirum a pueris aut fatuis, et qui tangi ulcera sua nolunt? Ego vero affectum aut curam non muto, aut mitto: dum vapulo, *eosipsos qui verberant diligo*, tamquam pater omnium, tamquam frater. Neque animo solum ita firmus et constans sum, sed corpus sufficit: et illo ipso doceo, tenuem, et frugalem victum vires augere, adeo non lædere sanitatem. Quid calorem, frigus, incommoda? nihil. Ecce circumfero corpus meum, ut Diogenes, nitidus, pinguis, bene habitus: credite oculis sensibusque vera dici. » Hæc et plura (utinam audire fas!) germanus ille Cynicus: de fucis, nullus hic sermo. Neque nego in summo istos esse, ideoque vicinos lapsui, aut faciles transilire. Seneca noster signate scripsit: « Hominis naturam Stoicos vincere, Cynicos excedere. » (De Brevitate Vitæ, cap. 14.) Ita est: quidquid supra Stoicos, modum pæne supra est: sed nec inutile, in una parte sic esse, ut ad modum deinde ducant. Diogenes agnoscebat, et fatebatur, « imitari se chori magistros: qui tonum leviter excederent, sed ut reliquos revocarent ad concentum. » (Laert. in Diog.) Pulcherrime. Sint magnæ istæ animæ, quæ omnia externa calcent, despuant: et aliquid in rigore fortassis excedant, ut mollitiem nostram vincant. Ecce

in Seneca exemplum Demetrii : qui aut familiaris illi, aut doctor fuit, et plerisque item melioris animi aut studii Romæ notus, et carus. De quo ille quam honorifice ! « Demetrius Cynicus, vir meo judicio magnus, etiam si maximis comparetur. » (VII De Benef. cap. 1.) Et meo hercules, ex iis quæ de ipso sparsim lego. Nam et Tacitus laudabiliter meminit : et noster iterum effusa, sed ex animi sensu, laudatione : quis enim mendico aduletur? noster inquam : « Demetrium, quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi, et nos corripi posse, virum exactæ, licet ipse neget, sapientiæ, firmæque in his quæ proposuit constantiæ. Eloquentiæ vero, quæ res fortissimas deceat, non concinnatæ, nec in verba sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. » (Ibid, cap. 8.) Sed et alibi profitetur, « Demetrium virorum optimum, quem, inquit, mecum circumfero (in comitatu habeo), et relictis conchyliatis, cum illo seminudo loquor, illum admiror. Quidni admirer? vidi nihil ei deesse. » (Epist. LXII.) Sapis, Seneca; plus una hora tibi ille conferet, quam alii multis annis. « Nihil, inquit, deest. » Imo omnia desunt, si rem spectas, si animum, nihil. Iterum noster : « Ego certe aliter audio, quæ dicit Demetrius noster, quum illum vidi nudum, quanto minus quam stramentis incubantem? Tunc enim non præceptor veri, sed testis est. » (Epist. XX.) Da aures aliquid e nostro sæculo accommodanti. *Cappucinos* istos quos dicimus, veræ virtutis, patientiæ, inopiæ, et (quod antiquis defuit) pietatis exemplar, quis sine animi aliquo motu et impulsu videt? quis non vel visos conferre ad eadem illa putat? ego censeo : et tales omnino Cynicos fuisse : excipio pietatem, ut dixi, et verecundiam : quarum illam ævum illorum abnuit, hanc institutum. Carpere enim et corrigere volebant : atque ore et animo ad eam rem opus. Sectam vides : altam simul et abjectam, nihil populare, nihil splendidum, imo nihil externum spectantem et sectantem : ideoque paucis serio, neque diu probatam. Certe Sidonii jam ævo deliquerant, scribitque in enumeratione Sectarum :

Exclusi prope jam Cynici, sed limine restant :

id est, adeo pauci, et sic pulsi, ut in limine hæreant ad egressum. Omitto : proprie enim Stoicos non tangunt.

DISSERTATIO XIV.

Contra Stoicos; et quæ iis objici solita.

AUDITOR. At ego Stoicos tuos tango, si linguam mihi laxas. Laudas, et huc vocas : quam multi revocant? Hodie plerique omnes : et ludus ac jocus tu atque ego simus, qui hic sumus. Sed et inter priscos, quam multi graves ! et gravia quædam istis objiciunt, aut imponunt. Vis pergam dicere? LIPS. Me lubente; nam recte olim Comicus :

> Χαλεπὸν ἀκροατὴς ἀσύνετος καθήμενος·
> Molesta res est, fatuus auditor sedens.

Ostende capere te : et aliquid interfare, ut (Cælii olim dicto) duo simus. AUD. Ergo facio, et dico objici iis ista Zenoni primum, primo auctori, æmulationem et invidiam, quæ originem dederit dissensioni, et Sectæ. In Academicis erat, id est Platonicis : Polemonis auditor : lis incidit cum Arcesila condiscipulo, ingenioso viro : ab ipso et priscis discessit, et « novam hæresim, ut Varronis verbis dicam, novo paxillo suspendit. » Fecit simile ille alter, a calore contentionum, ut fit, et *Novam Academiam* excitavit. Tuus quid? novam Porticum, inauditum antea nomen. Et rem si scrutaris, vix in ea pugna, sed in verbis formulisque fuit. Cicero : « Zeno quoque eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam verborum novorum. » (III De Fin.) Iterum : « Advena quidam, et ignobilis verborum opifex. » (V Tuscul.) Itaque quæ alii adhuc *bona fortunæ aut corporis*, hic *producta* maluit dicere : quæ illi *mala* ejusdem generis, hic *rejectanea* : et talia complura. Totum etiam discendi genus obscurum aut tenue : nihil pro copia, dignitate, aut luce antiquorum. Idem Cicero (et quis melior hic judex?) : « Stoicorum non ignoras quam sit subtile, vel spinosum potius, disserendi genus. » (III De Fin.) Alibi : « Vellunt de spinis, atque ossa nudant. « (IV De Fin.) Iterumque : « Pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis angusti : quibus etiam qui assentiuntur, nihil commoventur animo : et iidem abeunt, qui venerant » (Ibid.) Sed et alii, ab

hac causa, irrident « illos e varia Porticu sermunculos. » (Apud Athen. III.) Et Comicus quispiam (apud eumd. lib. XIII) :

Ἀκούσατ' ὦ Στόακες, ἔμποροι λήρου,
Λόγων ὑποκριτῆρες·
Audite, Porticenses, nugivenduli,
Sermonis arbitri et censores.

Sed verba omitto, quæ compta a philosopho non requiri scio, nec florem illum orationis : tamen docere apta, et animis illabi : ergo rem videamus. Ea ipsa aut tenuis, aut alta nimis et superba. Tenuis, in divisiunculis, distinctiunculis : quibus crebris valde et non necessariis utuntur. Superba in dogmatis, quæ fastum ubique et ventum habent. « Dolorem non malum : Sanitatem non bonum : Sapientem Divitem, Regem, Deo parem esse. » Inde contumacia, et sui amor, aliorum contemptus : nec privatorum tantum, sed magistratuum, principumque. Olim objectum, quum nota hæc secta, et viguit : ut Rubellio Plauto apud Tacitum, quod assumpsisset Stoicorum arrogantiam sectamque : quæ turbidos et negotiorum appetentes facit. » (XIV Ann.) Accedit augendæ huic superbiæ, quod et super hominem, et nimia quædam jactant : « Sine affectibus esse : injuriam non accipere : scire omnia, non opinari » : et plura, quæ *Paradoxorum* titulo præscribunt. Denique et austeritas quædam, vel potius acerbitas, e dogmatis eorum innasci animis solet : Ciceroni quoque notatum, qui alibi ait « Asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire. » (De Nat. Deor.) Itaque, ut concludam, nimia omnia in hac parte videntur, et præter cæteros sapere dum studuerunt, a vera, id est modesta, Sapientia excidisse. Placet autem illud Euripidis :

.... ὀυ γὰρ ὀυδ' ἀζήμιον
Γνώμην μὲν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν·
.... non vel hoc noxa vacat,
Si mens inest sapientibus sapiens nimis.

Placet et hoc Tertulliani : « Nostram institutionem de Porticu Salomonis esse. » (Præscript. advers. Hæret.) Ut tua hac Christianis quidem non sit opus. Quæ visa, dixi : si quid liberius aut fortasse vanius ; hoc refelle, illud ignosce.

DISSERTATIO XV.

Pro Stoicis : atque ordine illa rejecta.

Audivi equidem, et ad utrumque promptus sum; libertati ignoscere, imo gratiam habere, et vanitatem, (nam ea certe dictis inest) refutare. Illud dixi, et factum est : hoc jam adnitar, et nescio an cum magno fructu. Vincam et frangam tot præjudicia? Fatum ipsum adversum? Nam Stoici a mille amplius annis nulli, et non nisi in scriptis sunt : ac gloriæ et vitæ suæ cursum videntur peregisse. Neque hercules revoco : paucas reliquias melioris illius sæculi si tuemur satis est : et hoc fine scito scutum et defensionem a me susceptam. Satis etiam triumphat Veritas, si apud paucos bonosque accepta : nec indoles ejus est, placere multis. Videamus, et a capite refellamus. Aiebas Zenonem æmulatione motum a Polemone et prioribus abisse : quo argumento? Cicero dicit. Cicero? nempe Academicus, et ex professo igitur Stoicorum hostis. Hoc hic, et mox, valeat : quia pleræque criminationes tuæ teste illo, non teste, nituntur. Æmulatio impulit : qui magis quam Aristotelem, Carneadem, Epicurum, alios, qui in tot sectas statim a Socrate et Platone sunt scissi? Atqui primus ille quidem, cum applausu etiam nostro, scripsit : « Amicum Platonem, amicum Socratem, sed magis veritatem esse. » (Ethic. a Nicom.) Cur Zenoni non idem jus? Est profecto, neque aliud, quam illa ipsa veritas impulit ad dissentiendum. Non enim philosophos, opinor, ut pecudes esse volumus : qui sequantur tantum antecedentium gregem : « Multum egerunt, qui ante nos fuerunt (ait Seneca), sed non peregerunt. » (Epist. LXV.) Peregerunt? quam abest? « Multum adhuc restat operis, multumque restabit : nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. » (Idem, Epist. LXIV.) Audis eumdem illum nostrum? vera dicit : et superior ac nostra ætas fidem fecit, facietque. Ergo omitte hoc de æmulatione : quod tamen sine culpa etiam amplectimur; habuerit et habeamus ipsi hanc honestam, quæ ad cognitionem veri ducat. At, inquis, verba innovavit tantum. Innovasse fa-

teor : tantum, nego. Quidni innovarit, in rebus quibusdam novis? « Datur venia (ait Apuleius) novitati verborum, rerum obscuritatibus servienti. » (De Dogm. Platon.) Quid si rerum novitatibus? non venia tantum, sed laus esto. *Producta et rejectanea* quæ in exemplum adfers, necessaria fuere : nec sine iis explicari satis aut constitui scientia Bonorum Malorumque potuit, id est philosophiæ caput. Plura talia sunt; in loco dicenda. (lib. II, Diss. penult.) Atqui spinæ et aculei in illorum scriptis. Deus bone! hodie hæc dici et objici ab iis qui Aristotelem, et novellos Aristoteleos legunt? Ac de veteribus Stoicis, non tu, non ego nimis scimus : de Seneca et Epicteto, aperto ore dixerim, roseta mihi illorum scripta videri, præ Lycæi dumetis. Sed sint subtiles et acuti, in philosophis hoc culpæ deleges, quod laudi debebas. At Cicero etiam audiendus est, qui « pungere eos interrogatiunculis dicit : animos non commovere. » Itane « pungere? » agnosco : vere faciunt, et velut stimulis, ac pugiunculis quibusdam sententiarum, penetrant animos ac pervadunt. Sed « non movent. » Quid igitur est movere, si hoc non est? Vis, mi Cicero, ut ad conciones veniant, affectus miserabiliter moveant, clamores excitent et plausus? Mare hoc non tentant, nec fluctus in eo suscitant : contenti singulis et privatis lectoribus, iisque quietis et intentis. Hunc talem mihi da : nunquam a lectione duorum, quos dixi, surget, nisi commotior, et honesti quodam ardore succensus. Hæc est eloquentia philosophis decora : in quos proprie convenit, quod Menelao summus vatum attribuit :

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως·
Pauca quidem, verum argute.

Non enim est philosophia, ut noster Seneca verissime scripsit, « populare artificium, nec ostentationi paratum : in rebus, non in verbis est. » Et Fabius, bono judicio, de ipsis nostris : « Minus indulserunt eloquentiæ Stoici veteres : sed quum honesta suaserunt, tum in colligendo probandoque plurimum valuerunt : rebus tamen magis, quam (id quod sane non quæsiverunt) oratione magnifici. » (Lib. X.) O bona, o non retractanda judicia! Honesta suaserunt, probando valuerunt, rebus magnifici fuerunt : et hæc eloquentia est, qua gloriantur; quam

brevitas etiam decet : adeoque non abnuit Zeno aut excusat, ut cuidam objicienti « Brevia esse ejus dicta. — Omnino, responderit, nam et syllabas philosophorum, si id posset, breves esse optem. » Mens copiosa et exuberans sit, sermo temperet et adstringat. Sed de Verbis satis. Rem etiam accusas. Quid autem? universe duo, Tenuitatem, et Superbiam. De Tenuitate, haud satis capio; subtilitatem si vis et accurationem in Dividendo, et addam etiam Definiendo : vindicamus et jactamus, super omnes qui philosophiam attigerunt. An modum non servasse, hoc vis? possunt esse quædam, aut videri nobis talia : parum firmiter tamen judicanda, e paucis istis sparsisque reliquiis scriptorum. Omitte hoc igitur, negandum ea facilitate, qua affirmatur. De Superbia majus est, et colorem aliquem e paucis eorum scitis habet, sed colorem. Magni animi eos fuisse, et ad alta ac magna duxisse, profitemur; et quis damnet, nisi qui Virtutem ipsam, et generosum illud Honestum, damnet? Eo, non alio, vocant : hoc sublime, splendidum, illustre constituunt : hoc omni verborum sententiarumque honore adaugent. At « Dolorem non malum » dicunt. O viles animæ! quid ergo? cum Epicuro « Voluptatem unicum Bonum, et illum Malum » dicemus? calcari ab homine hæc humana, et pedibus subjici, sine superbia non vultis? Mihi ea contingat, et stare in virtutis illa arce securum, super Dolorem, Lætitiam, Spem, Metum, et turbines istos animorum. At Divitem et Regem dicunt Sapientem. Quem ergo potius? Crassum, aut Pacorum, aut Neronem? Hæc alibi explicanda sunt, sapientissime dicta : nec nisi ab ignaris aut stultis ridenda. Simile, quod Affectus, Injuriam, Opinionem a vero Sapiente (nota, *vero*) arcent : semihorulæ spatio approbanda tibi, imo admiranda. Sed quid est? damnare malumus, quam discere : et *veteres avias*, ut ille ait, displicet *a pulmone revelli*. In scholis non hæc dicuntur, aut discuntur : ergo sine inquisitione rejicimus, et illos quoque, si qui docere conantur. Addebas de Contumacia gravem objectionem, et hanc ex arbore ista esse fructum. Non agnoscimus : etsi objici jam olim hoc scimus. A quibus autem? ab improbis aut servilibus animis : quibus displicet, quidquid probum, erectum, et honestum est. Tales nos-

tros esse et conspici in sententiis, in consiliis; nihil gratiæ, nihil metui dare; omnia ad Justi normam dirigere; ultro fatemur: et hanc Libertatem, non Contumaciam, censemus. Utinam hodie in Regum Principumque consiliis sint! utinam in tribunalibus! non pœniteat ejusmodi Tuberonum aut Catonum. Sed Seneca audiatur, hoc ipsum diluens: « Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ (huic Stoicæ) fideliter deditos, contumaces esse, et refractarios, ac contemptores magistratuum et Regum, eorumve per quos publica administrantur. E contrario enim, nulli adversus illos gratiores sunt: nec immerito. Nullis enim plus præstant, quam quibus frui tranquillo otio licet. » (Epistola LXXIII.) Nota et hoc de Otio: quod plerique sane philosophorum amplectuntur: apti reipublicæ, sed non omni; neque adversis ventis vela solvunt. Iterumque Seneca, de hac criminatione: « Scio male audire apud imperitos sectam Stoicorum, tamquam nimis duram, et minime Principibus Regibusque daturam bonum consilium. Sed nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior hominum, et communibus attentior: ut cui propositum sit, usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere. » (II. De Clement. c. 5.) O hæc admitte! et una illud disce, lenes et mites esse, communium bonorum cupidos, nec, ut Epicureos, unius sui curam agentes. Quomodo non sint, quibus hoc inter prima dogmata, « Cives se mundi esse? Totum hunc orbem, patriam? » Itaque et illud imbibunt,

Non sibi, sed toti genitos se credere mundo.

Quæ satis refellant hoc de Contumacia, aut aliorum Contemptu: atque una, quod de Acerbitate in extremo dicebas. Sed calumniose dicebas Ciceronem hoc scribere, quod non scripsit. Neque enim ille « acerbos exire e Zenonis schola » definivit: sed « posse exire » (verba vide:) et quis id neget? non magis, quam e Dialecticorum schola, Sophistas; e Jurisconsultorum, rabulas; Medicorum, carnifices. Neque illi hæc docent: sed deliquia sunt prave capientium, utentiumque. Hic simile; Zenonis schola, quæ tota Virtutis est, severos, non molles facit; asperi aut acerbi si qui prodeunt, vitio illorum et humani ingenii

fit, facile ad confinia declinantis. Clausula tua erat, de Modestia. Dii boni, quis magis amat? quin si tota Sapientia nobis detur, cum adjuncta Superbia : spernamus hoc contubernium, et nolimus jungi.

DISSERTATIO XVI.

Iidem laudati : et quid in partibus Philosophiæ præstiterint : deque iis vel adversariorum elogia.

Sed scutum defensionis satis ego prætuli, et sinistra sum usus : lubet etiam dextra, et veris eos laudibus exornare. Philosophiam si examinamus; nemo abnuet, tres in ea partes esse, Logicam, Physicam, Ethicam : et qui in singulis, aut omnibus emineant, esse laudandos. Sed in omnibus, rarum; et vere hoc ac scite Plutarchus : « Quosdam philosophantium avibus similes videri, qui levitate quadam et ambitione ingenii elati alta petunt, et Physica scrutantur tantum. Alios canibus, qui laniare et vellicare avidi, soli Logicæ adhærescunt, ut pelli, et in ea rixantur, et mentem ad ulteriora non mittunt. » (De Profectu in Virt.) Profecto, mi adolescens, sapiens ille scriptor (talis est, etsi Stoicis parum æquus) rem attigit : et in hodie-philosophis an non sæpe obtineat, te judicem addico. At Stoici nostri omnes partes complexi animo et scriptis sunt : Logicam sic accurate, Chrysippo præsertim præeunte, ut in modo peccasse modestis judiciis possint videri. Repete memoria quæ ante in Chrysippo dixi. (Dissert. x.) Jam in Physica profecto regnant : et maxime in sublimi illa et principe ejus parte, quæ Deum et divina tangit. Quis de illo, de istis, id est Fato, Providentia, Geniis, subtilius, uberius, verius scripsit? Ne invidia sit dicere, non omnis philosophorum manus, si in unum conferatur. Atque hæc omnia tamen ad Ethicam, vere nostram partem, et germanæ Philosophiæ finem, diriguntur : nec alio lectorem suum ducunt, nisi ad Honestum et ad Virtutem. Quanti in ista sunt! quam alti et erecti! quam omnia humana calcant aut spernunt, et hominem supra hominem tollunt! Lege paucos eos libros, qui exstant, vel Senecæ vel Epicteti : Virtutem ipsam scripsisse dicas, et semina

salutarium monitorum ubique sparsisse. Ubique, nam et in eo vera istorum gloriatio est : « Non est quod exigas Repetita aut Excerpta ; continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus ista oculiferia, nec emptorem decipimus, nihil inventurum quum intraverit, præter illa quæ in fronte suspensa sunt. Quocumque miseris oculum, id tibi occurret quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. » (Senec. Epist. XXXIII.) O quam vera hæc, de ipso inprimis qui dicit, asserantur ! Ubique altæ, acres, ferientes quædam sententiæ sunt, et utilissima monita aut medicamenta animorum. Jam vero ad Civilem etiam doctrinam, quæ Reges Principesque tangit, istos maxime ivisse et præivisse, scriptorum illorum Indices mihi dicunt. Vide, sodes, apud Laertium vel Zenonis libros, vel Cleanthis, et Chrysippi : statim occurrent, tituli, *De Republica*, *De Legibus*, *De Concilio*, et talia quæ ad regimen aut tutelam faciunt generis humani. Quid dissimulandum est? divina Providentia, priusquam lucem Sapientiæ plenam, missa ipsa Sapientia (id est, Filio), nobis spargeret; hos tales præmisisse videtur, ut scintillas ejus allucerent, et errorum vitiorumque Cimmerias quasdam tenebras arcerent. Unum est, in quo caute legendos audiendosque fateor : altitudo sensuum aut decretorum, interdum nimia, et quæ imbecillitatem hanc nostri generis videtur superare. Seneca et objicit sibi, et rejicit : licet audiamus. « Nimis alta promittitis, inquiunt, nimis dura præcipitis. Nos homunciones sumus, omnia negare nobis non possumus. » Respondet deinde : « Vitia nostra, quia amamus, defendimus : et malumus excusare illa, quam excutere. Nolle in causa est, non posse prætenditur. » (Epist. CXVI.) Vide ne in multis hoc verum sit, et nimia videantur, quia nos in deliciis aut vitiis nimii sumus. Sed esto, sint præalta : quid vocari ad ea nocet, non perventurum ? Ut is qui exemplar sibi proponit, emendatissimum cupit, etsi infra illud consistet : tale hic est, audiamus optima ; audeamus optima, etsi imbecillitate hac insita retrahemur. Sed de isto alibi : nunc quod dixi, adfirmo, magnanimam et altiloquam hanc totam Philosophiam eminenter esse. Noster alibi egregie : « Tantum interesse inter Stoicos, et ceteros

sapientiam professos, quantum inter viros et fœminas. » (De Const. sap. cap. 1.) Sane robur ubique habent, virtutem et virum præferunt, ac formant. Ideoque idem Seneca pulcherrimo elogio dixit, « fortissimam et sanctissimam sectam. » (Epistola LXXXIII.) Quid autem alii? etiam qui dissentiunt, nec dissentiumt. Audi Plutarchum, ex professo Academiæ addictum: « Habet Stoica doctrina, si in magnam et acrem naturam incidit, aliquid lubricum et anceps: sin autem cum gravi et miti ingenio temperetur, magnos impetus dat ad verum bonum et Virtutem. » (In Cleomene.) Oraculi hoc ego vice habeo, in alta et superba natura Stoam non fore usui; in alia et modestiore, saluti. At Ciceroni expressam vocem quam pæne omiseram? Ille sæpe eorum insectator, alibi e pectore loquitur: « Licet insectemur istos (Stoicos), metuo ne soli philosophi sint. » (IV Tusc.) Quid ais mi Auditor? ecce gloriosa nobis testimonia ab adversariis, qui illinc stant, et hinc dicunt.

DISSERTATIO XVII.

Exempla magnorum virorum, qui in hac hæresi, etiam Christianorum.

Et vero quot magnos viros habeam dicere, qui sensu aut professione Stoici fuerunt? Sensu quidem (nomen enim et secta nondum inventa) ille princeps ingeniorum Homerus: ita palam, ut ego mirer Senecam dissentire vel ambigere, in hac mihi re judicii non rectum. Verba ejus sunt: « Homerum philosophum fuisse persuadent: quum hisipsis, quibus colligunt, negent. Nam modo Stoicum illum faciunt, Virtutem solam probantem, et ab Honesto nec immortalitatis quidem pretio recedentem. » (Epistola LXXXVIII.) Addit deinde, ab aliis in Epicuri, aliis Academiæ castra deduci. Sed deduci, o Seneca: ille huc, et ad nos ibat. Potestne aliquid magis Stoicum, quam quæ de Fato sic palam et sæpe scribit? quæ secta hoc ita habuit, præter istam? Jam de Affectibus reprimendis aut tollendis, vis in Sapiente Ulysse exemplum? Ecce ad uxorem venit, ab annis viginti non visam, et semper suspiratam: quid facit? in lacrymas solvitur, sinum

et collum invadit? Imo ille gaudium et indomitum ipsum amorem donat : aspicit tacitus,

> ὀφθαλμοὶ δ᾽ ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος.
> Atque oculi stabant, ut cornu, vel quasi ferrum.

Nunquam eum versum legi, quin Stoici illius veri, immoti ἀπαθοῦς imago mihi subveniret. Jam reliqua Ulysseis tota, quid nisi Virtutis, Constantiæ, Fidei schola est? Ubi externa ulla approbata, aut quæsita? quis non labor pro Honesto fortiter susceptus, et toleratus? Alia in eo multa ad hanc sectam (alibi dabimus :) sed eruenda sunt; et sub cute illa, ut sic dicam, verborum, latent auri hæc metalla. Jam Socratem quis non fontem et caput Sapientum profitetur? atqui ille totus est noster. Audi vel hæc ejus, apud Platonem : « O amice Pan, et vos alii Dii hic præsides, date mihi pulchro bonoque introrsus esse : externa autem, quæcumque habeo, cum illis internis consentire et conspirare : divitem porro existimem solum sapientem. » (In Phædone.) Ex fide, et non pro causa loquamur : nonne in istis pauculis breviarium vel summarium Stoicæ doctrinæ? mihi sic videtur. Pana invocat : quid nisi Universum, id est Mundum, et quem Stoici (in Physicis explicandum) pro visibili Deo habent? Invocat et Deos præsides suæ terræ : particulares Genios, his illisque locis Stoicorum scito adsignatos. Deinde dogmata, Interna sola bona esse, et sola optanda : Externa hactenus, ut illis consentiant, id est serviant et ancillentur. In extremo Paradoxum illud nobile horum : « Solum divitem Sapientem. » Ito aliquis, et neget in hac porticu Socratem includi. Omitto alia plura, in suis locis, atque ipsa Paradoxorum classe recensenda. Ergo duo illi summi, sunt nostri : accenseo Sophoclem et Demosthenem, non vanis aut levibus etiam argumentis, quæ in progressu sermonis se pandent. Addo Strabonem Geographum, insignis judicii et prudentiæ virum : addo, ipso profitente et nomen ultro dante. Philonem e Judæis poteram : et quid aliud libri titulus clamat : « Omnem sapientem liberum esse? » nam et hoc inter scita inopinata nostrorum circumferri non ignoras. Et plura in eo serio et judicio notavi, in quibus Stoicissat : etsi Platonissare

I. f

eum communis fama tulit. Sed nec Plato ipse a nostris alienus, imo plurimum noster, si quis factionis expers arbitratur. Ad Romanos venio; ibi procerum illa manus Tuberones, Catones, Varrones occurrunt : ibi Thraseas Pætus, Helvidius Priscus, Rubellius Plautus, C. Plinius, noster Tacitus : et uno verbo dicam, prima fere ingeniorum et dignitatum. Ipse M. Antoninus Imperator, quo nihil melius aut laudabilius, in hoc albo nomen signat. Et quam paucos etiam nomino, præut res et multitudo fuit? Nimia; adeo ut Sextus Empiricus clare asserat, suo, id est illo ipso M. Antonini ævo, « plures fuisse qui Stoicam sectam sectarentur, quam qui aliam quamcumque. » Neque interiorem ego causam arbitrer, quam hanc copiam, cur nostri Christiani jam invalescentes, minus æqui in istos fuisse videantur aut inclinati : quare? quia et multitudine urgebant : quare etiam? quia auctoritate et vita premebant, quæ apud alias sectas soluta aut et improba conspiciebantur. Quamquam ita alieni nostri, non ut sectam maxime, sed sectatores, eorumque pervicaciam spernerent, tardos aut refractarios lucem admittere divinitus jam oblatam. Alioquin ipsa illa ætas habuit inter culmina religionis, qui a sensibus multis Stoicis non abiverunt. Arnobium possim dicere, et magis Tertullianum, ingenio etiam Stoicum et severum. Quid magnum illum Pantænum, Alexandriæ sacrorum doctorem, et antistitem? « Hieronymus de illo aperte : Pantænus Stoicæ sectæ philosophus, ob præcipuam eruditionis gloriam missus est in Indiam, ut Christum apud Brachmanas, et illius gentis philosophos prædicaret. » Optime ab optimis illis factum : philosophus ad philosophos missus, Stoicus ad Brachmanas, nec opinionibus quidem nimis dissidentes. Et fructum vero ingentem fecit, laudemque retulit : et mox Alexandriam rediens in ea obiit, quum Scholæ illic nobili plures annos præfuisset. In qua succedere sibi voluit Clementem Alexandrinum : illum, cujus totingam doctrinam Ecclesia etiamnunc admiratur et fruitur, in libris qui exstant. Quiipse quam sæpe Stoicus est, et dogmata eorum sacris nostris aptat? audies in locis, si pergis me audire. Merito aptat; nam Hieronymi illius, sanctioris an doctioris viri, sententia est, de tabella et scripto recitanda : « Stoici nostro dogmati in plerisque

concordant. » (In Isaiæ, c. 20) Concordant? ita : et quod sequitur occulte ad nostrum dogma et ad pietatem ducunt. Sine fuco dicam, mihi evenisse : et audio magnum illum Carolum Borromæum, stirpe, sacra purpura, virtute maxime clarum, sæpe fassum Epicteti se libris motum et monitum ad contemptum rerum humanarum, amorem divinarum venisse. Itaque, ut concludam, apage dicere aut credere de Porticu Solomonis, et quod ab ea abducimus : nos vero inducimus, et sana ac sobria mens non aliter his utetur.

DISSERTATIO XVIII.

Seorsim Seneca laudatus, Scripta ejus maxime, et purgata etiam obiter a calumniis Vita.

Sed heus, quum præmiserim magnos, qui in ea secta fuerint, non vel duos maximos omisi, Senecam et Epictetum? Auditor. Observavi, et tacitus requirebam. Lipsius. Dabo. Distuli enim, non omisi : et velut Triarios quosdam claudere volui hoc agmen. O rara Sapientiæ lumina? o cara mihi nomina! quos audacter dixerim superasse in hac Morali præsertim parte pertractanda,

> Τοὺς ὄντας, τοὺς τ'ἐσσομένους, καὶ τοὺς πρό τ'ἔοντας·
> Quot sunt, quotquot erunt, et quotquot inante fuerunt.

Non sunt inanes laudatiunculæ, aut voces : vis rem tibi approbem, et utriusque dotes breviter et velut digito signem? Fiat, audi : de Seneca primum, quem multi bonique amant : oderunt aut contemnunt aliqui, sed hac ipsa nota, mihi non boni. Sit libertas hujus judicii; et experimento didici, qui Virtutem ipsam solide non amant aut æstimant, vix istum. Et hercules, quod nos amamus, et quod producimus, est ob istam, quam scriptis suis ille ornavit et asseruit, si quisquam ab omni ævo. Plura sane ingenii monumenta sunt, aut fuerunt : Poetica, Oratoria, Physica : sed Ethica eminent, quæ utinam solida atque integra ad nos venissent! Sed libri Exhortationum perierunt, item grande opus Moralium, alia pluscula : sufficiunt tamen gloriæ quæ exstant, et inter omnia ejus argumenti palmam, coronam, regnum poscunt. An ex vero, aut affectu sic judicem, vide. Tria sunt, quæ huc me ducunt, Verba, Res, Tractatus : omnia in eo jure laudanda. Verba, selecta, propria, significantia : imo quæ plus

aliquid semper dicunt, quam dicunt. Qui proprius quidam ejus Genius videtur, ut in parcimonia verborum mira ἐνέργεια, atque efficacia sit; in brevitate, claritas et splendor. Sunt allusiones, imagines, translationes, crebræ et pæne continuæ: quæ delectant simul et docent, et in rem animum, atque extra rem mittunt. Est cura, non affectatio; decor, non comptus; tractata oratio, non torta. Est et compositio quædam, et viriles numeri: sed ut structuram agnoscas, mollitiem abnuas; et pugnæ atque arenæ omnia, non delectationi aut scenæ parata. Jam in ipsa brevitate et stricto dicendi genere, apparet beata quædam copia; fundit verba, etsi non effundit; fluit, non rapitur; amni similis, torrenti dissimilis: cum impetu, sed sine perturbatione se ferens. Denique, ut felices arbores, quarum præcipua dos est fructum ferre, flores et folia tamen habent: sic iste, quem fructus causa legimus et colimus, oblectationem adfert pariter, et Venerem cum Minerva jungit. Audebo et hoc edere? vel sermonis atque eloquii causa aliquis eum legat: sed absit; et Res magis trahat. Res, quam illustrem et sublimem, utilem et salutarem, ubique promit. Omnia ejus scripta, etiam ubi ex professo non videtur agere, quid nisi generosum illud Honestum spirant? quid nisi aliis inspirant? Caput omnis boni fontemque Deum, quam sæpe, fortiter, inculcat atque asserit! ejus providentiam, et nostri curam! potentiam, sapientiam, justitiam, et quidquid tale vel sacra dicant! illi et Fato nos parere, et quietos volentesque sequi, quoties monet! in ordinem redigi; ab ordine hoc rerum, quem ille ab æterno descripsit! Jam affectus, id est origines malorum, quis acutius aperit, quis acrius castigat, adductius coercet? Metum, spem, lætitiam, dolorem, quam temperat, minuit, tollit? Ipsa vitia aspere ubique invadit et exagitat, ambitionem, avaritiam, libidinem, luxum, ceteras animorum pestes. Imo hæc tanta sæpe acrimonia, ut modum non tenere dicas, et odio atque ira (sed, dii boni, honestis) auferri. Denique in unius virtutis admiratione et commendatione deditus, externa omnia spernit atque abjicit; et totum illud splendidum, sed fallax, Fortunæ regnum conculcat. O pura, et cælo digna mens, et ad cælum alios subducens! miramur te, et sequimur,

quisquis cum attentione tamen legit. Et si quis aliter potest? Tantus ubique vigor et calor est (ut de Tractatu nunc addam), sic omnia animata et spirantia, ut excitari vel ignava et jacentia ingenia necesse sit, et tepida aut frigida calere. Imo non scripta legere, sed verba audire; nec imaginem ejus in libris, sed ipsum hominem oculis sensibusque usurpare videamur. Felix calor! rarus calor! et quem audacter dicam, vix in alio reperias, e Græcis Romanisque. Quanti autem ad fructum, et ad motum animorum, hoc est? Abite a me tepidi, aut isti χάμαιπετεῖς (cum Pindaro) λόγοι (humi serpentes Sermones), quibus vix affici, certe impelli non possim; tentari, non suaderi. Sicut enim facem frustra ad accendendum admoveas, nisi accensam: sic sermonem ad excitandum, nisi vegetum et calentem. In nostro est, et non fallor: arsit illi animus quum scripsit, ab animo stylus, a stylo nos: excipio tantum, si quis ut lepores, apertis oculis animo dormitante legit. Quod de patre Sextio olim ipse scripsit, justissime de ipso nos usurpemus: « Quantum ubique vigoris est, Dii boni, quantum animi! quod non in omnibus philosophis invenias. » (Epistol. LXIV.) Non hercules, o Seneca! « Quorumdam scripta clarum tantum habent nomen: cetera, exsanguia sunt. Instituunt, disputant, cavillantur: non faciunt animum, quia non habent. » (Ibid.) Illi tales: quid noster? « Quum hunc legeris, dices: Vivit, viget, liber est, supra hominem est, demittit me plenum ingentis fiduciæ. » Hæc igitur Scripta ejus sunt, et his causis probanda, aut miranda [1].

[1] Hocce Lipsii de Senecæ scriptis Judicium quo plenius sit, pauca exscribemus ex *Introductione lectoris* quam suæ editioni ipse præmisit. Lectorem allocutus, tria monet quæ in legendo Seneca cavenda sunt:

« Primum, ut quanquam pleraque omnia Senecæ utilia, et ad vitam, tamen quæ maxime talia, eligas, et ea ad mentem sæpius referas et ad manum. Inter libros eminent, me judice, isti: *Duæ Consolationes*, *De Providentia*, *De Clementia*, *De Tranquillitate*, *De Constantia*, *De Brevitate vitæ*, *De Vita beata*. Sunt et libri *De Ira* inter bonos, item *De Beneficiis*; sed in partibus spinas suas aut fastidia habent: alioqui et pulcherrimos ac divinos locos. In *Epistolis* simile; quarum quædam (Argumenta mea statim dicent) utilissimæ: et aliæ in argutiis, aut, si res dicenda est, ineptiis occupantur.

« Secundo, ut philosophi, non grammatici oculis ista legas; id est, rem,

At, inquiunt, *vita* dissensit. Vetus convicium : *hoc per capita malignissima, et optimo cuique inimicissima, Platoni objectum, objectum Epicuro, objectum Zenoni.* (Sen. de Vita Beata. c. 18.) Quid tamen respondemus? communiter primo. « Omnes isti dicebant, non quemadmodum ipsi viverent, sed quemadmodum vivendum esset. » (Ibid.) Non Senecam, exemplar proponimus; sed Scripta ejus, doctrinam. Et quid tamen peccavit? duo, istis arbitris. Nam de adulterio objiciunt, tum de aula opibusque. Videamus, et illum culpæ, si non calumniæ (quis hanc reprimat?) liberemus. Juliam Germanici filiam in matrimonio Vinicii agentem, polluisse dicitur : atque ea illi causa, vel prætextum, exsilii fuit. Dicitur? a quo? Messalina; qua illa? qua nihil impudentius aut impudicius Roma tulit : a qua accusari, laudari est; laudari, in suspicionem culpæ venire. Et hæc audimus? Utinam pars illa historiæ exstaret, qua Tacitus acta ejus temporis narravit! de re constaret, quam nunc maligni jactant, nos respuimus, utrique haud firmis argumentis. Est esto, peccaverit : sed semel; hominem fuisse non diffitemur : emendasse hoc constat? cur vetera et sepulta eruantur? Quisquis es, in te descende : non est aut fuit semper illa puritas, quam in alio is exactum. Atquin ad aulam etiam venit. Et quis philosophis ea interdixit? utinam plures veniant! utinam assidue veniant! et magis, utinam consiliis regant ac moderentur! Felicem populum Romanum, si

non verba cogites : et quanquam ea ducunt, splendida sæpe et magnifica, ab illa tamen non abducant. Sicut boni canes, non pellem extremam leviter stringunt, sed ipsam feram prehendunt et mordent : sic te oportet in sensus, non in circumdata verba intentum, eos captare.....

« Tertio, ut excerpta habeas, et selectas aliquas sententias, sive locos : quas apud te sæpe agites, et animo revolvas. Cui usui alioqui lecta? ut concitemur fortasse, dum legimus, mox calor abeat; et iidem simus : non aliter, quam spectatores in theatris. Imo vero adhæreant illa, nostra fiant, id est concoquantur. « Non prodest cibus, ait Seneca, nec corpori accedit, « qui statim sumptus emittitur. » (Epist. II.) Sedeant igitur in animo fideliter: nec sicut unguentorum aliquis odor, statim ad aerem dissipentur. Huc te ducet, aut trahet potius, adjunctus Epictetus, quem lege, et Enchiridium quidem ejus edisce. »

Hic quoque legendum *Judicium Veterum* auctorum quod post nostri philosophi vitam inseruimus.

Nero audivisset, ut cœperat : et quid primis ejus annis laudabilius fuit? scito autem, a Seneca doctore et directore eos fuisse. At enim opes in ea congregavit. Miri homines! in aliis opes, in aliis inopiam accusant : et in hac ambitionem, in aliis avaritiam agnoscunt. Discant : « Nemo Sapientem paupertate damnavit. Habebit philosophus amplas opes, sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas : quarum tam honestus sit exitus, quam introitus. » (Ibid. c. 23.) En conditiones, legesque, quibus sapientia opes permittit : honeste quærantur, aut veniant; honeste expendantur, abeantque. Noster an non fecit? a principe accepit; et plura alii, meritis ejus non pares. Quis autem,

Quis influentis dona Fortunæ abnuat?

ait Seneca alter, et noster : « Non se sapiens indignum ullis fortuitis muneribus putat. Non abiget illa a se, sed abeuntia securus prosequetur. Divitias quidem ubi tutius Fortuna deponet, quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est? » (Ibid. c. 21.) Receptura? etiam quum non petet. Vide nostrum, et stupe, ad Neronem venientem, et acceptas omnes opes magno animo refundentem : « Jube, inquit, eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam : sed traditis, quorum fulgore præstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum revocabo. » (Apud Tac. XIV Ann.) Ecce sapientem, qui opes in domum, non in animum admisit? qui habet, non habetur; « habet sed tanquam leves et avolaturas; nec ulli alii, nec sibi graves. » (De Vita Beat. cap. 23.) Hæc quæsitio, aut possessio : exitus earum quis fuit? Liquet mihi, Senecam non nisi in alienum fere fructum habuisse. « Donavit aut bonis, aut iis quos facere potuit bonos. Donavit cum summo consilio, dignissimos eligens : ut qui sciret, tam expensorum, quam acceptorum rationem esse reddendam. » (Ibid.) Et fama publica nonne de liberalitate ejus fuit? e qua poetæ hauserunt, scripseruntque :

Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca : (JUVENAL.)

magna ostendit missa. Et alius :

Pisones, Senecasque, Memmiosque, (MARTIAL.)

inter exempla decantatæ liberalitatis. Et vero quomodo ipse uteretur, in illa perpetua frugalitate et modestia vitæ? Vix verisimilia, sed vera sunt, quæ de se ipse scribit: atque audi. « Inde mihi (ab Attali schola) quædam permansere. Inde ostreis boletisque in omnem vitam renunciatum est, inde in omnem vitam unguento abstinemus: inde vino caret stomachus: inde in omnem vitam balneum fugimus. » Et statim: « Laudare solebat Attalus culcitam, quæ resisteret corpori: tali utor et jam senex, in qua vestigium apparere non possit. » (Epist. CVIII.) Describit et alibi hanc frugalitatem vitæ, an verius austeritatem dicam? « Culcita in terra jacet, ego in culcita. Ex duabus penulis altera stragulum est, altera opertorium. » (Epist. LXXXVII.) Iterum alibi: « In frigidam descendi, panis deinde siccus, et sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. » (Epist. LXXXIV.) Atque ipse hæc tantum? Tacitus aperte: « Simplici victu, et agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerasse. » (XV Ann.) Quæ ista sunt? quam admiranda in illis opibus, in aula et purpura? Placeamus nobis: vix hodie in ista pietate, et ejus præmiis, qui religiosam vitam profitentur, sic vivunt. Vix? imo non vivunt. Quis in omnem vitam vino abstinet? quis pane sicco contentus est? quis aqua? et tali culcita? Et ut sint, paucos esse opinamur, aut scimus. Abite ergo, quod ad Opes attinet, calumniæ: habuit, non habuit; aliis, non sibi; bene admisit, bene emisit. At Dio de luxu aliquid, et de Mensis Citreis (si commemini) quingentis. Ego non credo, hominem qui illam ipsam in orbibus istis insaniam sic libere scriptis taxavit, eamdem impudenter usurpasse. Aliquid amplius? nec scripsisse Dionem ita credo. Exstant quidem in epitome ejus, a Joanne Xiphilino: sed non ex Dionis adfirmatione, ut equidem opinor; et sensus, sed alicujus Suillii, aut consimilis, qui apud Dionem objecit. Bonus Xiphilinus ut asserta habuit, ab illo inserta: et ut aliter, quis bona mente admittet! Si hoc etiam de adulterio Agrippinæ; etiam de flagitio in Neronem et quæ pudet vel propalare. Enimvero ubi Tacitus, ille accuratus, ille fidus, talem aliquam vel suspicionem jecit? Ipse Dio quomodo non propria laude et testimonio refellat?

nam scribit alibi, totidem his verbis : « Annæus Seneca, ille omnes sui ævi Romanos, multos etiam alios exterosque sapientia exsuperans. » (Lib. LIX.) O Deus, o Fides ! ille talis, et tanta sapientia, vitiis sic omnibus, aut maximis, sit pollutus ? Deme illam, aut hæc adimis : non sunt in eodem contubernio neque jugo. Itaque nos quidem spernimus istas omnes falsimonias, et quæ sine alia adstructione, « sola magnitudine mendacii, fidem quærunt. » Vitam etiam omittimus, de qua vix propositum erat dicere : et alibi opportunius ac decentius fiet. Ad scripta redeo, quæ nos tangunt : vitam fuisse bonam velim, hæc scio esse, et bono quodam humani generis edita, ac propagata. Mirum dictu, sed observatu dignum ; infinita periisse, ævi injuria, veterum illorum et sacrorum monumentorum : sed tamen in omni fere scientia ea facta reliqua, quæ instruere satis, et explere justum desiderium nostrum possent. Divina Providentia est, et in Seneca agnoscimus : quem rigidæ virtutis magistrum, unum pro omnibus, Deus dedit, et una cum sacris nostris Doctoribus voluit prælucere. Quidni cum illis ? pæne unum ex illis, si ipsis hoc credimus : et Tertullianus « sæpe nostrum, » Augustinus « Apostolis familiarem, » Hieronymus pæne Sanctorum numeris ivit insertum. Frontonis, nobilis olim oratoris, et Plutarchi, ut volunt, nepotis, elogio claudimus : « Senecam sic universos exterminare errores, ut aurea videatur sæcula reformare, et Deos ab humano genere exsulantes, ejus opera revocatos, hominibus contracta societate misceri. » (Sarisber. VIII Poclycrat.) O per illum fiat ! et pravum hoc ævi ac sordidum depurgetur, humile erigatur, et Deo denique per virtutem jungatur, sed ipso illo Deo adjuvante et dirigente.

DISSERTATIO XIX.

Epictetus item laudatus, verbis parcius, largiter judicio et admiratione.

De Seneca habes ; clarum aliud sidus se ostendit, Epictetus : ævo, non merito, posterior : et Scriptorum pondere, si non numero, comparandus, vita præponendus. Ille vir totus a se et a Deo, nihil a Fortuna fuit. Origine vilis, et inter servos ; cor-

pore claudus ac debilis; mente nobilissimus, et inter omnis ævi lumina refulsit. Ipse de se epigrammation hoc scripsit :

> Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
> Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις·
> Servus Epictetus sum natus, corpore claudus,
> Irus pauperie, deliciæ superum.

Ipse, inquam, sive de ipso alius[1] : sed confessionem ingenuam vides, et generosum in fine additum, de *amicitia divina*. « Natum Hierapoli, Phrygiæ oppido, tradunt : Romam traductum servisse servitutem (si id nomen in hanc virtutem cadit) Epaphrodito Neronis, qui fuit a custodia corporis illi principi : claudum autem, e destillatione in eam partem corporis illapsa. » Hæc fere Suidas : A. Gellius etiam, qui virum admiratus est, « pulsum Roma edicto illo barbarico Domitiani, quo philosophos omnes ab urbe relegavit : et in Epiri Nicopoli diem ultimum obiisse. » (Lib. XV, cap. 11.) Aiunt ad Marci Antonini Imperatoris tempora durasse : quod ita Suidas prodidit, et Antoninum philosophum accipimus; nam Pius ille, Titi prænomen gessit. Hoc ideo observo, quia consideratione aliqua eget : et a Neronis morte, ad initia Marci Antonini, sunt anni admodum nonaginta quatuor. Quomodo ergo sub Nerone; nisi puer plane, vixerit? Et Epaphrodito tamen servisse (sed fortasse post Neronem) ipse etiam indicat, et jocose ejus meminit I Dissertationum, quas Arrianus digessit, cap. 19. De conditione aut ævo ejus, hactenus scio : vita emendatissima fuit, et plane ad scitum, quod in ore habebat : « Contine, et abstine. » Item hostis fucorum, qui philosophos habitu et verbis præferrent, vita degenerarent : quos ille appellitare solitus, « Philosophos sine factis, dictorum tenus. » (A. Gel. XVII, cap. 19.) Unica anus in ministerio ei fuit, unica lucerna fictilis (hoc domesticum omne instrumentum) ad divinas illas lucubrationes : quæ lucerna a morte ejus mille drachmis (*ter mille* in Luciano Adv. Indoct.) væniit, in memoriam heroisce illius et honorem. Scripta, ut tetigi, pauca exstant : Enchiridion sane egregium, et Stoicæ moralis philosophiæ velut anima; item Dissertationes, quas

[1] Ita A. Gellius, qui ipsi tribuit; at in Anthologia, Leonidæ.

obiter in via, domo, schola habuit, ab Arriano collectæ et digestæ. Neque omnes etiam exstant : in A. Gellio et Stobæo reperies, quæ hic requiras. Sed, Deus bone, acrem et altum in iis spiritum ! accensum animum, et honesti amore ardentem ! Nihil in Græcis, aut fallor, tale exstat : a duabus illis notis dico, Acrimonia et Ardore. Tironem aliquem et rudem veræ philosophiæ, vix afficiat aut tangat : proficientem aut profectum incredibile est quam excitet, et quum pungat ubique, tamen etiam delectet. Genus styli concisum, fractum est, et quod indolem subitarii sermonis habet : sed docta interveniunt sæpe, semper salutaria, et non est qui bonam Mentem magis aut trahat aut formet. Ego senecionem illum nunquam lego, nisi cum interno animi motu : et quod Homero proprium, pluris facio quum relego, semper ut novum, et quum repetivi repetendum. Idem fac ; gratiam monitori habebis ; majorem illi doctori. Nunc vale, cras redi.

JUSTI LIPSII

MANUDUCTIONIS

AD STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBER SECUNDUS.

DISSERTATIO PRIMA.

Sine Philosophia homines pueros, rudesque esse: per eam viros, studiosos, eruditos.

Aud. Ecce me; animi alacer et fidens ad te venio, disciplinæ causa. Valde me heri excitasti: et cum Homero,

> Ὤρινές μοι θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλοισι·
> Ipsum animum mihi commovisti in pectore caro.

Lips. Gaudeo, quia ad honesta, imo salutaria. Et jam serio hoc agis, et posita prætexta, in viros vis transscribi? Aud. Modestius de me sentio, et inter adolescentes scio censeri. Lips. Quid si inter pueros! Ita res est; et quamdiu animus præceptis his Sapientiæ nondum imbutus, quid nisi « simillimi pueris sumus, ait Seneca, quibus omne ludicrum in pretio est? » (Epist. cxv.) Vide quam isti nuces, talos, trochos affectent atque æstiment: ita nos honores, opes, famam, quid nisi lusus? Sicut qui in theatro fuerunt perfusorie oblectati, ubi finem ludicrum habet, et adsurgunt, cum morsu abeunt, adeo solido nullo gaudio aut fructu: sic in his vitæ studiis aut voluptatibus est, quum fugerunt, imo quum fugiunt, angunt. Idem in pueris, quum a lusu cessant. Amplius, ut illi ad larvas aut personas trepidant, et familiares etiam, si in iis conspiciantur, fugiunt: sic nos naturæ aut rationi non aliena,

umbra et opinione malorum territi, vitamus aut fugimus, sine causa trepidi aut inepti. Denique Lucretii verbis :

.... Ut pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt : sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, fugiuntque futura.

Et videsne igitur pueros esse? et « quod illis minusculis, hoc nobis quoque majusculis pueris evenire? » (Sen. Epist. XXIV.) Ita enim recte appellemus istos, « quibus etiam post juventam canosque puerilitas est. An quidquam isti profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in majus errores? qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum, differunt? cæterum, non minus vagi incertique, voluptatem sine dilectu appetentes, trepidi, et non ingenio, sed formidine quieti. » (De Constant. Sapient., cap. 12.) Profecto sunt pueri : « qui contra indolem juniorum, sola occasione præcedentis ætatis intumescunt (Sidon. lib. VIII, epist. VII), ratione aut sapientia parum aut nihil ab iis discreti. » Bene olim Varro : « Sed neque vetulus canterius, quam novellus melior, nec canitudini comes virtus. » Ergo tu adnitere, incredibile gaudium sensurus « quum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transscripserit. Adhuc enim (ut illa Senecæ subjungam) non pueritia in nobis, sed quod gravius est, puerilitas remanet : et auctoritatem habemus senum, vitia puerorum. » (Sen. Epist. IV.) Aud. Boni, et mihi quidem grati, sed non pro vulgo hi sermones. Lips. Stoicorum sunt, id est vere philosophantium : si huc te das, quid reflectis oculos, et ad vulgum spectas? Diogenem illum Cynicum, in hac sententia, audi, qui interrogatus : « Ubinam Græciæ Viros vidisset bonos?—Viros hercle, ait, nusquam : Lacedæmone tamen Pueros vidi. » (Laert. in Diog.) Et vis alium Stoicum sermonem? neque inutiliter ingeram, nam, ut recte Epictetus : « Initium doctrinæ, nominum consideratio. » Iidem, dico, Stoici, hos pueros et rudes, stultos habebant, nullius bonæ rei aut spei : at qui jam inciperent et adlubescerent, quique Sapientiæ se darent, hos *studiosos*, et *studere* dicebant; qui autem pervenissent *doctos* et *eruditos*. Passim ille sermo (si quis observat) in eorum scriptis;

ut Seneca Lucilio suo : « Quum te tam obnixe rogo ut studeas ; meum negotium ago. » (Epist. xxxv.) Quibus studeas ? Sapientiæ, quæ una utile et animo profuturum studium est. Iterum idem : « Tempus nullum est parum idoneum studio salutari. » Et alibi : « Philosophiam studium esse virtutis : sive ut alii, studium corrigendæ mentis. » (Epist. LXXII.) At qui jam progressi, et in meta hujus studii, ii *eruditi*, et Græco verbo, πεπαιδευμένοι seu παιδευθέντες. Ita Posidonius apud Senecam : « Unum diem hominum eruditorum plus patere, quam imperiti longissimam ætatem. » (Epist. LXXXIX.) Cave de alio, quam Sapiente capias : sicut illud Epicteti, apud Arrianum : « Solos eruditos liberos esse. » Quid Propertius, quum scripsit,

> Qualis et hæc docti sit positura Dei :

nonne Stoica hac lingua usus ? mihi videtur : neque in Deum hoc alio sensu, quam *Sapientiæ*, conveniat. Facit belle ad ista, quod « Unum bonum est, scientia : unum malum, imperitia » : Socraticis assertum.

DISSERTATIO II.

Philosophiæ aliquot definitiones Stoicæ; una etiam Platonis : atque eæ breviter explicatæ.

At ego igitur ad hoc *studium*, ad hanc *doctrinam*, jam præibo : trepide satis ; nonne enim per viam clausam, et diu teri desitam ? et scriptores plerique omnes, qui muniverunt, malo fato obierunt : paucæ reliquiæ alibi, et in Seneca nostro scintillæ sunt, quæ prælucent. Colligemus, jungemus : et Deum veneror, ut ad excitandum bonum aliquem animorum ignem. Age, ab ipsis carceribus : ac primum quid *Philosophia*, et quotuplex, tum *Sapientia* videamus. « Philosophiam fuere, ait Seneca, qui aliter atque aliter definirent. Alii, studium illam virtutis esse dixerunt ; alii, studium corrigendæ mentis : a quibusdam dicta est Appetitio rectæ rationis. » (Epist. LXXXIX.) Sed et alibi aliter : « Quid Philosophia, inquit, nisi vitæ Lex est ? » (Epist. XCIV) Sunt omnes a Stoicis, qui verbis, non re, variarunt. E Plutarcho fere intelliges, qui ab iisdem Stoicis definiri facit : « Philosophiam

esse studium artis convenientis (ἐπιτηδείου.) » Et addit intelligentiæ causa : «Conveniens autem, unam et supremam virtutem » (De Placit. Phil. initio.). Ait, *Artis* esse studium. Ita Cicero : « Philosophia *ars* vitæ. » Quæ autem ea *Conveniens ?* ipsa *Virtus*, ut addit Plutarchus : et sic *Sapientiam* passim Stoici appellant. Quo sensu in Diogene Posidonius dicitur « duas posuisse virtutes, Contemplativam et Activam : alii tres, Rationalem, Naturalem et Moralem. » (In Zenone.) Et Cicero, ea lingua : « Princeps omnium virtutum est Sapientia, quam σοφίαν Græci vocant. » (II De Offic.) Et quod ad ἐπιτηδείου vocem, iterum Stoicissans Cicero : « Sapientia est conveniens actio » (III De Finib.), quod referre etiam ad finem Zenonium possis : de quo statim (Dissert. xv.). Ergo, studium virtutis, idem est quod artis convenientis : addo etiam, quod rectæ rationis. Nam recta ratio, non aliud quam natura, ad quam virtus dirigitur, et quæ finis est huic vitæ. Postea magis intelliges (infra Dissert. xvi, xvii.)· Denique studium corrigendæ mentis, estne aliud ac *virtutis ?* Atque ea ipsa, *Lex vitæ*. Sed et est alia definitio, si non Stoicorum, digna ipsis : « Philosophiam esse μελέτην θανάτου, meditationem mortis. » (De Placit. Phil. init.) Platoni eam Plutarchus tribuit : et sane est in ipso, sed Pythagora tamen inventore. Hieronymus : « Primus Pythagoras dixit, Philosophiam meditationem esse mortis : quotidie de carcere corporis nitentem educere animæ libertatem. » (Adversus Ruffin.) Tribuit et Socrati quidem Clemens Alexandrinus : et interpretatur, « avelli a sensibus, et pura mente rebus se applicare, sed addit, et Pythagoram hoc voluisse quinquennii silentio, ut scilicet a rebus sensilibus aversi, nuda mente Deum contemplarentur. » (V Strom.) Ipse Plato interpretatur, corporis fugam significari, et animum in se collectum. » (In Phædone.) Quia revera, ut alibi ait, « Philosophus quæ in civitate geruntur aut gesta sunt, ignorat ; imo vix viam ad forum aut curiam tenet : sed revera corpus ejus tantum in civitate agit, aut potius peregrinatur ; mens autem et cogitatio, hæc omnia parvi, aut nullius æstimans, quacumque fertur (cum Pindaro), terræ infera, et cæli supera pervadens ac dimetiens, et omnem ubique naturam curiose investigans. » (In Theæt.) Quæ ita breviter a

Platone etiam expressit Apuleius : « Philosophum oportet nihil sic agere, quam ut semper studeat animam corporis consortio separare : et ideo existimandum, Philosophiam esse mortis affectationem, consuetudinemque moriendi. » (De Philosophia.) O salutaris hæc definitio, et monitio ! etiam illo sensu, ut ultima et posthuma meditemur; et vivamus morituri, iterumque victuri. Præit et huc Socrates apud Platonem : « Quicumque Philosophiæ studium recte et vere sunt amplexi, etsi nesciunt hoc alii, aliud nihil cogitant et student, quam abire et mori. » (In Phæd.) Denique Seneca eo aspicit : « Vivere tota vita discendum est, et quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori. » (De Brevit. Vit. cap. 7.) Idem alibi : « Egregia res est, mortem condiscere; meditare mortem : qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. » (Epist. XXVI.)

DISSERTATIO III.

Divisio Philosophiæ communissima, in Dogmaticam, Academicam, Scepticam. Quid singulæ? et Academia divisa.

Divisio ejus subjungenda est; atque ea multiplex. Primaria et maxime generalis est : Philosophiam triplicem esse, Dogmaticam, Academicam, Scepticam. Dogmatica est, quæ decreta et sententias (id δόγμα Græcis) ponit, et adnuit aliquid abnuitque. Academica, quæ incerta omnia facit; aut quædam tantum probabilia, integra semper judicandi potestate. Sceptica, quæ ipsa illa probabilia tollit, nihil definiens, nec hoc ipsum nihil definire. Dicam distincte, et maxime de duabus istis : quia Seneca et Stoici nostri sæpe tangunt : et res est, quæ lucis eget. Dicam autem a capite. Quintuplex Academia a Sexto Empirico, et ante eum a Tullio facta : Vetus, Media, Nova, Philonia, Antiochea. Vetus est, cui Socratem et Platonem auctores faciunt : a quibus illa εἰς ἑκάτερα ἐπιχείρησις, *instructio in utramque partem disserendi*, manavit. Cicero ad Aristotelem refert : « et is, inquit, princeps amplexus consuetudinem, de omnibus rebus, in contrarias partes disserendi. » Quod negamus, et liquet Socratem instituisse, hunc fortasse auxisse. Nam quum prisci omnes, Barbari, Pythagorei,

illud. » Item, « Nihil definio. » Item, « Considerans persevero. » Itemque : « Omni rationi ratio opposita reperitur. » Ex quibus facile quid senserint, aut potius non senserint, dijudicare : quum propria illorum affectio sit, Ἀῤῥεψία, *Nulla motio aut devergium in hanc illamve partem*. Ex quo et Ἀφασία sequitur : id est, *nulla dictio* aut *affirmatio* : quum omnia æquali rationum pondere librentur. Itaque ab Academia dissentire palam vides, Veteri quidem et Novâ aut Novis : a Media Arcesilæ, ægre abjungas, et qui introspexere, verum Pyrrhonem illum adfirmarunt. Tamen Sextus, similitudinem fassus, aliquid differre in eo vult : quod Arcesilas Epochen bonum esse dicat, malum *assensionem*, idque secundum naturam : Pyrrhonii minime, sed κατὰ τὸ φαινόμενον, « secundum id quod apparet. » Plura si voles, adfatim in Sexto, atque etiam Laertii Pyrrhone habes.

DISSERTATIO IV.

Quem usum Academia aut Scepsis habeat, quem et abusum : ac Senecæ quædam illustrata.

Aud. Non mehercules, non requiro ; vel istorum, pæne dicam, tædet. Ad istane tam absona, et rationi sensuique adversa, homines venisse ? Ades Varro, tecum proclamo :

> Postremo nemo ægrotus quidquam somniat
> Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

Lips. Mollius, et parcius. Veterem Academiam ratione non rejicias, nec Novam quidem Carneadis, Seneca auctore. Imo eo pæne vocat : « Disputare cum Socrate licet, cum Carneade dubitare. » (De Brevit. Vit. c. 14.) Et vero si naturam nostram, id est infirmitatem et caliginem, serio videas : quid magnum præsumere est, aut adfirmare ? Maximos viros ea res jam olim ad confessionem ignorationis adduxit, atque adeo veri desperationem. Quid si Homerum ipsum caput sibi habent ? volunt certe : et Arcesilas « Homerum ante omnes æstimabat (Laertii verba), cujus adeo studiosus erat, ut semper ante somnum aliquid ex eo libaret. Mane vero quum surgeret, pariter : et quum lecturus, aiebat, Ad amasium se ire. » Pyrrho similiter, qui illa divinitus

gamus. » (In Lucul.) Et alibi : « Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut nulla insit certa judicandi et discernendi nota. » Itaque hac re ab Arcesila abivit, negante *verum aut falsum* esse : item alia, quod etsi assensum retineret, non tamen *probabile* aliquid, aut contra, negabat, id est πιθανὸν non tollebat, Arcesilæ factum. (Numen. apud Euseb. XIV Præparat. Evang.) Cicero : « Reliquit Carneades ejusmodi visa (φαντασίας) quibus ad actionem excitemur : item ea quæ interrogati in utramque partem respondere possimus; sequentes tantummodo quod ita visum sit, dum sine assensu. » (IV Acad.) Plura et ipse Cicero, et Plutarchus adversus Colotem. Quarta, Philonis fuit, quem a Carneade et ejus discipulo, suo præceptore Clitomacho, abisse, Cicero aliique testantur : qua parte, haud satis liquet. Videtur tamen propius ad *Veterem* et Platonicam accessisse, nec Epochen plene servasse, quum « Sapientem opinari non prohiberet. » Numenio ita scriptum. (Apud Euseb. XVI.) Sed et « comprehendi quædam » posse aiebat : etsi non Stoica illa et certa phantasia, cui similis alia obrepere non possit. Quinta, Antiochi, qui Philonis auditor, Evidentiæ ac Sensuum causam suscepit, et re ad Stoam se transtulit, Academici tamen nomine retento. Itaque Academiam Veterem visus est instaurasse, etsi de Criterio cum Stoicis sentiebat : imo (ait Cicero) « si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus. » (IV Acad.) Ejus sententiam totam, ex iis quæ Varro apud eumdem Ciceronem disserit, est videre. Sceptici supersunt, quibus Pyrrho dux et auctor fuit. Eorum sententia : « Res ex æquo indifferentes, incertas, injudicabiles. Ideo nec sensus, nec opiniones nostras verum aut falsum dicere. Ergo nec ipsis fidem habendam, sed opinationis expertes manere nos debere, sine inclinatione, sine motione ; de quaque singula re dicentes : non magis est, quam non est : itemque, est, non est, neque non est. » (Aristoteles apud Euseb. lib. XIV.) Plures istorum voces in Sexto Empirico (quicumque is fuit; quidam Plutarchi ex sorore cognatum censent, sed quicumque, ingenio et argutiis validus), in illo, inquam, etiam istæ : « Non magis hoc, quam

moveantur. Ego vero audacter eloquar, non sic abjiciendos esse : modum tantum tenuissent, nec disputandi studio ablati extra fines fuissent. Quin et Seneca requirere eos videtur, et dolere quod periissent. Nam jam nunc, ejus ævo, publice nulla hæc schola. « Tot familiæ, inquit, Philosophorum sine successore deficiunt. Academici et Veteres et Minores nullum antistitem reliquerunt. Quis est, qui tradat præcepta Pyrrhonis? » (VII Quæst. Nat. c. ult.) Ubi duplicem modo Academiam agnoscit, Minorum nomine omnes post Platonicam illam comprehendens : et Pyrrhoniam tamen sive Scepticam ab iis distinguens. Quanquam idem dubitare tolerat, pertinax illud scientiæ negandæ studium damnat. « Audi, inquit ad Lucilium, quantum mali faciat nimia subtilitas, et quam infesta Veritati sit. Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex æquo : et de hac ipsa, An omnis res in utramque partem disputabilis sit, Nausiphanes ait, Ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, Ex his quæ videntur, nihil esse in universum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit: ait, Nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, et Megarici, et Eretrici, et Academici, qui novam induxerunt scientiam, nihil scire. Hæc omnia in illum supervacuum studiorum liberalium gregem conjice. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem scientiæ eripiunt. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum : hi oculos mihi effodiunt. » (Ep. LXXXVIII.) Pulcherrima et justissima censura, nec appello aut oppono. An non magis explico? nam quædam non prompta, fortasse et intricata. Ait, « Protagoram, de omni re in utrumque disputasse. » (In Theæt.) Est ille sophista, a Platonis dialogo clarus, cujus sententia ab eodem hæc refertur, et refellitur : « Sufficere sibi quemque ad sapiendum. » (In eod. Dial.) Ratio est, « id cuique verum esse, quod cuique videatur ; » ut Cicero vertit (IV Acad.). Itaque « Criterium tollebat (ait Empiricus) et omnes opiniones ac visiones veras esse : quia veritas sit ex iis quæ referuntur ad aliquid ; cui autem apparuerit, statim ad illum refertur. » Inde vox ejus : « Omnium rerum mensura, homo ; » Itemque : « Omnia vera esse. » (Contra Mathem. cap. De Criterio.) Ex his de

Protagora Abderita liquet : etsi Seneca sententiam ejus magis ad Pyrrhoniam conformat. Effert et Plutarchus paullo aliter, in Colotem, initio. Sed addit de Nausiphane : « Nihil magis esse, quam non esse. » Sunt ipsa Pyrrhonis : et cur non eum advocavit? Nam ab isto doctore suo Nausiphanes hausit. Commemorat Diogenes in Pyrrhone : et Sextus initio librorum, « Epicuri doctorem fuisse, a quo ille, ut videretur αὐτοδίδακτος, dissenserit, famam ejus et nomen etiam obterens, et πνεύμονα passim, id est pulmonem (quasi *exsensum*) appellans. » Tertium de Parmenide, « Nihil esse in universum. » Si vera hæc lectio, dixerim respectum ad illud Parmenidis, « Nullo modo esse quæ non sunt. » Platoni bis terque, illo auctore expressum, et refutatum. (In Sophista.) Quo voluisse videtur, νοητὰ et æterna illa solum esse : hæc visibus subjecta et fugacia, nec vere esse. Sed arbitror interpolata ista : et verba hæc, « ex iis quæ videntur, » prave e superiore linea translata : itaque delenda. Tum amplius, quum in optimo meo Codice nulla sit negativa illa, *Nihil*; legendum, « Parmenides ait, esse unum universum. » Nam periit, aut latuit ista vocula, in principio sequentis. Res quidem ita habet : et est germana ipsa sententia, imo verba Parmenidis : Ἓν τὸ πᾶν : « Unum universum. » Seneca adfirmat, quum statim hoc repetens, ait, « Parmenidi, nihil esse, præter unum. » Plato clarissime, de Melisso et Parmenide : « Unum stabile dicunt universum. » Iterumque de iisdem : « Omnia iis unum sunt, atque id stat in seipso, quum locum non habeat ubi moveatur. » (In Theæt.) Duplex igitur sententia, et « unum omnia : » et item Immobilia, quod Plutarchus alibi iisdem adsignat. Qui idem hoc, de quo Seneca, diffuse explicat, et defendit libro contra Colotem Epicureum. Summa est, « Parmenidem cum Socrate, sed ante eum advertisse δοξαστὸν, Opinabile, in natura esse; itemque νοητὸν, Intellectuale. Illud in motu assiduo, et variare, et atteri et nasci : hoc minime, et constans ac perpetuum idemque esse. Ideo vere Esse dici, et unum esse : estque proinde ac si dicat, τὸ ὂν ἕν : Unum ens. » (De Placit. Phil. I, c. 24.) Ita Plutarchus, nec valde ab hoc sensu Pythagorei abeunt qui « eorum quæ per se intelliguntur genus constituunt, Unum. » (Adv. Mathem.) Quod

in Sexto Empirico legi : et in eodem hanc sententiam non Parmenidi, sed Nausiphani adscribi. « Nausiphanis, inquit, dogma erat, Universitatem esse unum. » Ille Nausiphani, Plato alibi Xenophani et Eleaticis adsignat. « Omnia quæ dicuntur, unum esse. » (In Sophista.) Quid Euclides, a quo Megarici? « Unum bonum esse : et bono opposita, nec esse. » Quod in eamdem viam sensus venit. Jam sequitur de Zenone Eleate, qui « omnia negotia de negotio dejecit : ait, enim, nihil esse. » Verba suspecta sunt; et Pincianus monuit, a plerisque libris suis illa, « de negotio », abesse. In meis reperi, fateor : tamen interpolata hæc censeo, legendumque : « omni a negotio dejecit », sive placet : « omni de negotio », quod in quibusdam scilicet libris scriptum, ansam dedit utrumque ponendi, ut fit, et corrumpendi. Sententia est : Zeno Eleates molestia nos liberavit, et omni inquisitione : nam ait, nihil esse. Sed hæc mira, et eximie fatua aut sapiens sententia; nec mihi nunc capienda. An ad contemptum rerum retulit, Nihili hæc (non tamen Nihil) esse? velim; et sic laudem, non solum tolerem. Si aliter, et de ipsa existentia, elleboro hæc egent. Cæterum Zeno Eleates nusquam tale, apud Laertium quidem : ubi dogmata ejus diversa, sed nec alibi commemini legisse. Viderit Seneca. Illud in Sexto consimile adnotavi, de Gorgia Leontino : « Is librum, inquit, scripsit de eo Quod non est, in quo constituit tria capita. Unum quidem et primum, Quod nihil sit : alterum, Quod et si sit, comprehendi ab homine non possit; tertium, Etiam si possit, non tamen efferri aut enunciari. » (Adv. Mathem. c. de Criterio. Adde Pyrrhon. Hyp. II, c. 11 ibidem.) Heu vana! et ut cum Seneca redarguam, « Quid ergo nos sumus? quid ista, quæ nos circumstant, alunt, sustinent? tota rerum natura umbra est, aut inanis aut fallax. Non facile dixerim, utrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt; an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire. »

DISSERTATIO V.

Alia Philosophiæ divisio, in Contemplativam et Activam : iterumque singulæ divisæ.

Abite omnes, qui in Academia hac tali, aut juxta estis : nobis Dogmatica placet, et pro ea Philosophiam jam dividemus. Est igitur duplex, Contemplativa, aut Activa : atque id ex præscripto naturæ. « Natura enim, ait Seneca, ad utrumque nos genuit, et contemplationi rerum, et actioni. » Itaque ex ejus et Stoicorum mente, « Philosophia et contemplativa est, et activa : spectat, simulque agit. Erras enim, si illam putas tantum terrestres operas promittere : altius spirat. Totum, inquit, mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis ac dissuadere contenta. Magna me vocant, supraque nos posita. » (De Vita Beat. cap. 31 et 32 ; Ep. xcv.) Contemplativam autem dicimus cui sola ea, aut præcipua quidem, finis. Nam hoc addo ; quia « plurimum discriminis est, ait Seneca, utrum aliqua res propositum, an propositi alterius accessio sit. Tamen alterum sine altero non est, nec ille sine actione contemplatur ; nec hic sine contemplatione agit. » (De Vita Beat. cap. ult.) Igitur mixta fere ; sed tamen in altera, contemplatio sive scientia præcipue petitur, in ista, actio sive efficientia ipsa. Dividitur a Peripateticis Contemplativa in tres partes : Theologiam, Physiologiam, Mathematicam. Theologiam (aliis est prima Philosophia, a dignitate) dicunt, in superis rebus deditam, quæ corpore et materia carent ; ut sunt Deus, Genii, Animus, et quæ adhærent. Physiologiam, in iis quæ materia constant, et sensu percipiuntur ; ut animalia, plantæ, lapides, et quæ adjuncta. Mathematica, quæ in rebus quidem sine corpore, sed in corpore tamen consideratis : ut sunt numeri, soni, figuræ, cælestes motus. Itaque hæc singula singulas iterum scientias gignunt ; dividuntque Mathematica in Arithmeticam, quæ numeros ; Musicam, quæ sonos ; Geometriam, quæ figuras ; Astrologiam, quæ superos illos motus spectat. Jam activa pars dicitur, cui finis præcipuus et fructus actio est, quæ tripliciter item divi-

ditur, in Ethicam, Œconomicam, Politicam. Ethica est, quæ mores, vitam, regimen singulorum hominum considerat et format; Œconomica (Familiarem ego verterem) quæ domus cujusque et familiæ : Politica, quæ civitatis totius aut societatis. Ecce divisionem et membra totius Philosophiæ : nec tenuius opus est, aut expediat, quia « dividi illam (auctore Seneca), non concidi, utile est. Id vitii habet nimia, quod nulla divisio. Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est. » (Epistola LXXXIX.) Itaque fuere etiam, qui brevius partiverunt; ut Apuleius, qui Naturalem, Intellectualem, Rationalem, et Moralem agnoscit, et Platoni singulas eximie adscribit. (De Dogm. Plat.) Easque hausisse ait, « Naturalem ab Heracliticis, Intellectualem a Pythagoreis, Rationalem atque Moralem ab isto Socratis fonte. » Ubi observes Intellectualem præcipue ab eo dici, Theologiam nobis appellatam, nisi quis Mathematicam malit. Sed alia etiam divisio parcior est, Senecæ sic exposita. « Philosophiæ tres esse partes dixerunt, et maximi et plurimi auctores : Moralem, Naturalem, Rationalem. Prima componit animum : secunda rerum naturam scrutatur; tertia proprietates verborum exigit, et structuram, et argumentationes, ne pro vero falsa surrepant. » (Epistola LXXXIX.) Ait, maximos auctores sic tribuisse. Quos illos? Zenonem et Stoicos suos intelligit : et sic Primum divisisse Zenonem Cittiæum Laertius scripsit (In Zenone) : et Plutarchus adstipulatur (De Placit. Phil. I, c. 1.). Nam illa prima et uberior, a me posita, fere Peripateticorum fuit. Sed ait etiam in « tertia parte, proprietates verborum et structuram ab ea exigi » : quod scilicet ad Rhetoricam referetur, quia Stoici Logicam in duas partes dividebant, Rhetoricam et Dialecticam. Addo, ipsam hanc triplicem partitionem in Macrobio esse, sed diverso, ne erres, sensu. Nam fine Commentarii in Somnium Scipionis : « Quum sint, inquit, totius Philosophiæ tres partes, Moralis, Naturalis, et Rationalis : et sit Moralis, quæ docet morum elimatam perfectionem : Naturalis, quæ de divinis corporibus disputat : Rationalis, quum de incorporalibus sermo est, quæ mens sola complectitur : nullam de tribus Tullius in hoc Somnio prætermisit. Nam illa ad virtutes amoremque patriæ ad-

hortatio, quid aliud continet nisi instituta Moralia? quum vero de sphærarum modo, de magnitudine siderum, et circis cælestibus, cingulisque terrestribus, et Oceani situ loquitur; Physicæ decreta commemorat. At quum de motu et immortalitate animæ disputat, cui nihil constat inesse corporeum, cujusque essentiam nullus sensus, sed sola Ratio deprehendit; illic ad altitudinem Philosophiæ ascendit. » (Lib. II, c. ult.) Ubi palam vides, Rationalem esse, Intellectualem ante nobis dictam. Atque ita idem Macrobius alibi : « Philosophia illicce habetur augustior, ubi de Rationali parte, id est incorporeis disputat. » (VII Saturnal. cap. 5.)

DISSERTATIO VI.

Logicam omitti a quibusdam. De dignitate singularum : et Ethicam usu fructuque certe eminere.

ATQUE ista igitur Macrobiana divisio, Logicam illam communi sensu dictam omittit; quam et alii non partem, sed instrumentum Philosophiæ dixerunt. « Epicurei etiam, ait Seneca, duas partes Philosophiæ putaverunt esse, Naturalem atque Moralem; Rationalem removerunt. Deinde quum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa coarguere, ipsi quoque locum, quem de judicio et regula appellant, alio nomine, Rationalem induxerunt. » (Epist. LXXXIX.) Diogenes hoc ipsum, et divisam ab Epicuro Philosophiam tradit in « Canonicam, Physicam, Ethicam. Canonicam autem esse, quæ aggressiones et aditus ad opus habet, uno libro ab eo tradita, qui Canon inscribitur. » (In Epic.) Quamquam et Stoicorum aliqui hanc partem Logicæ faciebant; et dividebant (Laertius auctor), « in Rhetoricam et Dialecticam; aliqui autem et in Definitivam, quæ est de regulis et judiciis. » (In Zenone) Sed persequi hæc omitto, et Annæi monito, non tenuiter nimis partiri, aut etiam interpretari. Illud addo, Stoicos varia imagine usum aut dignitatem harum partium expressisse : « Assimilant enim animali Philosophiam : ossibus ac nervis, Logicam; carneis partibus, Ethicam; animæ, Physicam. » (Diog. in Zenone.) Iterumque alia imagine : « Cum

ovo comparant, cujus exteriora et testæ, sunt Logica; proxima, id est albumen, Ethica; intima, sive vitellus, Physica. » Adde tertiam : « Cum agro; et sepem circumjectam, esse Logicam; fructus, Ethicam; terram et arbores, Physicam. » Vis et quartam? « Cum urbe, bene munita, et ratione administrata. » Quomodo? nec enim aliter accommodat. Puto, muros Logicam; cives, Physicam; leges et mores, Ethicam esse. Ex Diogene ista; et vereor ut fideliter ab eo exscripta. Sextus Empiricus in quibusdam arguit, et probabiliora mihi dicit. Nam de « ovo, ait, vitellum, Ethicam referre; albumen, quod est alimentum vitelli, Physicam. » Iterumque in « animali, sanguini et carnibus, Physicam; animæ, Ethicam æquiparavit » (Adv. Mathem.), et monuit a Posidonio Stoico hoc esse. Utrobique vides digniorem Ethicam censeri, et cum optima parte conferri; quod planissime verum est, et pro communi sensu Stoicorum. Nam hanc illi magnificant, et super alias extollunt; imo, cum Cynicis, reliquas pæne tollunt. Noster Seneca : « Non mehercules nimis ad rem existimo pertinere, ubi dicta sunt quæ regunt mores, persequi cetera; non in remedium animi, sed in exercitationem ingenii inventa. » (De Benef. VII, cap. 1, et Diogen. in Zenon.) In remedium, inquit, quid enim aliud proprie Philosophia est, « quam animi morborum et affectionum medicina? » (Plut. de Inst. puer.) aut, ut cum Cicerone brevius, « Sanitas animi? » Itaque aureum illud Pythagoræ : « Inanis illius philosophi et vana oratio, quæ nullam affectionem in homine curat. Ut enim medicinæ nullus usus, nisi morbos a corpore depellentis, ita nec Philosophiæ, nisi mala animi amolientis. » (In Stob. Ser. LXXX.) Subtilis, oblectans, alta esse potest; sed ut platani aut cupressi umbram et oblectatiunculam præbent, fructum non habent; sic censendum, ubi solæ illæ aliæ partes, hac omissa.

Ego odi homines ignava opera, philosopha sententia;

aiebat olim Pacuvius, et cum eo Plato : « Constantiam, fidem, animi sanitatem, ego aio veram Philosophiam esse. Alias autem quascumque, et alio tendentes sapientias sive solertias, si elegantias et argutias dixero, recte censeam appellasse. » (Ep. x.) Audis, o meus? per Deum demitte; et peregrinari in aliis juvet,

in hac habitare. « Facere docet Philosophia, non dicere; et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat. » (Sen. Epist. XX.) Ideo scite olim Cleanthes, « interrogatus, cur olim inter paucos philosophantium, plures quam nunc inclaruissent? Nam tunc opus ipsum exercebatur, nunc verba. » (Stob. Serm. LXXX.) Utinam nec hodie fiat! sed « peccatur aliquid præcipientium vitio, qui nos docent disputare, non vivere; aliquid discentium, qui propositum adferunt ad præceptores suos non animum excolendi, sed ingenium. Ita quæ Philosophia fuit, facta Philologia est, an et cum Platone (De Rep. V, in fine) dicam, facta φιλοδοξία (*Opinionum studium et Ambitio*) est? (Sen. Ep. CVIII.)

DISSERTATIO VII.

Discrimen Sapientiæ a Philosophia : et illius definitio, eaque obiter illustrata.

DEFINIIMUS Philosophiam, et divisimus; ad Sophiam sive *sapientiam* eundum est, ab ea distinctam. Quid opus monere? vix hercules, nisi quod confundunt sæpe veteres : et iidem sedulo admonuerunt distingui. Confundit Plato, quum definit : « Philosophia est acquisitio Sapientiæ. » (In Euthydemo.) Non censeo, sed quæsitionem studiumque. Item Aristoteles : cui est, « Scientia veritatis. » (II Metaphys. cap. I.) Quod de ipsa Sapientia, vere, non affectione ejus, dicas. Ergo Stoici, quia crebra hæc mixtio, distinguunt : et ab iis Seneca : « Dicam inter Philosophiam et Sapientiam quid intersit. Sapientia, perfectum bonum est mentis humanæ : Philosophia, Sapientiæ amor et affectatio. Hæc ostendit (sive contendit) quo illa pervenit. » (Epist. LXXXIX.) Simile Clemens Alexandrinus : « Sicut liberales artes, inquit, conferunt ad Philosophiam, quæ est earum domina; sic ipsa Philosophia ad Sapientiam; » et addit : « est enim Philosophia, studium et meditatio; Sapientia autem, scientia divinarum humanarumque rerum, et quæ earum sunt causæ. » (I Strom.) Et Cicero non omisit : « Nec quidquam aliud est Philosophia, præter studium Sapientiæ : Sapientia autem, cognitio et scientia rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hæ res

continentur. » (II De Off. et IV Tusc.) Seneca istis paria : nisi quod de Causis, in clausula, censet removendum. « Quidam, inquit, Sapientiam ita finierunt, ut dicerent eam, divinorum et humanorum scientiam. » Quidam ita : « Sapientia est, nosse divina et humana, et eorum causas ; » tum adjungit « supervacua mihi videtur hæc adjectio, quia causæ divinorum humanorumque partes sunt. » (Epist. LXXXIX.) Licebat dicere, et in Scientiæ verbo eas contineri. Ceterum ipsæ istæ definitiones omnes stoicæ sunt : et Plutarchus aperte tradit. « Stoici aiebant, Sapientiam divinorum et humanorum scientiam esse. » Ac vides, pro Senecæ mente, omitti ibi causas. Sunt aliæ atque aliæ definitiones, pro varietate effectuum quos producit : ut « Sapientia est, semper idem velle ac nolle. » Item, « Sapientia est liberale studium, quod vere liberos facit » (Sen. Ep. XX.) : et plura ejusmodi, lectu et intellectu prompta. Illud notandum et excerpendum, quod Scientiam eam definiunt : sive Artem, ut Seneca alibi : « Sapientia ars est, certum petit. » (Epist. XXIX.) Aristoteles utrumque junxit, et dixit eam : « Artem artium, scientiam scientiarum. » Macrobius transsumsit : et ait, « rem consensu humani generis decantatam et creditam, Philosophiam artem esse artium, et disciplinam disciplinarum. » (VII Saturn. cap. 5.) Quod interpretari vel per excellentiam licet, quod super omnes emineat : vel a potestate, quod formet omnes dirigatque. Seneca, de Sapientia : « Artificem vides vitæ, alias artes sub dominio habet. Nam cui vita, illi vitæ quoque ornamenta serviunt. » (Epist. XC.) Est igitur Scientia proprie, qua Contemplatur ; Ars est, qua Agit. Sequitur autem, Divinorum et Humanorum scientiam esse. O rem amplam, atque adeo arduam ! quidni sit ? « Magna et spatiosa res, ait noster, Sapientia : de Divinis Humanisque discendum. » (Epist. LXXXVIII.) Divina autem primo : si felicitatem quærimus humanum scilicet finem. Theages : « Nam principium, et causa, et regula est humanæ felicitatis, cognitio præstantissimarum rerum et divinarum. » (In Stob. Serm. I.) Atque etiam, si Veritatem quærimus, sine qua Sapientia non consistit : « Veritas enim, ut et Græcum nomen (Ἀλήθεια) indicat, circa Deos versatur, et Deorum immortalem actionem. » (Jamblich. in Stob. Serm. XI.)

Itaque duo Sapientia hic considerat, ipsum Deum, et ejus opera, id est mundum, quæque in eo : et uno verbo totam Physiologiam, quæ hoc Divinorum verbo continetur. Ita enim Seneca. « Sapientia totius naturæ notitiam ac suæ tradit ; quid sint Dii, qualesque, declarat : quid inferi, quid lares, et genii. Hæc ejus initiamenta sunt, per quæ non municipale sacrum, sed ingens omnium Deorum templum mundus iste reseratur. » (Epist. xc.) Observa *Totam Naturam* ab ea nosci, jam dictam : sed et *Suam*, id est Animum, et quæ circa illum, itemque Corpus. « Hoc jubet illa Pythicis oraculis adscripta vox, Nosce teipsum. » (Sen. Consol. ad Mar. cap. 11.) Frustra illa omnia, nisi istud : et quem fructum igitur habet? hunc Platoni expressum : « Ut neque internæ dignitatis amplitudinem ignoremus, divina in nobis parte neglecta; neque exteriorem humilitatem, natura additam, ignorantes, vane in ea extollamur. » (In Philebo.) Ad magnitudinem animi vocat, sed per animi cultum : ad modestiam, per corporis contemptum.

DISSERTATIO VIII.

Verus Stoicorum Sapiens, in summo ab iis descriptus : ideoque irrepertus, nec id tamen sine causa, aut fructu.

Quid ergo? jam in animo mihi occurris : omnia ista opus scire Sapientem? Aud. Certe occurrebam : aut potius jam pæne abibam, desperatione victus. Quis homo ullus, aut unquam, *Divina* omnia et *Humana* novit? non fuit, non erit : ideoque jure abhorreo altiloquam hanc Sapientiam et in prærupto positam, quo non itur. Lips. Solari te poteram Aristotelis verbis qui censet : « Scire sapientem pleraque omnia, quantum fieri potest, non per singula scientiam eorum habentem » (I Post phys.) : sed, ut postea addit « universali quadam scientia » contentum : solari et Demetrii Cynici verbis, apud Senecam : « Plus prodesse si pauca præcepta Sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi, et in usu sint, quam si multa didiceris, sed non habeas ad manum. Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit quorum usus sub adversario rarus

est; sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit: nec enim refert, quam multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est: sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt. » (VII De Benef. cap. 1.) Plura addit, quæ ad contemptum etiam physiologiæ ire videntur, et in una scientia vitæ, id est Boni Malique, nos collocare. Sed ego vero his vel solatiis, vel effugiis, non utor: bene et vere diximus, Sapientem ea omnia, scire. Sed quem *Sapientem*? nimirum hunc Stoicum, id est perfectum, consummatum, cui Boni nihil abest, cui Mali nihil adest. Qui eminet inter omnes,

> .... Velut altus Olympi
> Vertex, qui spatio ventos nubesque reliquit. (CLAUDIAN.)

iterumque cum poeta,

> .... Celsa qui mentis ab arce
> Despicit errantes, humanaque gaudia ridet. (STATIUS.)

« qui non aliter quam in tenebris lumen effulsit, advertitque in se omnium animos » (Sen. Epist. cxx): qui Plutarchi verbis, habet « ἰσόθεον διάθεσιν, divinæ similem constitutionem »: sive Senecæ nostri, qui habet « imbecillitatem hominis, securitatem Dei. » Quem denique

> Ἐρχόμενον ἀνὰ ἄστυ, θεὸν ὥς, εἰσορόωσιν.
> Urbe incedentem, numen velut, endotuentur.
> (HOMER. Odyss. Θ.)

Et quis finis elogiorum sit? atque ecce in ultimo sum mentitus. *Urbe incedentem*, et *adspici* feci: falso; non est ille, ut verbo tibi dicam, nisi in descriptione: re non fuit. Plutarchus aperte, de Stoico Sapiente: « Est vero nusquam gentium terrarumve, neque fuit. » (De pugn. Stoic.) Cicero: « Stoici eam Sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus. » (In Lælio.) Iterumque alibi: « Quis Sapiens sit, aut fuerit, nec ipsos Stoicos solere dicere. » (IV Acad.) Hæc ego veriora arbitror, imo scio; quam quæ Seneca noster mitiora et gratiora auribus scribit. Nam interdum facit fuisse; interdum, sed fuisse. « Scis, inquit, quem nunc virum bonum dicam, hujus secundæ Notæ (e classe proficientium, de qua statim): nam ille alter (primæ scilicet) fortasse tanquam phœnix semel anno quingentesimo

nascitur. » (Epist. XLII.) Atque hic aliquid etiam ambigens, alibi fortius adserit : « Non est, inquit, quod dicas, ita ut soles, Hunc sapientem nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ rei concipimus : sed qualem conformamus, exhibuimus, et exhibebimus. Raro forsitan, magnisque ætatum intervallis invenitur : neque enim magna, et excedentia solitum ac vulgarem modum, crebro gignuntur : cæterum hic ipse M. Cato, a cujus mentione hæc disputatio fluxit, vereor ne supra nostrum exemplar sit. » (De Constant. Sap. cap. 7.) Ah! mi Seneca, bona quidem mente ipse erras, aut nos inducis. Tam credulos autem esse? absit. Qualem describi Sapientem a vobis scimus, eum fuisse nemo Stoicorum dixit : « posse tamen esse, omnes. » Quod etiam hoc argumento colligebat Posidonius, quia « Socrates, Diogenes, Antisthenes, magnos progressus fecissent, nec longe a vertice constitissent. » (Laert. in Zen.) Itaque qui magis adniterentur, bona indole, bona disciplina, assiduo exercitio, posse pervenire. Nos Christiani abnuimus, et cum Platone sentimus : « Eum, qui vere philosophatur, censere, nusquam aut numquam se puram Sapientiam, quam apud inferos consecuturum » (In Phœd.) : id est, corpore exutum, in puris illis beatisque locis, apud auctorem omnis Sapientiæ, et sui. Sed quo fructu igitur talis ille describitur, quem esse Natura abnuit? Dicam, in exemplum. Species et Idea quædam illius Summi proponenda est, quo connitamur, non pertingere, sed accedere; neque assequi, sed æmulari; sicut oratorem Cicero et Fabius formant, qui non fit aut erit, sed nempe perfectio illa exprimenda est : sic nostri Sapientem. Ipse Fabius : « Quærentibus, an talis orator fuerit? respondebo, quomodo Stoici, si interrogentur : An Sapiens Zeno, an Cleanthes, an Chrysippus? ipsi respondeant, magnos quidem illos ac venerabiles, non tamen id quod natura hominis summum habet, consecutos. » (Lib. XII.) Et vero invitat hæc grandiloquentia, et honestos quidem animos erigit ad honesta. Senecæ verba opportune huc ducam : « Quid mirum, si non ascendunt in altum, ardua aggressi? Viros suspice, etiamsi decidunt, magna conantes. Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad

naturæ vires, conari alta, tentare, et mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint. » (De Vita Beat. cap. 20.) Hic desperat aut abnuit, quod ante adfirmavit.

DISSERTATIO IX.

Alter ab illo Sapiens, qualem Natura et ævum dant; is Proficiens dicitur, ejusque discrimina.

Itaque non est ille primæ notæ in rerum natura Sapiens : nisi in scriptis et libris : est alius secundæ. Illum τέλειον et *Consummatum* vocant, hunc προκόπτοντα sive *Proficientem* : item *Studiosum* istum, ut dixi, illum Doctum. Seneca sæpe hoc discrimen ingerit, ut : « Hoc interest inter *Consummatæ* Sapientiæ virum, et alium *Procedentis.* » (Epist. LXXII.) Nota et *Procedentis* hanc vocem, quasi in via progressi. Alibi : Nostrum vitium est, « qui quod dicitur de sapiente, exigimus, et a proficiente. » Iterumque : « aliud est studiosus sapientiæ, aliud jam adeptus sapientiam. » (De Vita Beat., cap. 24.) Et denique alibi : « Diverso remedio utetur sapiens, assectatorque sapientiæ. » (De Constant. Sap. cap. 19.) Adde, quæ supra dixi (Dissert. I) de vocibus παιδευομένου, et πεπαιδευμένου, itemque τυπουμένου et τετυπωμένου : huc spectant. Sed ut ad rem, ille primus igitur describitur, qualis esse debet, et in exemplum : alter, qui solet interim esse, sed in dispari etiam gradu. Nam Seneca alibi duo, alibi tria genera Proficientium facit. Duo, his verbis : « In ipsis sapientiam sectantibus magna discrimina esse, fateamur necesse est. Alius jam tantum profecit, ut contra Fortunam audeat tollere oculos, sed non pertinaciter. Alius in tantum, ut possit cum illa conferre vultum. Si jam pervenit ad summum, etiam fiduciæ plenus est. » Quæ sic legenda et distinguenda moneo (vulgo confuse) : quia postremum illum a vero sapiente hoc uno removet; quod labi non possit, sed tamen timet. At qui jam in summo, nec potest nec timet, securus videlicet sui. Ex his aliis ejus verbis discas, ubi tria genera facit. « Inter ipsos, inquit, proficientes sunt magna discrimina. In tres classes, ut quibusdam placet, dividuntur.

Primi sunt, qui Sapientiam nondum habent, sed jam in vicinia ejus constiterunt. Qui sint hi quæris? qui omnes jam Affectus ac Vitia posuerunt: quæ erant complectenda, didicerunt: sed illis adhuc inexperta fiducia est. Jam ibi sunt, ubi non est retro lapsus, sed hoc illis de se nondum liquet. Jam contigit illis bono suo frui, nondum confidere. Secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et affectus deposuerunt, sed ita, ut possint in eadem relabi. Tertium illud genus, extra multa et magna vitia est, sed non extra omnia. » (Ep. LXXV.) Sunt pluscula, quæ addit: hæc intelligentiæ sufficiunt, nec superfluere indoles mea amat. Illud moneo, in eodem Seneca alibi, « genus tertium eorum poni, qui Sapientiæ alludunt; quam non quidem contigerunt, in conspectu tamen, et velut sub ictu habent. Hi non concutiuntur, nec defluunt quidem: nondum in sicco, jam in portu sunt. » (Epist. LXXII.) Sed minus accurate ibi distinguit, ut videre est, miscetque ipsum sapientem: tamen genus hoc tertium primum illud Proficientium, quod diximus, assidet et tangit. En tibi discrimina, nam plane imperitos ac rudes nullo hic loco habemus. Enimvero et primus ille Ordo infrequens, nec scio an Zenonas, aut Cleanthas admittat; in reliquis aliquid spei est et animi, ad perveniendum. Imo de Tertio cogitemus « bene nobiscum agetur, si in hunc admittimur numerum. Magna felicitate naturæ, magnaque et assidua intentione studii secundus occupatur gradus: sed nec hic quidem contemnendus est color tertius. » (Sen. Epist. LXXV.) Ego te et me voveam hic esse; effugisse multa et magna vitia; et doctrina atque exercitio ad ulteriora niti.

DISSERTATIO X.

Doceri Sapientiam, et disci: neque a Deo et natura tantum esse. Omnibus etiam offerri.

Doctrina, inquam. Nam Cynici olim, et nostri sanxerunt: « Quod virtus doceri possit. » Hoc ideo firmandum, quia alii aliter; et pars est aut inter initia, Stoicæ doctrinæ. Nam fuere qui a Deo esse dicerent; fuere qui a Natura. A Deo, Plato inter-

dum asserere videtur, atque inseri eam (ita alibi loquitur): «divina sorte, sine animi opera.» (In Menone.) Imo et Protagoram sedulo refutat Socrates, censentem doceri posse. (In Protagora.) Etsi Plato non semel it in alia, et Disciplinam (quorsum aliter tot libri ejus?) admiscet. At quidam a Natura petebant, ut dixi, atque ita Trogus: « Scythis Naturam dare, quod Græci longa sapientiæ doctrina, præceptisque philosophorum, consequi nequiverunt. » (Lib. II.) Declamator etiam Quinctilianus argute: « Ego mores nasci puto, et propriam cujusque naturæ virtutem. Alia forsitan discuntur, quædam experimentis cognoscenda sunt; boni mores constant voluntate. » (Declam. CCLXVIII.) Et vero Seneca ipse adfitetur, « quosdam sine subtili institutione evasisse probos, magnosque profectus assecutos, dum nudis tantum præceptis obsequebantur. » (Epist. XCV.) Et Curii, Fabricii, Coruncani, nonne tales fuere? Profecto « quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea quæ tradi solent, sine longo magisterio pervenerunt: et honesta complexi sunt, quum primum audiverunt. » (Ibid.) Quæ ita vere dici, etiam ex Stoico sensu, fatemur: sed hos tales plene et plane Sapientes esse, non item admittamus. Ratio consummata talem facit, consummari autem sine doctrina (Dei opera excipimus) non potest. Ut plene hæc intelligas, habe. Non excludi aut Deum, aut naturam, a Stoicis: sed doctrinam tamen ad perfectionem, itemque ad facilitatem adjungi. Ecce natura semina bonæ mentis nobis ingenuit, fomites, et scintillas: quæ in aliis magis minusque elucent, ut est animi temperies: sed tamen opinionum pravitate, in omnibus hoc a natura rectum jam corruptum est: ideoque doctrina adjuvandum, instaurandum, depurandum. Non enim, ut sol ipse nubes objectas dissipat sua vi, et perrumpit, ita hic est; adjutorio opus, directione et exemplo. Cicero: « Justos quidem natura nos esse factos; tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria. » (I De Legib.) Quod si ad naturam vivere liceret, negat idem alibi, « quidquam esse, cur quisquam rationem et doctrinam requireret. » (II De Finib.) Itaque facile ad sapientiam iter

dicunt, quia est sequi naturam. Fabius hoc recte: « Brevis est institutio vitæ honestæ beatæque, si credas. Natura enim nos ad optimam mentem genuit: adeoque discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti illud magis mirum sit, malos esse tam multos. » Recte, inquam: sed et illud ex eodem subseratur, « Virtutem, etsi impetus quosdam a natura sumit, tamen perficiendam doctrina esse. » Hæc sunt germane Stoica; igniculos, scintillas, semina, impetus ad virtutem habemus: ut ipsam habeamus, excitanda illa velut flatu rationis sunt et disciplinæ. Et Aristoteles ita verissime: « Neque a natura igitur, neque præter naturam inseritur virtus. » (II Ethic.) Seneca noster: « Omnibus natura dedit fundamenta semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: quum irritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita excitantur. » (Epist. XCV.) Irritator autem est doctrina, quæ scientiam boni malique dividit, et ne in eligendo aberres facit. Bonum natura vis? malum vitas? ecce hoc tale re et ratione est, illud opinione. « Artis igitur est, quod ait Cicero, ad ea principia, quæ a natura accepimus, consequentia exquirere, donec id, quod volumus, sit effectum. » (V De Finib.) Virtus amata nobis omnibus, natura est, honestum optabile: sed non facies utriusque statim nota. Tamen levi, ut dixi, conatu et manuductione aperitur. Zeno ipse in quadam epistola: « Bona natura mediocrem exercitationem nacta, et præceptorem candide docentem facile venit ad perfectam virtutis comprehensionem. » (Ad Antigonum.) Hæc nostri; quid Academici? paulo diversi eunt. Nam pro Platonis sensu hæc Apuleius: Hominem ab stirpe ipsa neque absolute bonum, nec malum nasci: sed ad utrumque proclive ingenium esse. Habere quidem semina quædam utrarumque rerum, cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina in alteram debeant partem emicare. » (De Philosophia.) Semina, ecce, et ipsi agnoscunt: sed in quo discrimen? quod illi ea in utrumque valere volunt, bonum malumque: nostri, in bonum tantum. Nam natura ipsa semper iis bona. Hinc illa verba, quæ et ante attigi: « Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit. » (Sen. De Benef. III, cap. 18.) Et stoicum dogma Ga-

leno positum, et exagitatum : « Omnes homines ad virtutem comparandam aptos esse et idoneos.» Quod ille negat, et corporum temperiem vult inspici, ut alius alio magis minusve sit, imo non sit. Argumento etiam utitur : « Si a natura, inquit (in libello : Quod animi mores corp. temp. seq.), virtus, et opinione duntaxat depravamur : cedo, quis primos homines infecit, quum nondum aliena malitia fuit? A se ergo habuerunt. » Atque hoc ita urget, ut Posidonium etiam, magnum illum Stoicum, hic vero victum descivisse ab iis dicat, et cum Academicis sensisse. Nescio; argumento tamen responderi vel ex Seneca nostro poterat, et non calumniose occurri. Nam dicant nostri, « Primos illos homines quamvis egregia illis vita fuerit, et fraude carens, non fuisse tamen Sapientes. » (Epist. xc.) Intellige, ad perfectum Sapientes. « Non enim negaverim, inquit, fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a diis recentes : sed quemadmodum omnibus indoles fortior fuit, et ad laborem paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata. Non enim dat natura virtutem : ars est, bonum fieri. » Mihi videatur res sic confici. Fatemur paulatim opinionibus sensibusque alienis, aut exemplis, depravari homines : sed et ante illa qui fuerunt, non habuere naturam perfectam : et turbidum in ea aliquid aut nubilum, doctrinæ radio depurandum et illustrandum. Nisi fit; potest aberrare Ratio, et bonum quidem cupere, sed capere etiam malum. Quid quod a materia prima incentivum aliquod mali est? de quo in Physiologia videndum. (Lib. I, cap. 14.)

DISSERTATIO XI.

De Notionibus, quæ ad Doctrinam faciunt. Quid, et quotuplices eæ, accurate dictum.

Auditor. Capere in parte hæc videor : solide et plene, si de Igniculis istis et Seminibus magis aperis et diducis. Lips. Non me extra rem et lineas tu ducis? Tamen sequor, ut sequi me etiam libere et libenter possis. Audi. Igniculi isti non aliud, quam inclinationes, judicia, et ex iis notiones sunt, a recta in nobis Ratione. Scito enim Stoicis placere, partem in nobis divini

spiritus esse mersam, id est illam ipsam Rationem : quæ si in suo loco et luce luceat, tota pura, sincera, recta, divina sit : nunc corpore, velut carcere, clausa coercetur, et opinionibus agitatur aut abducitur : et tamen retinet originis suæ flammulas, et verum honestumque per se, et sua indole, videt. Istæ flammulæ, sive igniculos mavis dicere (Græci σπινθῆρας, ζώπυρα, ἐγκύσματα appellant), et exserunt se, ostendunt in sensibus quibusdam, aut judiciis, quæ omni hominum generi fere, et optimæ cuique naturæ eximie, sunt insita aut innata. Id Græci ἐννοίας sive Notiones vocant, item προλήψεις, Anticipationes : et quia passivæ, atque insitæ, κοινὰς καὶ ἐμφύτους, Communes et Ingeneratas agnominarunt. Aud. Bene, sed cur Igniculos, aut Scintillas? Lips. A Stoicorum id quoque sensu, quibus purior hic animus est ignis, postea docendum. Sed de re ipsa, Communes sunt, et agnitæ vel admissæ hominibus, ideoque Plutarchus librum titulo præscripsit, Περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, De communibus notionibus : idque adversus Stoicos, quos vult evertere eas suis Paradoxis, aut oppugnare : audiendum mihi adhuc, non credendum. Atque ut aliquid diffundam de notionibus (pauci capiunt), scito eas ipsas principia et fundamenta Stoicis Scientiæ ac Sapientiæ esse. Cicero ex eorum mente : « Ipsum hominem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tanquam satellites adtribuit ac nuncios, et rerum plurimarum obscuras nec satis apertas intelligentias inchoavit, quasi fundamenta quædam Scientiæ » (I De Leg.) : dicit hic Intelligentias, et alibi etiam Notitias : quæ consonant scilicet Notionibus. Sed ait « obscuras et inchoatas », alibi adumbratas, item « complicatas, involutas » : quia doctrinæ ductu atque opera dirigendæ, et in lucem scientiamque evocandæ sunt. Idem Cicero : « Notionem appello, quod Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta (an præcepta) cujusque formæ cognitio, enodationis indigens. » (In Topic.) Vides insitam? vides « enodationis indigentem? » Duplici Græco nomine adficit, et parum distinguit : fecerunt illi, et Ἔννοιαν ipsam duplicem ponebant, φυσικὴν καὶ τεχνικὴν, « Naturalem et Artificialem. » Illam, quæ esset τῶν καθόλου : universalis quædam, et universalium, ut Notitia Equi, Albi, Nigri : quæ opera sen-

suum fit, ut dicunt, ἀνεπιτεχνήτως, « sine adminiculo artis. » Alteram, ἡ γίνεται δι' ἡμετέρας διδασκαλίας καὶ ἐπιμελίας : « quæ fit opera industriæ et doctrinæ nostræ. » (Plutarchus de Placit. IV, cap. 11, et Laertius in Zenone.) Sub his etiam illas vulgares et quotidianas notiones comprehendi scito, quæ impressa Phantasia quaque stabili gignuntur : sed et nostræ illæ huc reducantur. Et est sane omnium magnus ad Scientiam vel Sapientiam usus : adeo « ut sine hoc (Cicerone adstipulante) nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari possit. » (IV Acad.) Itaque idem ille inter beneficia naturæ ponit, quod « comprehensionem dedisset, quasi normam scientiæ, et principium sui : unde postea notiones rerum animis imprimerentur, e quibus non principia solum, sed latiores quædam ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. » (I Acad.) Hæc in Academicorum libris binis, qui hodie exstant : et in iis germanissima fere Stoicorum decreta. Quomodo autem, et quibus velut gradibus ad Scientiam ducant idem optime expressit : « Mens ipsa, inquit, quæ sensuum fons est, atque ipsa sensus, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque aliqua visa sic arripit, ut his statim utatur : aliqua sic recondit...... e quibus memoria oritur. Cætera autem similitudinibus constituit : ex quibus efficiuntur notitiæ rerum ; quas Græci tum Ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Eo quum accessit Ratio, argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem Ratio profecta ab his gradibus ad Sapientiam pervenit» (IV Acad.) Omnia partite, et velut ex professo doceat, adfert : quæ breviter examinanda sunt, et illustranda. Ait, «Mentem ipsam.» Ita. Nam ea Phantasias sive Visa recipit, id est τὸ ἡγεμονικὸν Animæ : Plutarcho ex Stoicorum mente disertim scriptum. (De Placit. Phil.) Deinde, « eam moveri » ; nempe ab impressa Phantasia : et videtur ad Chrysippi verbum mentemque respexisse, qui Phantasiam non τύπωσιν ἐν ψυχῇ, « impressionem in animo », ut Zeno ; sed ἀλλοίωσιν vocabat, aut interpretabatur, id est Mutationem. Pergit Cicero, « aliqua Visa sic arripi ut statim utatur » : ubi distinguit Visa sive Phantasias, in Præsentaneas et Manentes : illas, quæ momentaneæ sunt, et pereunt; istas, quæ reconduntur, ut ait :

et reliqua ejus sensus desunt. Supplenda facile, ex aliis; qui Manentem Phantasiam, volunt Notionem esse. Ita enim præter Plutarchum, Philo Judæus : « Notionem esse, reconditum conceptum : deliberationem, ejusdem certam prolationem. » (Lib. Quod Deus immutab.) Sed amplius Cicero : « E quibus memoria oritur. » Quæ Græcis est μνήμη, et hanc illi μόνιμον καὶ σχετικὴν τύπωσιν dicunt; « stabilem et habitualem impressionem. » Deinde, « Cætera autem similitudinibus constituit. » Quis? an memoria? non puto : nec sic Stoici. Imo illis post memoriam? Εμπειρία succedit, *ars* sive *usus*, et definitur, τὸ τῶν ὁμοειδῶν μνημῶν πλῆθος : « multitudo memoriarum consimilium, » (Plut. de Placit.) quod Cicero postea tangit, sed parum (si hæc sincera omnia) distinguit. Deinde, « effici ex iis notitias rerum. » Neque hic ordo pro Græcis, qui hodie quidem exstant, aut mihi sint visi : qui Notitias et Memoriæ et Arti antemittunt. Clausula est, « accedere Rationem, et ad Sapientiam pervenire », quod verissimum est : et idem Cicero sese explicet : « Primum est intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio : ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur, idque Ratione, concludimus, singulasque res definimus : ex quo Scientia. » (II De Nat. Deor.) Nimirum Dialecticæ quodam ductu λόγῳ καὶ λογισμῷ utentes, Ratione et Ratiocinatione, certum comprehendimus, et notiones illas stabilimus. Habes de quæsito : an aliud desideras? Aud. Superaddi de Artificialibus, quæ nostra opera producantur, quomodo id fiat? Lips. Cicero ille idem tangit : « Quum rerum Notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis : hoc quarto, quod extremum posui, Bonorum notitia est facta. » (III. De Finib.) Senecam id illustret, qui Lucilio quærenti, « Quomodo ad nos boni honestique notitia pervenisset? » Respondit, « Hoc nos docere naturam non potuisse. Sed nobis (Stoicis) videtur, inquit, observatio collegisse, et rerum sæpe factarum inter se collatio, per analogiam nostro intellectu et bonum et honestum judicante. » (Epist. cxx) Et pluscula ibi vide : sed magis Laertium vide, qui plenius hæc et ex asse tradit. « Eorum quæ noscuntur, inquit (id est, Notitiarum) alia per

casum aut incidentiam (περίπτωσιν) noscimus, alia per similitudinem, alia analogiam, alia transpositionem, alia compositionem (Cicero conjunctionem), denique alia per contrarietatem. » (In Zenon.) Exempla deinde dat singulorum, in ipso videnda : neque his minutis mihi censeo insistendum. Illud utilius moneo, Notiones in præstanti natura explicatiores esse; et facile rationis judiciique opera educendas : quod quibusdam evenisse, ante artem scientiamque natam, pæne sit fatendum. Item, usum earum magnum esse ad omnem vitam et virtutem, si eadem Judicii bonitate rebus applicentur. Epictetus hoc monet atque ingerit : « Cave, inquit, notiones singulis rebus temere et vane accommodare. Hæc est causa mortalibus omnium malorum, non posse communes notiones aptare singularibus. » (Lib. III, Dissert. CXXVI.) Notabilis sententia, an oraculum : et vult hoc dictum, quod ipse diffundit. Ecce Notio est in animo, « Mala vitare, Bona sequi » : at quum ad facta venitur alias notiones tibi formas, « Hoc et illud malum, bonumque esse » : quæ re ipsa non sunt, et sic principio bono, in finem pravum desinis, et ipse te fallis. Communis autem illa notio, duce ratione ad vera bona malaque, certo et sine errore, aptanda erat; non ad ista, quæ vulgus aut opinio tibi dictant.

DISSERTATIO XII.

Doctrinam duplicem esse, Dogmaticam et Paræneticam : utraque laudata.

Sed ut in gradum viamque reponamur, a qua leviter tamen discessimus : vides Sapientiam doceri et igniculos notionesque ad eam ducere : sed a quo et quomodo etiam doceri? Ab ipsa Philosophia, ut liquet : atque id via duplici, *Decretorum*, et *Præceptorum*. Illam Græci Δογματικὴν appellant, hanc παραινετικὴν : nos reddere *decretoriam* et *præceptoriam* possimus. Apta divisio, nam sicut ipsam totam bipertitam fecimus, Contemplativam et Activam : utrique ecce parti ductorem suum damus, et (Senecæ verbis) « Contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. » (Epist. XCIV.) Institutio, id est Decreta;

neque enim ulla ars sine iis est : quæ alii, Axiomata, Enuntiata aut Effata appellant: Stoici Δόγματα, « quæ nobis vel Decreta licet appellare, vel Scita, vel Placita ! » (Sen. Ep. XCV.) Apuleius etiam Consulta vertit. Quid ea sunt? generalia quædam capita, et velut leges, ad quæ reliqua omnia doctrinæ vel examinentur, vel referantur. Si quid ab his dissidet, improbum et adulterinum habeo : si quid convenit, agnosco, et tanquam tessera data, in jus commilitii admitto. Ea certa, firma, rata sunt : et, ut in ipsa militia aquilæ aut signa, omni vi propugnanda. « Decreta (ait Stoicus Cicero) Philosophi vocant Δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi potest. Quum enim Decretum proditur, lex veri rectique proditur. » (IV Acad.) Agnoscis descriptionem? Iterumque idem : « Decretum stabile, fixum, ratum esse debere, quod movere nulla ratio queat. » (Ibid.) Sunt ergo κύριαι quædam δόξαι, « dominantes et eximiæ sententiæ, » quæ reliquum totum agmen ducant. Valde iis opus; et sicut in mari sidera certa notamus, ad quæ cursus dirigatur, etsi alia atque alia velificatione; sic in notionum aut actionum multiplici varietate, omnia ad hæc illustria velut sidera dirigenda, si ab errore tueri volumus hunc cursum. Et vero nisi generalia quædam ista sint, quæ singulorum certitudo aut rectitudo erit? aut « quis poterit de parte suadere, nisi qui summam totius vitæ prius complexus est? » (Sen. Ep. XCIV.) Hoc pater, hoc maritus, dominus, civis, bene honesteque faciet. Itane? dic mihi prius et suade, quid sit bonum honestumque. Vive frugaliter, innocenter, caste : sic debes. Debeo? doce prius, naturæ hoc meæ convenire, et ad eam esse. Alioqui unde fides tibi, dictisque sit? auctorem desidero. Sicut drachmam argenti aurive si quis profert, boni quidem, sed quæ imaginem aut signum principis non præfert, recusare eam jus et mos est : sic bonum etiam monitum suspectum habere, ut monetam, quod principis alicujus Decreti signo se non probat. Addo, quod vis magna, etsi occulta, est in decretis, sed quæ paulatim se exserit, ubi cultorem est nacta. Uti semen, quamvis exiguum, in bonam terram jactum, diffunditur, et se explicat, et multiplicem fructum profert : sic in bono ingenio Decretum. Denique præcepta viam et ortum his debent.

« Hoc interest, ait Seneca, inter Decreta Philosophiæ et Præcepta, quod inter elementa et membra. Hæc ex illis dependent; illa et horum causæ sunt et omnium. » (Ep. xcv.) Ergo hujus partis dignitatem fructumque tenes; cape et alterius. Absit enim ut hæc spernamus, etsi dignitate postponimus : imo quidam, usum solum intuiti, ante ea censebant. Sane « antiqua Sapientia nihil aliud, quam facienda et vitanda præcepit : et tunc longe meliores erant viri. » (Ibid.) Nimirum, ut plena sit doctrina, jungenda sunt utraque : et sicut ipsa Contemplatio atque Actio, individuo contubernio socianda. « Et discas oportet, et quæ didicisti agendo confirmes » (Ibid.) : quorum illi Decreta, huic Præcepta conducunt. « Nam quamvis argumentis collectum sit, quæ bona, quæ mala sint : nihilominus habent Præcepta partes suas : et Prudentia, Justitia, Officiis constant : Officia autem Præceptis disponuntur. » (Ep. xciv.) Quod si imbecilla, id est proficientia adhuc ingenia consideres : nescio an non major et præsentior erit usus Præceptorum. Nam a subtilibus illis, aut altius petitis abhorrent : proxime alludentia admittunt. Jam quædam, etiam sine probatione, illabuntur animis : dici et suggeri ea satis est, natura ipsa audientis inclinante. « Omnium enim honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur : non aliter quam scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat. » (Ibid.) Ecce, quum audio, « Tempori parce, Te nosce, Abstine et contine » : numquid rationem aut Decretum aliud requiram? minime. Nam hæc talia « cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare aut interrogare, Quare? adeo etiam sine ratione ipsa veritas ducit. » (Ibid.) Sicut scaturigines aquarum in agro aut horto meo si habeam, utor et irrigo; nec primos ultra fontes inquiro : ita hic licere aliquis dicat. Tamen tutius meliusque, ut dixi, jungere, re etiam et indole, si consideras, conjuncta. « Quid enim interest inter Decreta Philosophiæ, et Præcepta, nisi quod illa generalia præcepta sunt, hæc specialia? » (Ibid.) Sed tamen utraque res præcipit, atque adeo utraque etiam juvat : sed occultius illa, apertius ista. Sicut manuum, pedum, et membrorum usus in aperto est, et sensibus incurrit : in abdito cor et spiritus illi sunt, qui motum et impetum hunc donant :

sic de Præceptis dicere possis, palam juvare, latenter Decreta. Ego vero et alia similitudine rem ingeram, et simul Ordinem dicendorum. Sicut in arbore Radicem habes, ex ea Truncum, ex his Ramos, deinde ramulos aut Flagella : sic in Philosophia scito, primum aliquod Decretum instar Radicis habere, proximum ut Truncum, minora ut Ramos; denique copiam illam Præceptorum succedere et ex iis surgere, vere Flagella ad animos erigendos et incitandos.

DISSERTATIO XIII.

De Fine, sive Ultimo Bonorum : et quis ille sit?

Ordiamur igitur ab ipsa Radice, id est Fine : a quo pendent omnia, ad quem referuntur omnia : et qui velut parens et rector quidam est Decretorum. Finem Græci Τέλος dicunt, paulo aliter in Philosophia, quam vulgo, ubi effectionem perfectionemque rei significat, ut in Homero, ac priscis. At primus Plato Philosophiæ adjunxit, et restrinxit, pro eo, quod in vita ultimum appetimus. Ideoque Cicero passim vertit et appellat, Ultimum, Extremum, Summum. Necessaria hæc cognitio : et Plato idem censuit, « inutilem omnem scientiam, imo noxiam, sine notitia optimi finis. » (In Thæet.) Quid Aristoteles? ejus scitum : « Enimvero ad vitam etiam utilis, et magnum momentum habet cognitio Finis : atque ut sagittarii, qui scopum habent, magis quod oportet assequamur. » (I Ethic. Nicom. c. 2.) At Cicero : « Quid est in vita tantopere quærendum, quam quis sit Finis, quod extremum, quod ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda? » (I De Fin.) Seneca noster : « Proponamus oportet Finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat, veluti navigantibus ad sidus aliquod dirigendus est cursus. » (Epist. xcv.) Pulchre atque alibi causam hanc stultitiæ et malitiæ nostræ asserit, ignorare, aut non assidue eum meditari. Lucilio suo : « Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire : ad summum bonum et propositum totius vitæ respice. Illi enim consentire debet, quidquid agimus. Non disponet singula,

nisi cui jam vitæ suæ summa proposita est? Nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi jam constet, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo. Scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere: et tunc dirigere, et moderari manu telum.» (Ep. LXXI.) Clare, acriter, et suo more: imagine etiam ultima, ad illam Aristotelis accedente. Sed hic igitur Finis talis, quid est? Definiunt Stoici: « Cujus causa omnia officia aut recte facta fiunt, ipse autem nullius. » Sive etiam: « Ad quem omnia recte convenienterque facta referuntur; ipse ad nullum. » (Stob. Ecl. Ethic.) Cicero hoc ab iis sumpsit, et convertit: « Extremum, omnium philosophorum sententia, tale esse debet, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. » (I De Fin.) Definitur et brevissime: «Ultimum appetendorum.» Quæ mens est ejusdem Tullii, quum Fines Bonorum libris suis inscripsit: quia istud bonum, reliquorum est extremum. Observa autem τὰ καθήκοντα sive *officia*, his finitionibus inseri, valde pro Stoico sensu: et miror virum doctissimum, qui Stobæum vertit, utrobique hoc verbi neglexisse. Nam eo significant, finem suum ultimum esse, « Convenienter vivere rationabili naturæ. » Itaque Archedemus explicabat ὁμολογίαν Zenonis (de qua statim): « Omnia Officia perficientem vivere. » Nam Officium definiunt, quod « Ratione factum sit: » itemque, « actionem, naturalibus constitutionibus convenientem. » Agnoscis igitur in eo et Rationem, et Naturam: quæ utraque dux ad beatitudinem, et felicitatem. Ea enim consensu est finium finis, sive ut Aristoteles scite: « Perfectus finis, inquit, est, quo potiti nihil petimus ultra vel egemus: imperfectus, qui quum obvenit, etiam egemus. Veluti, justitiam adepti, plura volumus: at felicitatem jam nihil. » (Magn. Ethic. I, c. 2.), Itaque hæc est, quo vota nostra eunt, parentum ducunt; omnes homines, omnis sexus,

.... Navibus atque
Quadrigis petimus Bene vivere. (HORAT.)

Sed discrimen hic tenue Stoici ingerunt: « et felicitatem dicunt ut Scopum proponi; finem vero esse, felicitatem assequi.»(Stob.

Ecl.) Nec male, vere enim, ut in sagittando, Scopus ille omnibus proponitur : quum tetigi, mihi applico, et finem sum adeptus.

DISSERTATIO XIV.

Eum esse, secundum Naturam vivere : et varia super hoc interpretatio.

Aud. Jam feriamus, obsecro, si potest : aut certe collineemus, et eo dirigamus. Explica, inquam, et præi, qua via aut arte hunc Scopum tangam. Lips. Breviter id potest, et consentiente pæne veterum sensu. Nam Plato, et omnis Academia illa vetus, « nulla in re alta, nisi in natura, quærendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur, dicebant. » (Cic. I Academ.) Idem Cynici, atque alii plusculi, de quibus communiter Philo, ille Judæus : « Consequenter naturæ vivere, felicitatis finem dixerunt illi prisci. » (Libro Περὶ φυτουργίας.) Quid nostri Stoici ? alta et crebra hoc voce. Ut Seneca : « Idem est beate vivere, et secundum naturam. » Item : « Propositum nostrum est, secundum naturam vivere. » Itemque : « Quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ assentior. Ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, Sapientia est. » Tum definiendo adjungit : « Beata est ergo vita, conveniens naturæ suæ. » (De Vit. Beat. c. 8; Ep. V; De Vit. Beat. c. 3.) Quod ipsum est Stoicum scitum et dictum : « Finem esse, convenienter naturæ (ὁμολογουμένως τῇ φύσει) vivere. » Epictetus hoc non semel extulit : « Conformiter, sive concorditer (συμφώνως τῇ φύσει) Naturæ vivere. » Vis et poetam audire, pro hoc sensu et verbis ? Horatius :

> Vivere naturæ si convenienter oportet.

Sed et alius succinit :

> .... Hæc duri immota Catonis
> Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
> Naturamque sequi. (Lucan. I).

Plures testes se offerunt : dimitto ; satis isti evincunt : utinam et liquido satis declarent. Quid enim est « Convenienter naturæ vivere? » Hic dissidium et pugna; atque adeo ut decantata illa κατάληψις, *comprehensio*, velut pomum aliquod Eridis, in medium a Zenone jacta,

Arcesilam alienavit et Academicos armavit: ita hæc finis constitutio et explicatio, acre Stoicis bellum in Peripateticos, Epicureos, alios, excitavit. Quid facimus? industrie simul et caute inquiramus, et an non Seneca nostro duce? qui communiter causam aberrantium a vero aperit : et tu hoc primum audi. « Quid est, inquit, in quo hic erratur? Quum omnes beatam vitam optent, quod instrumenta ejus pro ipsa habent, et dum illam petunt, fugiunt. Nam quum summa beatæ vitæ sit solida tranquillitas, et ejus inconcussa fiducia : sollicitudinis causas colligunt, et per insidiosum iter vitæ, non tantum ferunt sarcinas, sed trahunt. Ita longius ab effectu ejus, quod petunt, semper abscedunt, et quo plus operæ impendunt, hoc se magis impediunt. Quod evenit, in labyrintho properantibus, ipsa illos velocitas implicat.» (Ep. XLIV.) Divinantia, imo divina verba. Quid aliud olim et nunc plerosque a recto fine vel intelligendo, vel apprehendendo, absterruit; quam vilium et inæstimabilium aliquot rerum æstimatio et amor? Ita voluptatem alius, indolentiam, opes, valetudinem, externa omnia aut facere, aut juvare felicitatem voluerunt : et hæc esse inter convenientia naturæ. De aliis loquor? inter ipsos Stoicos controversæ mentis hæc verba : et Epictetus ille fidus veri interpres et assertor, hoc inter ardua maxime habet : «Quid, inquit, admirabile igitur? (Non Chrysippum intelligere aut Zenona) sed istud, Nosse voluntatem naturæ. » (I Dissert. XVIII.) Videamus, sive audiamus, si placet, primum consulares aliquot velut Senatores, et quidem sententias suas recitantes ex tabella. In Stobæi Eclogis, ita censent : « Finem Zeno ita edidit, convenienter vivere, quod est, secundum unam rationem et concordem sibi vivere : quasi animalia variantia aut pugnantia infeliciter agant. At qui post secuti, expresse et distincte magis extulerunt : Convenienter naturæ vivere ; quum censerent minus, quam pro re, Zenonium illud dictum esse. Sane Cleanthes primus, quum ejus sectam locumque suscepisset, adjecit, « naturæ ». Chrysippus deinde hoc ipsum clarius volens reddere, ita extulit : Vivere secundum peritiam eorum, quæ Natura eveniunt. Diogenes porro, rectam Rationem ac Judicium in eorum, quæ secundum naturam sunt, electione aut rejectione. Archedemus

denique, Vivere omnia officia curantem. ». Hæc ibi. In Clemente Alexandrino et eadem, et quædam alia, aut aliter : quæ juvet excerpere, et componere ad mutuam lucem ; et quædam leviora aut longinquiora. Illa sonant : « Zeno Stoicus finem censet, secundum virtutem vivere. Cleanthes, Convenienter naturæ vivere, in recta ratione ac ratiocinatione, quod in electione eorum, quæ secundum naturam sunt, positum arbitratur. Antipater, ejus auditor, in iis quæ sunt secundum naturam assidue ; et sine lapsu eligendis, abjiciendis autem contrariis. Archedemus, eligentem vivere ea quæ secundum naturam sunt maxima et præcipua, nec posse ea transilire. Panætius, vivere secundum appetitiones insitas a natura. Posidonius, vivere contemplantem Universorum veritatem et ordinem. » (II Strom.) In quibus dissensum alibi per te notes ab illis Stobæi, magis tamen certo et fideliter (meo judicio) exscriptis. Laertius quidem propius istum accedit, cujus habe item verba. Nam in re ista capitali, cur judicia verbatim non conquiram, et consignem? Ille sic igitur : « Primus Zeno finem dixit, Convenienter naturæ vivere, quod est, secundum virtutem vivere. Similiter Cleanthes, Posidonius, Hecato. Iterumque, simile est et consonat, secundum virtutem vivere, illi secundum peritiam natura evenientium vivere ; ut ait Chrysippus. Diogenes autem, Finem ait esse plane, recte ratiocinari et dirigere in electione eorum quæ naturæ consentiunt. Archedemus omnia officia implentem vivere. » (In Zen.) Hæc si cum Stobæanis confers, illustres illa et approbes : etsi in aliquo etiam dissensu.

DISSERTATIO XV.

Prima Zenonis sententia explicata, de Convenientia vitæ.

Sed quid te moror? sententias vides, elige : mihi satis, viam signasse his velut astris. Aud. Satis? μηδαμῆ μηδαμῶς, *neutiquam, nequaquam*, ut hoc cum Platone efferam. Nam ego per me qui eligam, aut viam insistam, in qua variasse et vacillasse culmina illa video? Tuam facem specto, et *Manuductionem* exspecto : quia mihi hic (ingenue fateor) tenebræ et chaos. Lips. Allucebo et dirigam igitur, ut copia ingenii aut judicii mei erit. Stobæana

illa si ordine videmus et illustramus; credo haud magno opere desideratum aliquid iri. Nam alia etiam huc aptabimus, et ducemus. Aiebat apud eum, quicumque scriptor: « Finem Zenonis esse, ὁμολογουμένως ζῆν, convenienter vivere, » quod alibi idem brevius etiam dixit, τὴν ὁμολογίαν, Convenientiam ipsam. De Natura, negat fortiter addidisse et mihi persuadet, etsi communis traditio repugnat. Sane Cicero pro eo est, apud quem Stoicus Cato: « Summum hominis bonum positum est in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus Convenientiam, si placet. » (III De Finib.) Nude et solitarie hoc effert: etsi alibi aliter, sed hic profecto verius fideliusque. Quid igitur est hæc ὁμολογία? Non aliud, quam per Virtutem conveniens consentiensque sibi vita, eadem semper in sensu, et (nisi impeditur) actu. Seneca: « Virtus convenientia constat. Omnia opera ejus, cum ipsa concordant et congruunt. » Iterumque: « Accedat, ut perfecta virtus sit, æqualitas, ac tenor vitæ per omnia consonans sibi: quod non potest fieri, nisi rerum scientia contingat, et ars, per quam divina et humana noscantur. » (Ep. LXXIV.) Hoc Sapientis proprium, hoc Felicitatis fundamentum et argumentum. Seneca: « Licet relinquam definitiones Sapientiæ veteres, hac possum contentus esse. Quid est Sapientia? Semper idem velle, atque idem nolle. » (Ep. XX.) Quid si autem prava aut falsa velim? respondet: « Licet exceptiunculam illam non adjiciam, ut Rectum sit, quod velis. Non potest cuiquam semper idem placere, nisi Rectum. » (Epist. XXXI.) Atque iterat hoc alibi: « Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis: cæteri, decidunt subinde, et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur. Si vis eadem semper velle, Vera oportet velis. » (Ep. XCV.) Itaque Sapiens ad unam aliquam regulam se componit; et « sine actionum dissensione, vita ejus unius quasi coloris est. » (Sen. Ep. XX.) Hoc planissime, ille apud Stobæum, ita interpretatus est: dum vult esse καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν, « ad unam rationem et consentientem vivere »: additque, « infelices illos, qui dissident sibi et pugnant. » Et bona fide, non potest certior nota utriusque. « Nisi Sapienti sua non placent: omnis Stultitia laborat fastidio sui. » (Ib. Ep. IX.)

Itaque vide mihi illum compositum semper et placidum, cum pace et concordia animi, erectum sed modestum, et cum mansuetudine magnum. Hunc autem, quid? « Quotidie nova vitæ fundamenta ponentem, et novas spes etiam in exitu inchoantem. » (Epist. XIII.) Nam ubi firmitas ista, et rectitudo judicii substrata non est, quid mirum inædificata vacillare, aut ruere? « Inter cætera mala hoc habet Stultitia, semper incipit vivere. » (Ibid.) Atque ut idem noster ait: « Stultis numquam velle aut nolle decretum est. Variatur quotidie judicium, et in contrarium vertitur. Itaque plerisque agitur vita per lusum. » (Ep. XX.) Socrati, opinor, hoc tribuitur: « Proteus quidem formam, indoctus autem (id est stultus) animum ad singula mutat. » (Stob. Ser. IV.) Et Seneca aiebat, « Vitam per lusum plerisque agi »: nonne tales isti sunt? « Quidam alternis (ait idem) Vatinii, alternis Catones sunt; et modo parum illis severus est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et contentus vili Tubero, modo Licinium divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocant. Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio, et inter simulationem virtutum amoremque vitiorum, assidua jactatio. » (Epist. CXX.) Quid, quod nec corpore consistunt?

> Tanta mali tanquam moles in pectore constat. (LUCR. III.)

Itaque plerosque istorum videas,

> Quid sibi quisque velit, nescire et quærere semper;
> Commutare locum, quasi onus deponere possit.

Nimirum interna ratio et motio est: domi et in animo nihil inveniunt, quod placeat, atque ideo

> Hoc se quisque modo fugit, at quod scilicet, ut fit,
> Effugere haud potis est, ingratis hæret, et angit.

Atque hæc satis pro Zenonia sententia, si tamen firmiter est illa. Utcumque, utilis hæc explicatio: quam monitione consigno. « Profice, et ante omnia hoc cura, ut constes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, observa an eadem velis hodie quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare aliubi atque aliubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod est fixum et fundatum. » (Sen. Ep. XXXV.) Denique, ut idem alibi: « Mag-

nam rem puta, unum hominem agere. (Epist. cxx.) Quo Divus Ambrosius noster respexisse videtur, et valde approbasse : « Vetus dictum est, Adsuesce unus esse; ut vita tua quamdam picturam exprimat eamdem servans semper imaginem, quam acceperit. » (Lib. X. Ep. LXXXII.)

DISSERTATIO XVI.

Altera Cleanthis sententia item explicata, de Convenientia cum Natura Communi.

Sed jam in Stobæanis altera sententia propalatur, magno et verendo auctore, Cleanthe. Is censebat, manca et parum plena ista Zenonis, addendumque Naturæ : ut sit, *Convenienter Naturæ vivere.* Egregia et digna illo sententia : quæ usque eo obtinuit, ut communis censeatur Stoicorum. Et quidni firmum sit hoc scitum? « Natura duce, ait Cicero, errari nullo pacto potest. » (I De Leg.) Et hortatur alibi : « Naturam, optimam ducem, tanquam Deum sequi, eique parere. » (De Senect.) Ais tu, *tanquam Deum?* imo plane ipsum Deum. Nam hæc mens in Cleanthis, opinor, illis verbis : et videamus. In Laertio lego : « Naturam, cui conformiter oportet vivere, Chrysippus exaudit, et Communem, et proprie Humanam. Cleanthes autem, solam Communem suscipit, cui parendum sit, non autem hanc Particularem. » Vides alterum de utraque Natura capère, hunc de illa tantum. Nec aliter profecto Cleanthes sensit, vir (quod ex Fragmentis adstruo) pius, et deditus unice in divinis. Quid igitur est illa Communis Natura? Deus. Hoc alibi docendum uberius (In I Phys. Dissert. v.), hic ponimus, et assertores tamen etiam damus. Seneca in verbis supra, ubi de Fine : « Rerum Naturæ adsentior. » Rerum natura, non est alia ab hac Communi, sive Deo. Clemens Alexandrinus : « Stoici secundum Naturam vivere Finem esse decreverunt, Dei nomen in Naturæ decore commutantes. » (II Strom.) Quid vis planius? sed et Epictetum audi : « At quin ipse præcipuus philosophorum et velut antesignanus sermo, brevis admodum est. Quid enim longum dicere, finis est, Sequi Deum? » (I Diss. xx.) Sane brevis ser-

mo, et vere magni compendii, id est fructus. Dic autem, o bone, quid est Sequi Deum? « Mentem suam submittere gubernanti omnia Menti, sicut boni cives Legi civitatis. » (I Dissert. c. 12.) Optime de Lege, quid enim aliud Communis illa Natura est, quam universa quædam Lex et Ratio, toti mundo, et partibus ejus inserta? Chrysippus apud Laertium sic explicat. « Naturam, inquit, sequi oportet, nihil eorum faciendo, quæ vetat atque abdicat Communis illa lex, id est recta Ratio per omnia permeans : quæ ipsa est in Jove, hoc principe et rectore omnium quæ sunt. » (In Zen.) Itaque ipsa illa divina Ratio, mundi ἡγεμονικὸν (de quo In Phys. I, Dissert. VII) est, cui subjici monemur : etiam a Philone. « Principium librorum Moysis, inquit, mirabile, quod mundi opificium habet : tamquam Mundus Legi, et Lex Mundo consonet ac consentiat : itemque vir legis observans, quamprimum mundanus civis est, ad Naturæ voluntatem arbitriumque actiones suas dirigat; per quam Naturam universus hic Mundus gubernatur. (De Mundi opific.) Pulchre profecto et accommodate. Moyses, inquit, ille magnus et divinus legislator, a Mundi conditione orditur; quid ita? ut ostendat Lege, quam laturus est, a Mundo pendere : et virum bonum ac legitimum veluti civem, huic Mundanæ legi debere parere, id est Naturæ, omnia gubernanti. Sed et altera hic sententia : Deum sequi, id est per Virtutem (qua homini datum) assimilare et imitari. Sed de hac Sequela mox pluribus dicam : nunc in ista Obedientia et voluntatis submissione maneamus, quam Seneca quoties ingerit? « Hic est magnus animus, inquit, qui se Deo tradidit. » (Ep. CVII.) Alibi : « Sapiens quidquid evenerit, sciet Legem esse Naturæ, habebit in animo illud vetus præceptum, Deum sequi. » (De Vit. Beat., cap. 15.) Iterumque : « Quidquid ex Universi (id est Naturæ) constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia : nec perturbari his quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus, Deo parere Libertas est. » (Ibid.) Quid autem Epictetus? caput hoc Sapientiæ habet, nec est frequentior in alia monitione. In ipso Enchiridio, id est Breviario et alveario virtutum : « Oportet seipsum ita conformare, ut diis pareamus, et aequies-

camus in omnibus quæ eveniunt, et volentes sequi, ut quæ ab optima mente fiant et proficiscantur. » (Cap. 38.) Et exclamat alibi : « Semper magis volo, id quod evenit. Melius enim arbitror quod Deus vult, quam quod ego. Adjungar et adhærebo illi, velut minister et assecla : cum illo appeto, cum illo desidero, et simpliciter atque uno verbo, quod Deus vult volo. » (Lib. III, Dissert. VII.) O in cælo nata, atque illinc profecta verba ! O ego tecum, Epictete, sic afficiar! ausim ad Deum sublatis oculis dicere ? « Utere me in reliquum, ubi lubet, et ut lubet; mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles, ducito; quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? privatum esse? manere, fugere, in pauperie, in opibus agere? Ego non assentior tantum, sed in his omnibus apud alios te defendam et tuebor. » (Idem II, Dissert. XVI.) Divine senecio ! iterum exclamo : nec ego sine motu animi hæc tam perfectæ Sapientiæ lego. Sed in Cleanthe, a quo cœpit hic sermo, desinat. Ejus versus, in eodem Epicteto [1], huic sententiæ :

Ἄγου δ'ἐμ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ'ἡ πεπρωμένη,
Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.
Ὡς ἕψομαί γ'ἄοκνος. ἢν γε μὴ θέλω,
Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

Quos Seneca noster ita vertit :

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocumque libuit, nulla parendi est mora.
Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Atque addit : « Sic vivamus, sic loquamur. » Faciamus, mi Auditor, et ad sequentes interpretationes jam eamus.

DISSERTATIO XVII.

Tertia sententia Chrysippi, de Natura Propria, id est Ratione.

Aud. An non vere sequentes, id est sequiores illæ erunt? Nam hæc mihi primaria : perplacet, nec mutabo. Lips. Neque opus;

[1] Enchir. cap. LXXVII, sed confuse ibi legendi.

aliter potius, quam aliud dicent : tamen audi, quæ delectet etiam aut juvet audisse. Chrysippi mens erat, *Humanam Naturam*, capiendam etiam esse. Credo et Tullii, in his verbis : « Sic est faciendum, ut contra universam Naturam nihil contendamus, et ea tamen conservata, *propriam* sequamur. » (I Off.) Quæ ea est? in nobis Ratio. « Quid autem est Ratio? (ait Seneca) Naturæ imitatio. Quid est Summum Bonum? ex Naturæ voluntate se gerere. » (Ep. LXVI.) Iterum alibi : « Quid Ratio hæc exigit? rem facillimam, Secundum naturam *suam* vivere. » (Epist. XLI.) Vides omnia consentire belle, et velut concinere? Communis Ratio, Natura est, ut diximus : ejus pars hæc nostra, et in parvo isto mundo inclusa. Chrysippus ipse : « Partes enim sunt nostræ Naturæ, illius Communis et Universæ. » (Laert. in Zenone.) Noster Seneca : « Omne hoc quod vides unum est : membra sumus corporis magni. » Quæ talia (nam sæpe occurrunt) eo spectant, quod pars illa « Divini spiritus in hoc corpore sit inclusa » (Sen. alibi.) : quam Rationem appellamus. Hic Stoicorum communis sensus est, alibi ponendus et explicandus (III Physiol. Dissert. VIII.) Sed bonam nempe rectamque hanc Rationem intelligimus, Divinæ illi conformem, non erroribus aut opinionibus turbatam. Appellant nostri, Perfectam, Absolutam, Consummatam : quid ita? quia Doctrina nempe *perficitur*, et quod inchoatum in ea a Naturæ notitiis erat, *consummatur*. Supra tetigi : et Senecam pro ista nunc re audi. « In homine optimum quid est? Ratio ; hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo *perfecta*, proprium hominis bonum est. » (Epist. LXXVI.) Et mox addit : « Ratio recta et *consummata*, felicitatem hominis implevit. » (Ibid.) Iterumque : « Quum sola ratio *perficiat* hominem (id est, perfecte bonum faciat) sola Ratio *perfecta* beatum facit. Ad ipsam germanissimam hæc omnia Chrysippi mentem. A qua nec longe abit, imo adsidet, quod Diogenes (Babylonius, puto) Zenonis ὁμολογίαν interpretabatur, εὐλογιστίαν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ, καὶ ἀπεκλογῇ : « Rectam Ratiocinationem, in electione aut rejectione eorum quæ ex Natura. » Nam hæc Stobæus itemque Laertius Diogeni aperte adscribunt : nec Clementi accesserim (in supra verbis) qui Cleanthem facit hæc censentem.

Male, male; imo non scripsit hoc Clemens, sane doctus et accuratus, sed depravavit ætas aut exscriptor. Certo asseram, ex eo quod sequitur : « Antipater ejus discipulus. » Itane ille Cleanthis fuit? Imo Diogenis, ut in hesterno Sermone ostendi. (Libro I Manud. Dissert. x.) Itaque omnino de ipso Diogene hic Clemens scripserat, concorditer cum jam dictis : sed deliquium et hiatus nunc est : notandus, ne notetur ille. Sed de hac εὐλογιστίᾳ, etiam Plutarchum accipe, contra Stoicos : « qui aiunt, ut inquit, οὐσίαν τοῦ ἀγαθοῦ, εὐλόγιστον ἐκλογὴν κατὰ φύσιν· Essentiam Boni, electionem rationabilem, juxta Naturam. » (I Dissert. cap. 2.) De eadem Epictetum : « Quod est Bonum hominis? Non habeo aliud tibi dicere, quam talis electio Visorum. » Qualis? ex Ratione. Non enim quæcumque electio proba : et ut idem ait : « Aliud alii incidit probabile aut improbabile sicut et Bonum aut Malum, Utile, Inutile. » (Ibid.) Ideoque et ad discernendum. Doctrina maxime egemus, ut judicium habeamus de Probabili atque Improbabili, atque id rebus singulis accommodare possimus convenienter Naturæ. » (Ibid.) Audin'? doctrina, id est Philosophia opus ad Rationem formandam, et ut Seneca loquebatur, perficiendam, quo fine? isto nostro, et ut consonet semper Naturæ. Apage enim hic opiniones, atque ipsum Bonum, ait Cicero, « non est in Opinionibus, sed in Natura. Nam ni ait esset, Beati quoque Opinione essent : quo quid dici potest stultius? » (I De Legib.) Verissime; in Natura, inquam, illa duplici, Communi et Nostra. Est quidem vetus versus :

Non est beatus, esse qui se non putat : (In Sen., Epist. IX)

atque etiam verus, fateor : quia Sapienti de sua beatitudine constat, nec scientiam solum, sed fiduciam ejus habet : tamen et hic noster verus,

Non est statim beatus, esse qui putat.

« Quid enim, ait Seneca, si Beatum se dixerit ille turpiter dives? ille multorum dominus, sed plurium servus? Beatus sua sententia fiet? » (Ibid.) Minime. « Non enim quid dicat, sed quid sentiat, refert : nec quid uno die sentiat, sed quid assidue. » Memento super Convenientia, quæ primo diximus.

DISSERTATIO XVIII.

Quarta sententia, de vita ex Virtute; quæ prioribus consonat: atque omnes cum Veritate.

QUARTA etiam sententia sive interpretatio, « Secundum Virtutem vivere. » Ea quoque verbis dissidet, re est ipsa cum priore. Nam ita Cicero explicat: « Stoicis Finis est, Consentire Naturæ; quod esse volunt e Virtute, id est honeste vivere. » Quid igitur hoc est Cicero? perge: « Quod ita interpretantur, Vivere cum intelligentia earum rerum quæ Natura eveniunt; eligente ea, rejicienteque contraria. » (II De Finib.) Nonne agnoscis Chrysippi verba? Ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. Sunt ipsa, quæ Cicero vertit: atque una ibi consensum vide. « Intelligentia ista sive Peritia, ex Ratione est, atque ea ad Virtutem ducit. » Cicero iterum: « In homine summa omnis Animi est, et in animo Rationis: ex qua Virtus est, quæ rationis absolutio definitur. » (V De Fin.) Imo non solum ex Ratione Virtus, sed ipsa ea est. Seneca: « Homini Summum bonum, Ratio est: hanc si perfecit, laudabilis est, et finem Naturæ suæ attigit. Hæc Ratio perfecta, Virtus vocatur. » (Epist. LXXVI.) Philo Judæus pulchre: « Hoc illud est apud eos, qui optime philosophati sunt (nota obiter elogium super Stoicis), decantatum Ultimum bonorum, consentienter Naturæ vivere. Quod fit, quum Animus semitam Virtutis ingrediens, per vestigia ductumque rectæ Rationis ambulat, id est, sequitur Deum. » (Περὶ ἀποικίας.) Quid uberior sermo meus clarius aptiusque toti rei dixerit? Virtus Rationem sequitur, hæc Naturam, ista Deum. Etiam aliquid ambigis? AUD. Ut libere dicam, super *Convenientia* hac *Naturæ*. Nam quomodo ex ea Virtus, quæ ad Vitia palam ducit? et quotidie nobis, qui ad illam adnitimur, cum ista est pugna. LIPS. E prioribus hæc cepisse debebas, et de qua Natura sermo: tamen aperiam clarius, et lumen inferam latenti in nobis Naturæ. Neque enim omnino male Cicero: « Mirabiliter occulta est Natura, neque perspici, aut cognosci, statim potest. » (V De Fin.) Scito igitur: Virtutem non esse quidem in illis primis Naturæ conciliationibus,

sed tamen ex illis : « et esse in animis quasi Virtutum igniculos et semina, quæ adolescere si liceret, nec a pravis opinionibus, ceu spinis succrescentibus, suffocarentur, ipsa nos ad beatam vitam perducerent. » (Cic. I De Leg.) Revera enim sicut membra nobis data ad talem, et talem, decentem motum vel usum : sic « Appetitio animi, quæ Græce ὁρμὴ dicitur, non ad quodvis genus vitæ, sed ad quamdam formam videtur data : itemque Ratio, et Perfecta Ratio. » (III De Finib.) Ex iis dico seminibus, in animo et Ratione sparsis, Doctrina collectis, vitæ illud genus exsurgit, « non quodlibet, sed quod conveniens consentaneumque dicimus » : id est, ex Virtute. Imo vero idem scriptor audacius, et plane pro Stoicis : « Non esse quemquam gentis ullius, qui ducem Naturam nactus, ad Virtutem non possit pervenire. » (I De Leg.) Ita noster Seneca proclamat : « Virtus secundum Naturam est, Vitia inimica et infesta sunt. Iterumque : « Nulli nos vitio Natura conciliat, nos illa integros liberosque genuit. » (Epist. L.) Quod tamen modificandum est, de prima illa et in Ratione insita : quæ vim suam nec in malis plane amisit. Argumentum ? Ecce adeo gratiosa est Virtus, ut insitum etiam malis sit, probare meliora. » Ideoque non difficillimus ad eam reditus : et « sanabilibus (ait Seneca) ægrotamus malis; ipsaque nos in rectum genitos Natura si emendari velimus, juvat. » (Sen. De Benef. IV, cap. 17. II De Ira, c. 13.) Hæc illi, hæc nostri Sophi nonne sonant ? Hieronymum audi : « Homo Natura bonus, voluntate factus est malus. » Quod in primogenio illo obtinet, a quo vitam propagine duximus : sed quid ? plane igitur ipse aut nos facti mali ? Negat additque : « Est tamen in animis nostris Naturalis quædam, ut ita dixerim, Sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet Boni Malique judicium. » (Ad Demetriad. De Virginib.) Rationem eum dicere, palam est; de qua et Augustinus : « Non est in homine penitus exstincta scintilla Rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. » (XXII De Civit. cap. 24.) Ea præit, clamat, et velut tacita lex est Virtutis. Iterum Hieronymus : « Hujus legis meminit Apostolus, quam omnibus hominibus insitam, velut in quibusdam tabulis cordis scriptam esse testatur. » (Ubi supra.) Sane validam : adeo

ut primi illi parentes, ea sola (Gratia Dei non exclusa), lege nondum scripta, sint servati. Idem : « Nec illud parvum argumentum est ad comprobandum Naturæ bonum quod primi illi homines, per tot annorum spatia, absque ulla admonitione Legis fecerunt, non quia Deo creaturæ suæ aliquando cura non fuerit, sed quia se talem sciebat fecisse Naturam, ut eis pro lege, ad exercendam Justitiam sufficeret. » (Ibid.) Similia alii Doctores nostri : qui consensu damnant Manichæorum vecordiam, duplicem Naturam statuentium, Bonam Malamque : illam Spiritualem, hanc Carnalem. Abite; nos iterum cum Seneca : « Consummatur hominis Bonum, si id adimplevit, cui nascitur. Quid enim ab illo Ratio exigit? rem facillimam, Secundum Naturam suam vivere. » (Epist. XLI.) Nota *suam*, id est Chrysippi *propriam*. Quam tamen fatendum est, Dei quodam munere aut faventia, in aliis illustrem magis esse, aut certe se ostendere, nec tam densa velut caligine circumseptam : quibus Doctrina citius infunditur, Virtus adsciscitur, quotidie notandum. Ideo Socrates olim interrogatus, « Qui Felices? » Respondit : « Quibus animus præstans, et Ratio adest. » Omnino ita; nihil in vita boni sine ea bona : et

.... Ut in fabrica, si prava est regula prima,
Omnia mendose fieri, atque obstipa, necessum est.

DISSERTATIO XIX.

Has sententias ad Dei sequelam ire, et ducere : atque illum esse primarium Finem.

Jam absolvimus de Naturæ Sequela, id est Dei : et o tu ille ipse Deus, quam hæc inter se, et cum vero, consentiunt! Tu magnus ille, Natura *Communis* es : parvus hic in nobis, *Propria.* Aud. Sicne hunc appellas? Lips. Jam supra tetigi : et Stoici ita passim. Seneca : « Animum bonum et rectum, quid hunc aliud voces, quam Deum in humano corpore hospitantem? » (Ep. XXXI.) Iterumque : « Bonus vir sine Deo nemo est » (Ep. XLI) : scil. hoc interno. Pulchre, in Stoicis scitis, Laertius : « Esse hoc ipsum Beati hominis Virtutem, quum omnia fiunt conformiter consen-

tienterque Dæmoni sive Genio, qui singulis adest, atque id ex arbitrio et voluntate supremi gubernatoris. » (In Zenon.) Pone mihi aliquem Sacrorum nostrorum præsidem : quid in hac re verius altiusque dicet? Atque hoc etiam ante nostros Plato : qui aperit, quis item ille Dæmon. Definiebat enim : « Felicitatem, Genium habere felicem. » Quem illum? « Genium autem dici animæ nostræ principale » ; id est Rationem. (Clem. Alex. II. Strom. et Sextus Empir. adv. Math.) Nec alio sensu, opinor, ante eum (suave enim hæc ab antiquissimis petere) Democritus : « Felicitas non in armentis, vel auro multo habitat. Anima est, domicilium Dæmonis. » (Apud Stob.) Vides igitur et hunc Deum dici : eumque cum altero maxime, audiendum esse, ac sequendum. Quam pium, quam utile hoc dogma! quam facit ad vitæ non sanitatem solum, sed sanctitatem! Duplicem enim sensum habet hæc Affectatio : priorem, de Audientia, sive patientia, id est ut Dei Rationisque jussis ubique obtemperemus. Alterum, de Assimilatione, ut ejus per virtutem imitatores simus. Prior ille apertus est, et in prioribus satis adstructus : hic occultior, Clementem Alexandrinum habet adsertorem. Ille, ubi de hoc ipso Stoicorum Fine, dilaudat, et consonum divino dogmati ita facit : Ait enim Lex : Post Dominum Deum vestrum ambulate, et mandata ejus servate. Assimilationem utique Lex assectationem appellat. Iterumque : « Aperte dicit Apostolus, Imitatores mei estote, sicut et ego Christi, ut illud efficiatur : Si vos mei, ego autem Christi, Christus vero Dei : Deo ergo assimilari, quoad potest, finis est Fidei. » Atque hic est ille decantatus Platonicorum Finis : quem doctor eorum et antistes (Plato) non uno loco ingerit, asseritque. Nam Felicitatem ὁμοίωσιν τῷ θεῷ definit, « Deo assimilationem » : et hanc ponit ἐν τῷ ὁσίῳ καὶ τῷ δικαίῳ, μετὰ φρονήσεως (In Phileto, et alibi) : quid nisi, in duplici Virtute primaria, Pietate et Justitia, quas Prudentia temperet et gubernet? Verba ipsa auro digna, viliore hoc liquore scribantur : « Mortalem hanc naturam, et hunc inferum locum Malum circumstat necessario et adhæret. Ideo conandum, quam celerrime hinc illuc fugere : fuga autem, Dei assimilatio, quatenus potest. Assimilatio porro, Justum et Sanctum cum Prudentia esse. » Observa,

quatenus potest. Quidni addat? sequi, non assequi datur: atque ita Homerus:

.... μετ' ἴχνια βαῖνε θεοῖο·
.... Divi vestigia pressit. (Odyss. et alibi.)

Pressit dico, sed longo intervallo: longo? immenso abjunctus, pusillus hic, finitus, mortalis, ab illo maximo, infinito, æterno. Tamen imitatione aliqua, et *quatenus potest:* Iamblicho etiam caute adjectum. « Beatus est, inquit, qui Deo pro virili sua est similis, perfectus, simplex, purus, a vita hac humana abjunctus. » (Clem. Alex. II. Strom.) Itaque idem Plato aiebat: « Duplicem finem esse. Unum Communicabilem et Primarium, qui est in ipsis Ideis. Alterum, qui ab eo participat eique communicat, et similitudinem ab eo capit. Quod fit in hominibus, qui vindicant sibi et asserunt Virtutem, et veram Philosophiam. » Deus igitur, et in illo Ideæ, Primarius Finis: alter et noster, Virtute et Sapientia referre. Atque illud est, θεωρητικὸν ἀγαθὸν, *Contemplativum Bonum:* quo Fuga illa a corpore tendimus. Alterum, est πρακτικὸν καὶ πολιτικὸν, *Activum et Civile*, quod in hominem cadit. Apuleius simile dictum voluit, sed verbis quæ velum (an et vitium?) habent. « Una Beatitudo est, quum ingenii nostri præsentia tutamur, quæ perficimus: alia, quum ad perfectionem vitæ nihil deest, ipsaque sumus Contemplatione contenti. Utrarumque autem Felicitatum origo ex Virtute manat, et ad ornamentum quidem Ingenialis loci, id est Virtutis, nullis extrinsecus eorum, quæ Bona dicimus, adminiculis egemus: ad usum autem vitæ communis, corporis cura, et eorum quæ extrinsecus veniunt, præsidiis opus est. » (De Philosophia.) Cætera concinnasse mihi videor: in primis illis verbis hæreo, nisi quid Cicero facit et subvenit: « Summum bonum est in ingenii præstantia, quam Virtutem vocamus. » (IV De Fin.) Neque lubet hic insistere: magis, cum eodem Apuleio, pro re nostra eloqui: « Sapientem, pedisequum et imitatorem Dei dicimus, et sequi arbitramur Deum, id est λόγον. » AUD. Ita mihi quidem sequi Deum detur, ut hæc præclara, augusta, sancta: et unde ad profanos illos delata, aut illapsa? LIPS. Utrumvis: vel delata a Superioribus olim Sacris: vel illapsa, non sine Deo commovente. Cle-

mens ille, quem sæpe advoco, velut pararium et conciliatorem utriusque (Divinæ et Humanæ) Philosophiæ : ille, inquam, ita censet. « Plato, inquit, hæc dixit : sive forte concurrens cum Divinæ legis doctrina (solent enim magnæ Naturæ, et ab affectibus vacuæ, sagaciter collineare et sæpe tangere veritatem) : sive idipsum e Sacris oraculis hausit, ut pote qui semper omnis doctrinæ cupiens sitiensque fuit. » (II Strom. et adde Augustin. De Civ. VIII, c. 11.) Quæ postrema passim de Platone scripta, inspexisse libros nostros, delibasse, et in usum suum, an humani potius generis dicam, transtulisse. Sed et prior sententia probabilis, imo mihi certe proba. Illustrat ejusmodi æthereas aliquot mentes Deus, et fecit ab ævo, facietque in ævum. Nam Platonem omitto. Pythagoram quis in diversa regione, et ante eum, ipsum hoc dogma docuit : « Finem esse, Deo assimilationem ? » Quis ? ille ipse Deus. Sed jam finio de Fine, in Homeri divino (ita dicendum est) versu :

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ. (Iliad. α.)

Quod breviter et rotunde efferam : « Deum audi, audiendus. » Fac, et Felicitatem hic atque alibi habes.

DISSERTATIO XX.

Solam igitur Virtutem sufficere ad Beatitatem, nec Externa aut Fortuita requiri.

Radicem Decretorum panximus : ecce Truncum ab ea adsurgentem, « In sola Virtute, Summum Bonum esse » : imo « Solam illam, Bonum esse. » Hæc dictio est, quæ fortem et virilem hanc sectam ab aliis mitioribus aut mollioribus abjungit : quæ a terra, corpore, externis omnibus, ad animum, ad interna et æterna ducit. Dii boni, quantum hic dissensus, et contentionis ? Agmine toto philosophi, et maxime Academici veteres, in quibus hac parte Aristoteles, incurrunt. Nam Epicureos, et totum id genus, omitto : quibus vel auditu exitiabile est hoc dogma. Nobis, bono sensu, bonum, optimum videtur : et sive cum Seneca, « maximum instrumentum Beatæ vitæ esse » (Epistola LXXIV) : sive cum Catone Tulliano, « contineri eo non ma-

gis disciplinam Stoicorum, quam vitam fortunasque nostras. » (III De Finib.) Videamus, et ipsum nude primum ponamus, sine colore aut commendatione. « Summum Bonum est, quod Honestum est : et quod magis admirere, Solum Honestum est, quod Bonum est. » (Sen. Ep. LXXI.) Ecce, utrumque illud habes, a me positum, et priore adfirmato, alterum sponte consequetur. In *sola* dixi. Quidni? « Summum Bonum in Animo constituamus : obsolescit, si ab optima nostri parte ad pessima transit. Non est summa Felicitas nostra in carne ponenda. Videsne, ut reliqua omnia bono suo constant? vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. » (Sen. Ep. LXXIV.) « In homine quid est optimum? Ratio, hac antecedit animalia, Deos sequitur. » (Ep. LXXVI.) Ergo ibi ejus Bonum : ergo in Virtute. Itaque hominem, recto judicio, ea sola parte æstimemus, qua homo est : cætera in exiguo, aut nullo, in hoc tribunali habeamus. Secundo, Bonum quærendum assignandumque, quod nostri arbitrii sit, et quod casu non adimitur, aut datur. Talis est sola Virtus. « Nam qui aliâ Bona judicat, venit in Fortunæ potestatem, alieni arbitrii fit. » (Sen. Ep. LXXIV.) Itaque ut ii qui in hostili regione versantur, circumspiciunt, timent, agere avidi, aut pati anxii : sic isti, qui alibi hoc Bonum quærunt, palpitantibus, ut sic dicam, præcordiis vivunt; aut sollicite quærentes, aut magis custodientes. Et quale istud Bonum meum est, quod mihi non adscribam? quod industria, scientia, exercitatio mea non peperit? « Nihil stultius, quam aliquem eo sibi placere, quod non fecit. » (Ibid.) Tertio, Nec data permanent : velut deposita apud nos sunt, et abitura. At Bonum illud verum, solidum certumque est : quod nulla vis excutit, casus aut fraus subducit. Vide mihi, si ab iis Felicitas, angorem nostrum. Habere satagimus, non adepti dolemus, adepti timemus; movent erepta, sollicitant eripienda. « Quemadmodum aves etiam inanis fundæ sonus territat; ita isti non ad ictum tantum exagitantur, sed ad crepitum. » (Ibid.) Dii deæque! ubi igitur Libertas illa et Securitas, promissa Sapienti? Numquam consistent, Epicteti illo scito subverso : «Rerum aliæ in nobis, aliæ extra nos sunt. In nobis, Appetitio,

Declinatio, et Virtus Vitiumque; extra nos, Corpus, Possessio, Gloria, Magistratus.» Et addit: «Quæ in nobis, sunt Natura sua libera, non prohibenda, non impedienda; quæ extra, imbecilla, servientia, prohibenda, aliena.» (Enchir. c. 1 et 2.) O quam magna, quam paucis, Sacrorum quodam ritu dicit! Examina, et caput Sapientiæ in istis habes. Sapiens inter viros est, quibus tuta et quieta placent: pueri ad ludos, et ludorum missilia, currunt. Stat Fortuna et ea spargit: aliquis calcatur, opprimitur, ejicitur, pauci sine noxa capiunt, et nec illa ipsa integra aut salva. Quarto, Ad indignos, illorum quoque judicio, quam sæpe ista eunt? leno opes, meretrix formam, improbus magistratum, latro valetudinem et robur habebit: et Bona hæc dicam, quæ sæpe, imo plurimum, in malos tribuuntur? Quinto, Animalia alia beatiora nobis, si ab his censemur. Certe corporis pleræque dotes, majores aut firmiores in iis conspiciuntur. Quid quod cibi, potus, Veneris voluptate facilius et sincerius fruuntur, sine pudoris aut pœnitentiæ metu? Sexto, Virtutes pereant, si ea sententia vivit. An ego Fidem, Justitiam, Fortitudinem colam; et inopinata illa bona, opes, famam, gratiam, ipsam vitam relinquam? Incidunt enim hi casus: et sæpe aut ab his abeundum est, aut illæ deserendæ. Quod ut fiat, parum prompte et a respectantibus fiet, quasi ob majus bonum minora, sed tamen bona, omittentibus. Septimo, de ipso Deo et Providentia male existimemus necessum est, si hæc Bona. «Quia multa incommoda justis viris accidunt: et item, quia quidquid nobis dedit, breve et exiguum est, si compares mundi totius ævo.» (Sen. Ep. LXXIV.) Ita ingrati divinorum munerum interpretes erimus: et cur huic, cur hoc, dedit et non dedit? At qui illud Summum, solum etiam bonum habet: resistit, et ut plenus acquiescit, quia ultra non est ut a fine nostro argumenter, Naturam sequi, id est Deum volumus: at sola Virtute (ut Stoice loquar) Deus censetur: externa certe ista non habet. Quod si ea Bona, itane ipsi illi Bono non damus? aut homo felicior erit, cui hæc et illa damus? Plura dici possunt; et quædam obduci, scio: sed nobis propositum Decreta explanare

magis, quam affirmare. Etsi hic quid dubitem? sicut Solem illum, quum ortus est, videmus

> Convestire sua perfundentem omnia luce,

convestire, sed et demulcere : ita hic dixerim, fulgorem ejus sententiæ statim honestiores quasque animas pervadere, et persuadere. Itaque vetus ea, non novitia est. Brachmanes apud Indos (quorum hodie genus et nomen perseverat) censebant : « Bonum aut Malum nihil esse eorum, quæ hominibus accidunt, aut eveniunt, non enim fore, ut iisdem alii angerentur, alii lætarentur, somniorum similes conceptus habentes. » (Strab. Lib. XV.) Quid Cynici? aperte : « Sufficere Virtutem ad Beatam vitam, nullo indigentem, nisi Socratico robore. » Quam additiunculam interpreter, requiri tantum constantem Sapientiam, et sapientem Constantiam, ad viri illius exemplar. Ipse Plato ita sensisse quibusdam visus : et « Aristo Stoicus (ait Clemens) tres libros olim scripsit, hoc titulo : Quod juxta Platonem, solum Honestum Bonum. » (Lib. V. Strom.) Sed Hebræi, et nostri etiam, non aliter. Quæ mens, nisi ista, Psalmographi regis? « Beati immaculati in via » (Ps. CXVIII.) : virtuti adjuncti, vitiis alieni. Quæ ejus filii? « Venerunt mihi omnia pariter cum Sapientia, et innumerabilis Honestas per manus illius. » (Sap. c. 7.) Planissime hoc dictum, quod Comicus etiam noster, voluit :

> Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona
> Quem penes est Virtus. (Plaut. Amphitr.)

Et alibi Hebræus sapiens : « Beatus vir, qui in Sapientia moratur. » Jam de nostris, Clemens audiatur (Lib. V. Strom.) : « Atqui Solum bonum Honestum esse, novit et Barbara (id est Judæa et nostra) Philosophia, itemque, Virtutem sufficere ad Felicitatem ; ubi dixit : Ecce dedi ante oculos tuos Bonum et Malum, Vitam et Mortem, elige Vitam. (Deut. XX.) Nam Bonum quidem Vitam appellat, et Honestam ejus electionem. Utriusque autem Finis idem. Dei amantem et verentem esse. » Denique addit : « Hæc jactant assidue Stoici » : ut videas eum nostris istis Sacra pariare. Quid autem Ambrosius? Sæpe etiam Stoicus, ut observavi ; hic quidem palam : « Nihil Bonum, inquit, Scriptura,

nisi quod Honestum, asserit : Virtutemque in omni rerum statu beatam judicat quæ neque augeatur corporis Bonis, vel externis; neque minuatur adversis. » (II Offic. cap. 3.) An potuit Zeno capitalia ista Dogmata disertius efferre? Et vides, quid sentiant et consentiant nostri.

DISSERTATIO XXI.

Aliquid in hac re contra Academicos : et non venire in Boni nomen Externa.

MAGNIFICA igitur, atque etiam vera ista sententia : teneamus, sciamusque « Unam hanc esse viam ad tuta vadenti, et Externa despicere, et Honesto contentum esse. » (Sen. Epistol. LXXIV.) AUD. Inclino equidem, sed Academiæ veteris auctoritas etiam retinet : cui visum, « In una quidem Virtute positam Beatam vitam, non tamen Beatissimam; nisi adjungerentur et Corporis bona, et cetera ad virtutis usum idonea. » (Cic. I Academ.) Et hercules rationem habere sententia videtur. Nonne enim Naturam sequi consentimus, in via hac Felicitatis ! Atqui Corporis bona, sive in toto eo, ut Valetudo, et Robur : sive in Partibus, ut Sensuum integritas, Pedum celeritas : illa, inquam, omnia et singula commendat conciliatque mihi Natura. Jam Externa bona, Usui virtutis an non palam necessaria, aut certe commoda, et decora? Itaque merito eorum adjectio, Beatæ vitæ adjicere videatur; et detrahere, detractio. Sicut in acervo majus aut minus est, tot modiis additis sive demptis : et manet tamen acervus : ita hic. LIPS. Non nescimus hæc et Academicorum, et Peripateticorum esse : qui, ut noster ait, « longe lateque Felicitatis humanæ terminos ponunt. » (De Benef. V, cap. 3.) Ille idem de iis : «Xenocrates et Speusippus putant, Beatum vel sola Virtute fieri posse : non tamen Unum bonum esse, quod Honestum est. » (Ep. LXXXV.) Id est, alia etiam Bona venire in numerum, et pondus addere, et attollere, vel deprimere Felicitatis hanc lancem. Itaque « Sapientem quidem beatum : summum tamen illud Bonum non assequi, nisi illi et naturalia instrumenta respondeant. » (Epist. XCII.) Quid, quod inter ipsos Stoicos aliqui in

hanc partem eunt, aut vergunt? « Antipater, inter magnos sectæ hujus auctores, aliquid se tribuere dicit Externis, sed exiguum admodum. » Ita vides, facile nos homines a vulgo aut opinione abduci, et quotidiano velut contactu etiam Sapientiæ studiosos attaminari. Quid autem veri illi nostri? obnixi resistunt, et nulla Bona, præter Animi, agnoscunt. Nam si semel hæc admittis, et vel rimam leviter aperis : quis finis aut modus erit; agmine irrumpent, et minima momentum poscent et facient in Beata vita. Facient? jam fecerunt. Aristotelem audi : « Fieri non potest certe ægre, ut bona aliquis faciat sine instructo et apparatu. Multa enim velut per organa facienda sunt, amicos, opes, civilem gratiam aut potentiam. Qui autem aliquibus carent, maculant et fœdant Beatitudinem, ut qui Nobilitate, qui Prolium copia aut bonitate (εὐτεκνίας), qui Forma. Non enim plane felix est, facie turpis, ignobilis, aut solitarius et improlis. » (Ethic. ad Nic. I, cap. 8.) Deus bone, Nobilitatem, Proles, Formam etiam, venire in hunc censum? Da veniam Lycæum, et tu ejus antistes : parum generosi aut viriles sunt isti sermones, ut sint veri. At enim plenam Felicitatem quærunt, et cui nihil absit. Nos una. An non talis est, quam fecit Virtus? « Hæc nihil vacare patitur loci : totum animum tenet, desiderium omnium tollit : sola satis est. Omnium enim bonorum vis et origo in ipsa est. » (Sen. Epist. LXXIV.) Quid minuta hæc congeris, quæ melius aliquod altiusque ingenium vel sine doctrina contemnat? « Non potest in hac claritate Solis scintilla habere momentum. » (Ep. XCII.) Simile de Valetudine, atque illis Corporeis dico : animi et Virtutis adspectu « tam pusilla esse, ut non conveniat illis Boni nomen. » (Epist. CXVIII.) Quid autem Fortunæ? magis : « et nihil Bonum nobis videtur, quo quis et male uti possit. » (Ep. CXX.) Ambigua ista sunt, et dubiæ, ut sic dicam, sanitatis : nec « nisi quum honeste administrata sunt, Bona esse incipiunt. » (Ep. CXVIII.) Quam multi viribus, opibus, forma, in suam alienamque perniciem sunt usi? At enim, « Secundum naturam » sunt, ut aiebas. Fateor : atque ideo etiam, si non expetam, petam. « Quidni? non quia Bona sunt, sed quia secundum Naturam sunt : et, quia Bono a me judicio sumuntur. Quod erit in illis tunc Bonum? hoc unum, bene

eligi.» (Ep. XCII.) Vade, ista notanda: non sunt, sed fiunt Bona, a bene eligente et utente: id est, a Prudentia mea et Virtute, quæ sola «perfectum Bonum est, cujus contactu alia quoque Bona fiunt.» (Ep. CXVIII.) Neque aliter alibi Plato censuit, pro cujus mente Apuleius: «Corporum sanitatem, Vires, Indolentiam, ceteraque ejusmodi Bona extraria, item Divitias, et quæ Fortunæ commoda dicimus, ea non simpliciter Bona nuncupanda esse. Nam si quis ea possidens usu se abdicet, ea sibi inutilia erunt: si quis autem eorum usum converterit ad malas artes, ea illi etiam noxia videbuntur.» (De Philos.) Et contra est, in iis quæ mala corporis aut externa censentur: quæ Bona bonus animus facit. Ille est, ait Sallustius «dux atque imperator vitæ mortalium, qui ubi Virtutis via ad gloriam grassatur, abunde pollens potensque est, neque Fortunæ eget.» Agnoscis hæc Stoica? reponit: «Corporis et Fortunæ bonorum uti initium, ita finis est; omniaque orta occidunt et aucta senescunt. Animus incórruptus, æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur.» O rectæ et erectæ voces (audacter dicam) præ multorum, qui Philosophi titulum inscribunt! audiamus: et cum Helvidio (apud alterum Historicum) «doctores Sapientiæ sequamur, qui sola Bóna quæ Honesta, Mala tantum quæ Turpia; Potentiam, Nobilitatem, ceteraque extra Animum, neque Bonis neque Malis adnumerant.» (Tac. IV Histor.)

DISSERTATIO XXII.

Quæ igitur Bona? atque ea subtiliter, et Στοιχῶς divisa.

AUD. Audiamus: qui tamen firmiter et secure possumus, nisi distincte Bona Malaque norimus? Ea, meo animo, tibi explicanda sunt, et finibus suis limitibusque claudenda. LIPS. Æquum oras, etsi Ethicorum hic proprie locus est: tamen notare hic opus, aut in his sequentibusque natare. Socrates ille olim «hanc Summam dixit esse Sapientiam, Bona Malaque distinguere.» (Sen. Epist. LXXI.) Vere, quia sine ea notitia, nec illa

appetere aut sequi recto pede liceat, nec hæc fugisse. Itaque quod apud Homerum ille gloriatur :

> .. .. Νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα
> Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρηα·
> .... Novi et scio singillatim
> Quæ Bona, quæ Mala sint.

monitum et exemplum Sapienti est, quid præstet. Faciamus igitur : ego pro copia captuque meo definiam, dividam singula, et subjiciam ut in tabella. « Eorum quæ sunt, ait Laertius, dicunt (Stoici) alia Bona esse, alia Mala, alia Neutra. » (In Zen.) Satis laxe, *Quæ sunt* : restringo ad hanc materiem, id est, quæ in Vita et Moribus sunt, aut circa. Quid igitur Bonum? Seneca : « Finivit hoc alius, alio modo. Quidam ita : Bonum est, quod invitat animos, quod ad se vocat. Huic statim opponitur : Quid si invitat quidem, sed in perniciem? Scis quam multa Mala blanda sint. » Respondetur : « Verum et Verisimile inter se differunt ita : quod Bonum est Vero jungitur : non est enim Bonum, nisi Verum est. At quod invitat et allicit ad se facie, Verisimile est : surrepit, sollicitat, attrahit. Quidam ita finierunt : Bonum est, quod appetitionem sui movet : vel, Quod impetum animi ad se tendentis movet. Et huic idem opponitur : multa enim impetum animi movent, quæ petuntur petentium malo. Melius illi, qui sic finiverunt. Bonum est, quod ad se impetum animi, secundum Naturam movet. » (Epist. CXVIII.) Cicero varie etiam definit, aut tangit definiri : « Bonum, inquit, si opus fuisset, definisses, aut Quod esset natura appetendum ; aut Quod prodesset, aut Quod juvaret. » (II De Fin.) Quæ prima definitio cum ultima Senecæ in re consentit : sicut et alia quam Cato apud eum prodit. « Boni, inquit, definitiones paulum oppido inter se differunt, et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni (Babylonio) qui Bonum definierit, id quod esset Natura absolutum. » (III De Fin.) At aliæ Stoicorum, cum ultimis Ciceronis fere conveniunt et Laertii hanc habe : (Sext. Emp. adv. Math. et Pyrrh. Hyp. III, c. 20.) « Bonum communiter est quod Utile : proprie autem, sive ipsum istud, sive de eo non diversum. » In quibus verbis *Utile* dicunt ipsam *Virtutem : non diversam*, *Ho-*

minem bonum, aut *Amicus.* » Sed nota igitur et character Boni præcipuus, Prodesse. Ita Clemens germanissimus sæpe Stoicus: « Bonum igitur, qua Bonum, nihil aliud quam prodest. » (Lib. I. Pædag. cap. 8.) Quod in Deo videre est, summe Bono; et juvante semper Patre. Et quia igitur Utile, hinc illæ aliæ definitiones ab effectu: « Quod ad se invitat: Quod sit expetendum; » et tales. Alia etiam mox in Laertio: « Aliter vero et sic definiunt proprie Bonum, Quod absolutum sit secundum Naturam partis Rationalis. » Est superior ipsa Diogenis, nisi quod de Rationali additum, rei explicandæ aut terminandæ. Nam simpliciter Secundum Naturam si dicas, videatur cavillo locus, et in Infantibus etiam Bonum esse. Hoc negant. Seneca huc ducendus: « Quid est secundum Naturam? quod contingit et protinus nato, non dico Bonum, sed initium Boni » (illa semina, de quibus dictum). Pergit » : Atqui non magis infans adhuc Boni capax est, quam arbor, aut mutum aliquod animal. Quare autem Bonum in istis non est? quia nec Ratio. Ob hoc in infante quoque non est, nam et huic deest. Est aliquod Irrationale animal; est aliquod, nondum Rationale; est Rationale, sed imperfectum. In nullo horum, Bonum: Ratio istud secum adfert. Quid ergo inter ista, quæ retuli, distat? Numquam erit Bonum in eo, quod irrationale est: in eo, quod nondum Rationale est, tunc esse Bonum non potest: in imperfecto, jam potest esse Bonum, sed non est. » (Epist. ult.) Vis breviter hæc me complecti? In Irrationali, ut bruto, numquam Bonum est: in nondum Rationali, ut puero, jam non est: in Imperfecto, ut adulto, sed indocto, jam potest esse, sed non est; quare? quia (iterum Seneca) « hominis Bonum non est in homine, nisi quum in illo Ratio perfecta est. » (Ibid.) Antea satis diximus de Consummata et Absoluta Ratione; quæ sola dux ad Bonum, id est, Virtutem. Et jam ex istis vides, cur in Definitione additum, *partis Rationalis*. Atque hic subsisto: pergo autem, an refræno gressum, et regredior? Ostendunt enim se et offerunt Divisiones, aut Distinctiones: quæ pro Stoico quidem sensu, nescio an pro tuo sint: tenuia quædam aut subtilia, ut verum fatear: non tamen futilia aut inutilia, si quis rectum pedem aut mentem ad illa profert. Age, ponamus

obiter et lustremus : eligamus etiam, si quid ad nostrum illum (Senecam scis me dicere) aut priscos auctores, qui hodie in manibus, facit. Multiplex et intricata Divisio est (Stoicorum propria hæc acumina) ; sed ego disponam et sejungam, quæ tenebras aut confusionem habeant mixta. Videsis, et patienter, si non libenter, hæc audi. Prima distinctiò :

BONUM trifariam dicunt :	I. *A quo Utilitas* : ut est Virtus. Græce efferunt : ἀφ' οὗ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι : *atque, hoc, ut a prima causa.*
	II. *Per quod Utilitas* : ὑφ' οὗ συμβαίνει ὠφελεῖσθαι : ut iterum *Virtus*, et amplius, *secundum eam Actiones.*
	III. *Quod potest Utile esse* ; sive, uno verbo, *Utibile* : τὸ οἷον ὠφελεῖσθαι : ut dicta jam duo, itemque *Amicus Vir bonus*, *Dii et Dæmones.*

Vides quæ Bona, et quo sensu graduque dicantur : ex quibus Virtus omnia permeat : permeat ? imò et contactu suo omnia facit. Nam illa « fontis vicem habet » : ab ea rivi et aquæ, et quidquid irrigat, humectat, et a se atque ex se fecundat. Hæc ista e Stobæanis colliges, et Sext. Empirico : licebat et ex Laertio, nisi mutila in eo legerentur. Verba ejus : « Ipsam Virtutem, et quod ejus participat, trifariam dicunt. Ut, Bonum a quo contingit.... sicut Actionem secundum Virtutem.... Per quod uti Virum bonum consortem Virtutis. » (In Zen.) Itane *trifariam ?* atqui bifaria tua est divisio, nec ultra. Ipsa exempla peccant : et ubi notulas posui, scito defectus esse, facile e jam dictis explendos. Altera Divisio.

BONORUM alia	I. *In Animo* : ut *Virtutes Boni habitus, et laudabile actiones.*
	II. *Extra eum* : ut *Amici*, *Discipuli*, et similia.
	III. *Neutra* : ut *Viri probi, et virtutes adepti.*

Hæc quoque Divisio ex Stobæo, et Sexto : itemque exempla. In istis variare aliquid Laertius videtur, præsertim in extremo : an explicare ? Tu eum vide. Tertia divisio : sive subdivisio.

BONORUM QUÆ IN ANIMO, alia	I. *Affectiones esse* : ut *Virtutes omnes.*
	II. *Habitus, non affectiones* : ut *studia.*
	III. *Neutra* : ut *Actiones secundum Virtutem.*

Hæc in Stobæo : iterum Laertius aliter, et in ordine aliquid turbat :

« Bonorum, inquit, in animo alia sunt Habitus, alia Affectiones (sive quis mavult, Constitutiones), alia Neutrum. Constitutiones, Virtutes; Habitus, Studia; Neutrum, Actiones. Quarta Divisio :

BONORUM alia.	I. *Finalia*, Græce τελικά : ut *Gaudium*, *Fiducia et ex virtute actiones.*
	II. *Efficientia* : ut *Prudens vir*, *et Amicus.*
	III. *Utrumque* : ut *Virtutes omnes.*

Itaque Stobæus; et cum eo Cato apud Ciceronem. « Sequitur illa divisio, ut Bonorum alia sint ad illud Ultimum pertinentia (sic enim appello, quæ τελικά dicuntur); alia autem Efficientia, quæ Græci ποιητικά; alia Utrumque. De Pertinentibus, nihil est Bonum, præter Actiones honestas; de Efficientibus, nihil præter Amicum; sed et Pertinentem et Efficientem, Sapientiam volunt esse. Nam quia Sapientia est conveniens Actio, ex illo Pertinenti genere est; quod autem honestas Actiones affert et efficit, ideo Efficiens dici potest. » (III De Fin.) Discrimen aliquod in exemplis vides : præsertim ultimo, sed nempe Sapientia Virtus est, et contra. Rationem etiam illam Tullianam ex Stobæo licet illustrare : « Virtutes omnes sunt Efficientia et Pertinentia Bona. Efficientia, quia gignunt faciuntque Felicitatem; Pertinentia, quia eam implent, quum partes ejus sint. » In Laertio hæc ipsa : sed iterum cum defectu, qui apparet inquirenti. In ultimis est (ut compendii faciam recitare) : « Efficientia et Finalia esse Bona.... Quatenus enim perficiunt Felicitatem, Efficientia esse : quatenus complent eam, ut ejus partes, Finalia. » Inserenda vox : « Virtutes. » Senecæ etiam locus est, qui huc faciat : « Sed ut removeas illa, quæ aut Summa bona sunt, aut summorum Efficientia. » (Epistola CIX.) Et in isto genere Virtutes habet. Ex hac igitur divisione lucem istis demus, et simul discamus, primo et vere bono non nisi Virtutes esse, alia ex communione. Ita Justitia Bonum est, non quia Virtutem habet : ipsa est enim Virtus : « Sed (Clementis verba) quod ipsa per se, et ex se bona est. » Deinde secundario, Justum esse, Bonum; quia ex ea manat participatque. Ideo ridere libeat quæstiunculam in Seneca : « An verum sit, quod Stoicis placet, Sapientiam Bonum esse; Sapere, Bonum non esse. » (Epistola CXVII.) Et ratiunculas dat, quas piget

reponere. Quin tu et illi serio loquimini; Bonum esse, quia adfine et consors illius Boni? Prima divisio nostra rem conficiet: pro meo quidem sensu. Satis de Bonis : etiam Malis, quia eadem ista inverte, et quadrant omnia, Definitiones, Divisiones, Exempla.

DISSERTATIO XXIII.

Quæ Adiaphora, sive Neutra? quæ in iis Producta, et Rejecta? aliaque tenuiter inquisita.

Transeo ad tertium membrum, quod Neutra continebat : id est, neque Bona, neque Mala. Hoc illud est, in quo confligunt et gradum conferunt Academici ac Peripatetici cum Stoicis : qui ista ipsa Bona appellant, sed modificantes, Bona Corporis aut Externa : nostri pernegant, nec nisi Neutra, Media, Interjecta, creberrime Indifferentia, ea dicunt. Diligentissime hanc partem percoluerunt : tum ob dictam pugnam, tum quia Aristo Chius, Pyrrho et adseclæ, aliam Indifferentiam, inducebant : qui ita in sola Virtute et Vitio omnia ponebant, ut rerum dilectu sublato, « cetera pro nihilo haberent : et inter optime Valere, et gravissime Ægrotare, nihil prorsus dicerent interesse. » (Cic. II De Fin. et alii.) Idem in Pauperie, Opibus, aliisque externis : quorum nihil esset alteri præ aut post ponendum. Fatua, et tamen pervicax sententia ; contra quam etsi Cicero ait « jam pridem desitum esse disputari » (Ibid.); tamen post illum profecto vixit, imo floruit, et Sexti Empirici subtiles libri super ea exstant. Quid quod Favorinus Gallus philosophus, Hadriani ævo, in hac secta fuit? qui usque eo « Epochen produxit, ut negaret vel illud intellectu comprehendi, Solem esse. » (Galen. contra Acad.) Ob hos igitur et tales, Stoici Adiaphora curiose et subtiliter examinarunt : et varias Divisiones ac Discrimina dederunt. Iterum te convenio, indulge, et patienter, vel sectæ et Senecæ causa, hæc audi. Primo notant.

Adiaphora bifariam dici : { I. *Quæ nec Bona, nec Mala sunt : neque ad Felicitatem aut Infelicitatem conducunt*, ut *Sanitas Opes, Gloria*, et similia.

ADIAPHORA bifariam dici :	II. *Quæ nec Appetitum , nec declinationem movent* (Græci significanter , μήτε ὁρμῆς μήτε ἀφορμῆς κινητικὰ : ut *Pares in capite capillos habere, aut impares.*)

Ita Laertius, et Stobæus. At Sextus, trifariam vult dividi : et præter duos modos dictos, hunc inserit : « Adiaphorum, ad quod quidem fertur Appetitio, sed non magis ad hoc quam illud, ut, Drachmis duabus positis charactere et nitore paribus, quum alteram oporteat eligere, et velim, non magis ad hanc quam ad illam feror. » Parvi hoc est; illud moneo, Senecam discrimina duo dicta tangere, atque ipsum inibi exemplum. « Est et horum, quæ appellamus Media, grande discrimen. Non enim sic Mors Indifferens est, quomodo Utrum capillos pares habeas : Mors inter illa est, quæ quidem non sunt, tamen habent Mali speciem. » (Ep. LXXX, 11.) Moneo amplius, de solo priore genere sermonem nobis esse; id est, de iis, quæ Felicitatem, aut contra, tangunt; quæque Græci dicunt, τὰ μεταξὺ τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν : « interjecta et media inter Bona Malaque. » (Stob.) Ad fines enim alterutrius veniunt, et speciem eorum habent; re autem ipsa neque juvant, neque lædunt » (Laert.), ergo vere sunt Neutra. De his igitur videamus, iterumque dividamus. Sunt enim

ADIAPHORA, alia	I. *Secundum Naturam* : ut *Sanitas*, *Robur*, *Sensuum integritas.*
	II. *Præter Naturam* : ut *Morbus*, *Imbecillitas*, *Mutilatio.*
	III. *Neutra* : ut *Imaginatio* talis, aut *Visum.*

Iterumque : SECUNDUM AUT PRÆTER NATURAM

ADIAPHORA alia	I. *In Animo* : ut *Ingenium.*
	II. *In Corpore* : ut *Sanitas.*
	III. *Extra* : ut *Liberi.*

Ex his, Animi semper præferenda Corporis : et hæc iis, quæ Extra. Iterum autem : et præcipui usus Divisio

ADIAPHORA alia sunt	I. *Producta, quæ Æstimationem habent* : ut *Ingenium*, *Sanitas.*
	II. *Rejecta, quæ Deæstimationem* : ut *Stupor*, *Morbus.*
	III. *Neutra, quæ non hanc, non illam* : ut *Digiti motus.*

Hæc sunt illa olim celebrata Προηγμένα καὶ Ἀποπροηγμένα Zenonis. Has enim voces primus ille huic rei procudit et apposuit : ut Differentiam inter ipsa Indifferentia aperiret. Quid enim? Mors et Vita eadem; aut æstimatione eadem? Opes et Inopia? Valetudo et Morbus? Igitur Stoico more divisit subtilius : et quædam Προηγμένα dixit, Latine Cicero Producta sive Promota, ad verbum; ad sensum, Præposita sive Præcipua, quia eminent, et in eligendo aliis anteponuntur. (III De Fin.) Adversa autem istis dixit Ἀποπροηγμένα, quæ idem Cicero (pro sensu, non pro voce) Rejecta. (Cic. ibid.) Causa horum nominum, ex ipso Zenone, hæc est : « Ut (aiebat) nemo dicit in regia Regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est προηγμένον) sed eos qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit ad regium Principatum : sic in vita, non ea quæ primario loco sunt, sed quæ secundo προηγμένα nominentur. » (Cic. ibid.) In Stobæo ipsa, nisi fallor, Zenonis verba : « Nulla Bonorum inter Producta esse, habent enim maximam dignitatem. At Productum secundum locum et dignationem obtinet, et quadamtenus Bonorum naturæ accedit. Nam nec in aula Regem produci aut Promoveri dicimus, sed eum qui proximum ab eo locum habet. » Quæ igitur sunt ista Producta? Laertius breviter : « Producta quæ Æstimationem habent : Rejecta, quæ Deæstimationem, sive Non æstimationem. » Itaque opponuntur. Cicero declarabit, in persona Catonis : « Indifferentium alia Æstimabilia esse, alia Contra, alia Neutrum. Quæ æstimanda, eorum in aliis satis esse causæ quamobrem quibusdam Anteponerentur : ut in valetudine, integritate sensuum, vacuitate doloris, divitiis gloria : alia autem, non esse ejusmodi. Itemque eorum, quæ Nulla æstimatione digna essent, partim satis habere causæ quamobrem rejicerentur : ut dolorem, morbum, sensuum amissionem : partim Non. Atque hinc exortum esse illud, quod Zeno προηγμένον, contraque quod Ἀποπροηγμένον nominavit. » (III De Finib.) Divisio est clara, et magis e Stobæo : « Æstimabilium alia multam æstimationem habent, alia pauxillam. Similiter, Deæstimabilium alia multam non dignationem, alii pauxillam. Quæ multam Æstimationem, Producta dici : quæ multam Deæstimationem Re-

jecta.» Plane hæc cum Cicerone consentiunt; an Cicero ipse alibi secum? Nam scribit, item ex Zenonis scito : «Quæ nec Bona nec Mala sunt, ex iis quædam Secundum naturam dicebat, alia naturæ Contraria, alia Media sive Neutra. Quæ Secundum naturam, ea Sumenda, et quadam Æstimatione dignanda dicebat: contraque Contraria. Neutra autem in medio relinquebat, in quibus nihil ponebat momenti. Quæ essent Sumenda, ex iis alia Pluris esse Æstimanda; alia Minoris. Quæ Pluris, ea Præposita appellabat : Rejecta autem, quæ Minoris.» (I Acad.) In his verbis ultimis palam Rejecta (ea sunt Ἀποπροηγμένα) ponit inter ea quæ Secundum Naturam, quæ Sumenda, et Æstimanda, etsi Minoris. Ego parum hæc capio, et sunt ex diametro prioribus adversa : tu vide. Fateor aliquid in Sexto pro hac mente videri, ut Latina quidem versio est; nam Græca vidi numquam. Ibi ista : « Stoici ex Indifferentibus alia aiunt προηγμένα, Promota sive Præposita; alia ἀποπροηγμένα, Remota sive Rejecta. Et illa esse, quæ sufficientem habent dignitatem, ut Sanitatem, Divitias. Ista, Rejecta, quæ non habent sufficientem dignitatem : ut Paupertatem, Morbum. Neutra autem, ut est Extendere digitum, aut contrahere.» (Pyrrhon. III, cap. 24.) Ita ibi quidem Sextus : an satis considerate, aut vere? Nam si illa «Rejecta, quæ pauxillam, ut Stobæus, dignationem habent» : quo numero Sexto est Dolor, Morbus : quid igitur quæ Non dignationem habent? quæ illa, aut quo loco, quo titulo erunt? Nam Dolor et Morbus certe sunt ista, et Contra naturam et Rejicienda. Itaque aliter, et verius alibi idem Sextus; «Præcipua esse, quæ satis habent dignitatis : Rejecta, quæ satis indignitatis.» (Adv. Mathem.) Et vix ambigo, in priore ejus loco in Græcis ita fuisse : πολλὴν ἀξίαν, et πολλὴν ἀναξίαν : aut quidem esse debuisse. De Cicerone igitur, ne aliis, ne sibi, ne vero pugnet, videndum, annon et is locus vitiosus aut potius mutilus, et ad hanc sententiam reformandus. Ego opinor. Sed quæ est hic Ἀξία, vel Ἀναξία? Laertius dupliciter definit : et posterior nobis apta. Ἀξίαν εἶναι μέσην τινὰ δύναμιν ἢ χρείαν, συμβαλλομένην πρὸς τὸν κατὰ φύσιν βίον : «Æstimationem, esse mediam quamdam facultatem et usum, conferentem aut convenientem ad vitam secundum natu-

ram. » Et Deæstimatio igitur, contra. Verti Æstimationem ; et ita, ut notare potuisti, Cicero : at Seneca noster Pretium hoc dicit. Ita etiam alibi : « Indifferentia habere in se aliquid Pretii : et esse alia aliis potiora. » Iterumque : « Corporum bona, in totum non sunt Bona ; his Pretium quidem aliquod erit, cæterum Dignitas non erit. » (De Vit. Beat. cap. 22.) Non ecce vertere voluerunt Dignitatem, etsi poterant : quam propriam vere Bonorum, id est, Virtutis asseruerunt. Sunt autem hæc ipsa Producta et Rejecta, quæ aliter Commoda et Incommoda Latini dixerunt ; Græci εὔχρηστα et δύσχρηστα. Seneca : « Alia est Commodorum conditio, alia Bonorum. Commodum est quod plus Usus habet, quam molestiæ : Bonum est sincerum, et ab omni parte innoxium. » (Ep. LXXX, 7.) Nota de Usu, et ad Græcam illam vocem adspectum. Cicero causam nominis paulo aliam suggerit : « Res quas nos (Academici) Bonas dicimus, Zeno concessit, ut haberentur aptæ, habiles, et ad naturam accommodatæ : faterique cœpit sapienti Commodius esse, si ea quoque habeat. » (IV De Fin.) Seneca de iisdem iterum ? « Commoda sunt in vita et Incommoda, utraque extra nos. » (Ep. XCII.) Quid ais ? extra nos, ergo illa Corporis, Commoda non sunt ? Sunt hercle ; sed extra nos, id est Animum, primam et pæne totam nostri partem. Iterumque idem : « Bona illa sunt vera, quæ Ratio dat : cetera opinione Bona sunt. Itaque Commoda vocentur, et ut nostra lingua loquar, Producta. » (Epist. LXXIV.) Vides palam, eadem cum Productis esse ; Ciceronem adde : « Commoda et Incommoda ; ita enim ἐυχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello. » (III De Finib.) Et quare ea sic Zeno ? quia χρείαν, Usum ; non autem ὠφέλειαν, Utilitatem, habent. Plutarchus Zenonios irridens : « Sumenda, non Expetenda ; Apta naturæ, non Bona ; Inutilia, tamen Commoda. » Ubi amplius observes Stoicorum in vocibus cautionem aut dilectum : et *sumi* Indifferentia, non *expeti* : quod est Virtutis. Cicero : « Quæ illi (Academici) Bona dicerent, Præposita esse, non Bona : et sumenda potius, quam expetenda. » (IV De Fin.) Iterum : « Duo nobis opera pro uno Stoici reliquerunt, ut alia sumamus, alia appetamus. »

(Ibid.) Iterumque : « Valetudinem bonam expetendam negant esse, eligendam dicunt. » (Ibid.) Seneca ex hac formula locutus : « Sumpturum me, si detur Electio, Sanitatem et Vires. » (Epist. XCII.) Non locutus alibi : « Commoda tamen illa esse, et *expetenda*, non negamus. » Minime vero expetenda : et Stoici tui culpent. Cicero planissime : « Itaque illa (Commoda) non dico me expetere, sed legere : nec optare, sed sumere : contraria autem, non fugere, sed quasi secernere. » (III De Finib. in extremo.) A Stobæo etiam hic aliqua lux, qui universe profert : « Omnia (Indifferentia) quæ secundum naturam, sumenda esse : quæ contra non sumenda, (sive ut Cicero, rejicienda. ») Ita enim de iisdem Stoici : « Exsilium et publicationem bonorum, rejicienda esse, non fugienda. » Supra dixit : *Secernenda.* Zeno ipse, apud Athenæum : (Libro VI.) « Optationem aut fugam istorum abdicat. » Quid ergo : « Uti illis cum judicio et antecedente notitia jubet, et metus aut admirationis expertem animum erga talia habere. » Plura hæc possim : sed dic ore libero, an jam nunc non fastidis? non, inquam, tenuia hæc, aut et περίεργα (*Curiosa et supervacua*) tibi visa? AUD. Si verum amas, visa. Et, o graves illos Zenonas et Cleanthas, per hæc dumeta incedere, et in his verborum, ut sic dicam, præstigiis hærere? Quid enim aliud, quam nominum quædam prælia, ne dicam illudia, ista sunt? Non Bona, sed Producta : non Mala, sed Rejectanea. In re igitur consentis? eodem loco et pretio, quo alii, habes? Verba versas et dissimulas, sed ægre expedis, et flexu ad eamdem metam venis. Cicero sæpe hoc iis objicit, et noster etiam Augustinus : qui hæc omnia « verborum certamini, non rerum examini, censet deputanda. » (IX De Civit. c. 4.) Meo animo, ista si non fidem, gravitatem sectæ detrahunt; et vellem abstinuisse.

DISSERTATIO XXIV.

Non esse has Logomachias, aut Periergias : et ad rem voces istas facere, idque obiter ostensum.

Lips. Quid siet ego temperasse velim? nimia acumina non amo : sed temperasse, non abstinuisse. Mihi tamen ad rem facere videntur ipsa hæc verba, et aut frænum cupidini, aut stimulum dare. Nihilne interest, utrum Bona, an Producta appellem? Si Bona; incitor, et præsumo jam appetenda. Sin autem Producta; disco fines Boni tangere, sed judicio debere induci. Ipsa voce igitur admoneor, non nimis et statim inhiare. Idem in iis, quæ Mala vulgo dicunt : ipsi Rejecta : intelligo non nimis fugienda esse; et interdum, si Virtutis in eis materies, appetenda. Ciceronis illa non audio : « Qui doces paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus Præpositis, quam si in Bonis duxero? fortioremque in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu, quam si Malum dixero. » (IV De Fin.) Imo doceam hoc, Cicero : et verba incitamentum animis dant, aut coerctionem. Eadem etiam doctrinam; quo enim fine alioqui nomina, nisi ut res intelligatur? Et bene Plato ea rerum δηλώματα, *notificationes* esse dixit. Itaque idem ait : « Nominis rectitudo illa est, ut qualis res sit, ostendat. » (In Cratylo.) Quid tu igitur mihi Bona appellas; quæ nec te judice plane talia sint? mala esse possint? Zeno vitavit, et Media dixit, et ostendit a Virtute aut Vitio, ab Usu vel Abusu, decus aut dedecus iis advenire. « Omnis enim res, ait Seneca, quod non habuit decus, addita Virtute sumit. Cubiculum lucidum dicimus, quod idem obscurissimum est nocte. Dies illi lucem infundit, nox eripit : sic istis, quæ a nobis Indifferentia dicuntur, divitiis, viribus, honoribus, regno : et contra, morti, exsilio, malæ valetudini, dolori, Malitia aut Virtus dat Boni vel Mali nomen. » (Ep. LXXXII.) Itaque divitiis male utor? malæ fiunt : bene? bonæ. Sed hoc etiam disco, rem tam ambiguam caute custoditeque habendam. Nimias non appetam, quia ut ferrum facile ad rixas aut pugnam irritat, sic ad vitia opes. Impediunt etiam, et velut sar-

cinæ aut laciniæ sunt ituris ad Bonam mentem. Socrates olim : « Vestes longæ et talares corpora, opes autem nimiæ animos impediunt. » Bona similitudo, et Apuleio placuit concinne usurpare : « Fortunam, velut tunicam, magis concinnam, quam longam probare. » (Apolog.) Itaque sapiens habet, non adversat : et vere χρήματα non κτήματα ea facit. Sed nec ab illis se æstimat : duntaxat, si Mens bona adest, dixerit,

> Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει·
> Beatus est, qui Mentem et una Opes habet.

Imo beatus, qui solam etiam Mentem habet : etsi cum ea et illas mallet. Neque enim Eligere ab eo amovemus. Appetere tantum damnamus. Nam ille quidem opes, vires, honores, « totum Fortunæ regnum despiciet : sed ex illo tamen, si dabitur electio, molliora sumet. » (Sen. De Vit. Beat., c. 25.) Idem fortiter et ex animo clamabit :

> Laudo manentem : sin celeres quatit
> Pennas, resigno quæ dedit, et mea
> Virtute me involvo, probamque
> Pauperiem sine dote quæro.

Audis? dotem habeat Virtus, non habeat, ipsam ambit et amat: nec accedere ei aut decedere per externa quidquam putat. At hæc talia animis imprimenda, ne vitio Zenoni vertatur nomina apposita invenisse, et quæ ostendant, aut liberent a populari errore. Diffundi ista possint, dies contrahit : et ecce, dum loquimur,

> ..... ἠέλιος κατέδυ, καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε·
> Jam sol occidit, et venere crepuscula noctis.

Vale et vade igitur; cras, sodes, redi.

JUSTI LIPSII

MANUDUCTIONIS

AD STOICAM PHILOSOPHIAM

LIBER TERTIUS.

DISSERTATIO PRIMA.

Ingressio ad Sermonem. Aliquid contra Spem et Metum : ad Decreta deinde transitus factus.

Aud. Numquid pergimus in Sapientiæ hac via? Valde opus est, et quotidie audimus quæ turbent, aut dejiciant, nisi ab illa firmemur. Lips. Quæ tu iterum tristia, o cum Homero, *μάντι κακῶν* (*vates malorum*)? Aud. Nam antea bellum fuit, nunc et rebellio accessit : ac miles noster jus fasque imperii omne exuit et calcavit : audistin'? Annibal in somniis olim *Serpentem* vidit, qui *Vastitatem Italiæ* denuntiabat : ego vigilans meæ Belgicæ hanc ipsam. Quo loci sumus, Lipsi? « *quam prendimus arcem?* » Lips. Hanc Philosophiæ, ut aiebas : in quam pedem cœpimus ferre. Quo enim alio fine et fructu, nisi ut in hæc talia nos firmet? Pythagoras olim (cujus ego singula Sententiarum frusta, gemmas habeo) : ille, inquam, scite : « Sicuti Medicinæ nullus usus fructusque est, morbos a corporibus non depellentis; non item Philosophiæ, nisi vitia ab animo. » (Stob. Ser. LXXX.) Et quæ vitia? quum alia, tum præcipue eorum fomites, aut fontes : Spem et Timorem. Alternis inter hæc jactamur, avidi semper, aut trepidi, et a casibus Fortunæ suspensi. Bene Seneca : « Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur. » (Epist. XV.) Quare ingrata? præsentia enim aut præterita in numerum aut

lucrum non veniunt : nec sistimus, sed semper prominemus. Quare trepida? quia et « majora vero timemus; et antequam timenda, timemus. » (Sen. Epist. XIII.) Permittimus deinde nos affectui, nec Ratione ulla revocante, auferimur : et « sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fuga pecorum exuit castris. » (Ibid.) Quid ergo? inquies; nihil providebo, aut præcipiam? Non hoc suadeo. Timere te, non providere veto; vexari, non vitare. Imo vero hac ipsa ad Securitatem te via ducam, quam videor præclusisse. « Si vis omnem sollicitudinem exuere, quidquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone, et quodcumque illud est malum tecum ipse metire, et timorem tuum taxa. » (Ep. XXIV.) Audis? timorem tuum exues, omnia timendo. Sed addidi *metiendo* etiam et *taxando*. Nam quale illud est, quod eveniet, verum, an imaginarium malum? Si verum : in me est fugere, nec invitus ad Vitium impellar. Sin autem a Fortuna aliquid, et ista vulgi mala : jam heri didicimus, Mala hæc non esse. AUD. Didicimus : sed re et effectu exserere; et sic se gerere : o Herculis ille labor! LIPS. Socratis, et qui eum sequi volunt. Cur autem non facias? Non enim ut aves, quæ canere aut loqui doctæ, nihil ultra voces sciunt : sic nobis Philosophia discenda, aut habenda. Apage; sed illa animo induenda est : atque etiam « circumdanda est, velut inexpugnabilis murus, quem Fortuna multis machinis lacessitum non transit. » (Sen. Epist. LXXXII.) Antisthenes olim hoc monebat : « Muros construendos in animi nostri sensibus, nulla vi expugnandis. » (Laert.) Et quos muros, illos Decretorum, de quibus heri diximus : quæ si bene imbibis, servas, exerces, Dii boni, quid te levium istorum lædat? In theatris ille cum plausu dixit :

...... Nam si Regnum a me Fortuna atque Opes
Eripere quivit, at Virtutem non quiit.

Et vides generosas, et, ut sic dicam, Stoicas voces etiam in vulgus cadere, et excipi ac probari? Quæ igitur in nobis, et manu nostra sunt, curemus : hæc alia, quid nisi Deo permittamus? Et fidenter quidem permittamus. Nam cum Socrate : « Illud mihi apte dictum videtur, Deos esse nostrum curatores, et nos velut possessionem aliquam Deorum esse. (Plato in Phædone.)

An igitur sua, imo suos negligant? Confide, et certum animi robur indue adversus hæc incerta. Quid si ad Spem etiam te vocem? Philosophi olim fuere, qui « omnia in ista ponebant, eamque, continere maxime et conservare vitam censebant (Plut. Sympos. IV, c. 4.) : ideoque Elpistici Græce sunt dicti. Neque destricte sectam damnem : si non sola Spes, et semper admittenda, sed cum Metu utiliter temperetur. « In secundis nemo confidat, in adversis nemo diffidat : alternæ vices sunt rerum. » (Senec. III. Quæst. Nat.)

> Et subtexta malis bona sunt, lacrymæque sequuntur
> Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem [1].

Nosse et attendere hanc inconstantiam, constanti etiam viro dignum, et ab ea in Decreto illo firmari : Sequi Deum. Sed quid in Publicis moramur? an non magis e re nostra, ad nos redire? Socratis perpetuum monitum :

> ὅ, ττι τοι ἐν μεγάροισι κακὸν τ'ἀγαθόν τε τέτυκται·
> Quid propria tibi in sede Bonique Malique geratur.

Hoc jubebat attendere, in una ea cura curiosum esse. Faciamus, et ad Decreta nostra redeamus : quorum Radicem heri vidimus et Truncum. Jam ex isto ecce Rami et Ramuli adsurgunt, mira serie nexi. Proprium hoc Stoicorum, vincire omnia, et quasi annulos nectere in catena : ut non ordo solum sed sequela et cohæsio sit rerum. Tullii super ea re judicium : « Hercules fatendum est quod sentio : mirabilis est apud Stoicos contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Quid sequatur, quid repugnet, vident : et ut in Geometria, prima si dederis, danda sunt omnia. (V De Fin.) Hæc causa, cur apud eumdem Cato Consectaria appellet : « Consectaria me, inquit, Stoicorum brevia et acuta delectant. » (III De Finib.) Quia nempe mutuo sese consequuntur, et devincta hærent : ipsum illud grande argumentum Veritatis; nam falsa discordant. Sed ad rem eamus.

[1] Manilius, lib. III, 523. Vide edit. nost. Poet. Lat. Min. Vol. VI.

DISSERTATIO II.

Distinctio Decretorum. Contra Paradoxa aliquid, et pro iis.

Decreta igitur duplicia reliqua mihi video, Passiva et Propria : ut sic distinguam, docendi causa, et appellem. Priora illa, quæ passim in philosophantium scholis fere obtinent, ista, quæ peculiaria huic sectæ, habent contradictionem. Illa, nec lucem nec probationem nostram valde desiderant : ideoque tuto seponam. Ista utrumque poscunt, et prævaricer in suscepta causa, si omittam. Arx enim, ut sic dicam, Stoicorum est in istis : nam decantata illa Paradoxa intelligo : quæ ita ipsi Stoici dixerunt, non (ut Plutarchus objicit) « Sponte et ultro confessi absurditatem » (De Commun. Notion.) : sed quia præter opinionem multorum sunt, et audita novitatem vel admirationem habent. A quo effectu Cicero Mirabilia, vel Admirabilia vertit. « Mirabilia Stoicorum, inquit, quæ paradoxa nominantur. » (IV Academ.) Alibi : « Paradoxa Stoici, nos Admirabilia dicamus. » (IV De Finib.) Neque aliter vertit : at Seneca Inopinata, apte sane ad verbum, sive sensum. « Illa quæ videmur, inquit, Inopinata omnibus dicere, Paradoxa Græci vocant. » (Ep. LXXXI.) Sunt igitur præter opinionem, at non veritatem, ut in re videbis. Aud. Illane te dicere, quæ vulgo jactantur, imo et ridentur, « Solum sapientem regem, divitem, pulchrum : » et hæc ista? Lips. Hæc ista, et plura. Aud. Atqui Cicero jam ea exsecutus est : et ne sic quidem approbavit. Quid approbaret? fatetur ipse ut « Levia vina esse : quæ magis gustata, quam potata delectent. » (IV De Finib.) Iterumque alibi : « Magnifice primo dici, considerata minus probari. » (Ibid.) Quid ita? quia aut falsa palam sunt, si in formula manes : sin ad ea declinas, vulgatum aliquid, neque magnum, dicis. Ipse hoc tuus Seneca agnoscit : apud quem aliquis ad Stoicos : « Magna promittitis, et quæ ne optari quidem, nedum credi possint. Deinde ingentia locuti, quum negastis pauperem esse Sapientem, non negatis solere illi et servum, et vestem, et tectum, et cibum deesse. Quum Sapientem negastis insanire, non negatis et alienari, et

parum sana verba emittere, et quidquid vis morbi cogit, audere. Quum Sapientem negastis servum esse, iidem non itis inficias, et venum iturum, et imperata facturum, et domino suo servilia præstiturum ministeria. Ita sublato alte supercilio, in eadem quæ cæteri descenditis, mutatis rerum nominibus.» (De Constant. Sap. cap. 3.) Audis, Lipsi, ipsum illum nostrum doctorem? et pro ejus hac mente iterum Cicero : « Paradoxa, prima specie admirationem, re explicata risum movent. » (IV De Finib.) Itaque sunt velut gryphi, qui per lusum proponi solent et involvi, tum explicari. Ac tui quidem judicii res esto : sed tamen vide, an non melius cum Plutarcho (De Commun. Notion. adv. Stoic.), hæc omnia, « in evanidorum ac frigidorum classem » abjici ac relegari. LIPS. Duo videris dixisse, cur ego abstineam de his dicere : quod et Cicero jam fecit, et frustra etiam fecit : tum quia in re, calcanda magis hæc videntur, quam attollenda. Quod ad prius, brevis et vera responsio : Ciceronem pauca e multis (sex in universum), nec ea præcipua tractasse. Oratorio etiam quodam more tractasse? quod aliter solet, et debet fortasse, in his Scholis. Ad alterum, ipsis rebus magis mox respondero, quam verbis. Quid enim communiter ea dilaudem vel approbem? per singula eundum est, et judicii quadam lance examinanda et libranda sunt. Pauca tamen etiam nunc ad illa tua non testimonia, sed adversariorum convicia, licet. Quid enim aliud Cicero aut Plutarchus, quam Academici, id est, ex professo Stoæ nostræ hostes? At ille ait, ut *levia vina* esse. Levia? acria et generosa verissime ego dixerim : atque ut illa frigus vel languorem stomachi; sic hæc animi excitare, demissa. Nam gustare, parum est : potare, et demittere, inquam, opus, si vim et vigorem sensurus est talium Decretorum. Sed tum, inquis, vulgatum aliquid dicunt. Vulgatum? falsum est : omnia illorum supra vulgus : an non hæc, quæ supra philosophorum etiam vulgus? Fatemur, si qua nimis elata, vel ut in fidibus intenta fuerunt, remitti interdum interpretatione, et ad concentum reduci : sed tamen ita, ut sublimia maneant, et generoso semper Honesto purpurata. Chrysippus hoc animose : « Propterea, ob excellentem et magnitudinem, et pulchritudinem, videmur fabulis si-

milia dicere, neque pro homine, aut humana ista natura loqui.» (Apud Plut. de Contrar. Stoic.) Audin' tu confessionem? *Gryphos* objicis : iste scit et *Fabulas* objici : sed et causam verissimam addit. Magnitudo et pulchritudo rerum, atque una verborum est, quæ habet attonitos : sed quos? viles nempe et ignavos, et qui a terra sua non surgunt. Sunt enim « Inopinata, ut Cleanthes aiebat, sed non falsa (παράδοξα μὲν, οὐ μὲν παράλογα). » Quod si in verbis aliquid involuti vel ambigui, explicari, quæ invidia est? Hoc est quod Seneca fatetur : « A consuetudine quædam, quæ dicimus, abhorrent : deinde alia via ad consuetudinem redeunt. Negamus injuriam accipere Sapientem : et tamen qui illum pugno percusserit, injuriæ damnabitur. Insanire omnes Stultos dicimus : nec tamen omnes curamus elleboro. » (De Benef. II, c. 35.) Item inter alia dicimus; Omnia esse sapientis. Quid ergo? tuum et tuum tibi eripio? moderor, et communi etiam sensu ac consensu verum id ostendo. Talia in aliis, singillatim mox claranda. Nec enim lubet diutius, ut in prolusione, ventilare : unum Ciceronis testimonium, ubi ex animi sententia, non pro Academico loquitur, addam. « Mihi, inquit, ista Paradoxa quæ appellantur, maxime videntur esse Socratica, longeque verissima. » (Præfat. in Parad.) Vis aliquid luculentius? vetera et a Socrate facit, id est, ipso Sapientiæ capite : et cum veritate ex asse consentientia. Pleraque (non ausim, omnia) ita sunt : videamus, et

.... Tu te dictis præbere memento.

Aud. Ne mone; non magis Telemachus, apud Homerum, illis Minervæ. Contra si quid dixi, id factum

Non tam certandi studio, quam propter amorem,

quod discere aveo, et te audire.

DISSERTATIO III.

I Paradoxum positum, et explicatum; Sapientes omnes pares esse.

Diximus igitur, omissis Passivis sive Communibus, Inopinata hæc Decreta explicatum a nobis iri : idque eo ordine, quo quidque eorum Trunco suo (lubet enim non abire ab hac imagine) proxime adhæret. Ut ex ipso grandiores primo Rami,

tum Ramuli ex istis adsurgunt et enascuntur: sic Decreta majora, et ex iis minuscula video suboriri. Illa igitur præmittam, et in confusis etiam ordinem aut eruam, aut instituam, qua potest. Primum Paradoxum esto, « Sapientes inter se pares: » quod Academiæ et Lycæo oppositum scito. Origo proxima illi a Trunco, Solum Honestum Bonum esse: ut jam videbis. Ego ita effero, duce Seneca nostro: « Quicumque fuere Sapientes, pares erunt et æquales. » (Ep. LXXIX.) Cicero paulo aliter « Sapientes omnes summe beatos esse. » (IV De Fin.) In idem convenit; qui enim in summo omnes ponit, hoc ipso in æquali. Noster: « Inter cætera hoc habet boni Sapientia: nemo ab altero potest vinci, nisi dum ascenditur. Quum ad summum perveneris, paria sunt. Non est incremento locus; statur. Numquid Sol magnitudini suæ adjicit? numquid Luna, ultra quam solet, procedit? Maria non crescunt; mundus eumdem habitum ac modum servat. Extollere se quæ justam magnitudinem explevere, non possunt. » (Ep. LXXIX.) Pulcherrime, ut semper, et a cælestium etiam exemplo. Sed ætiologia ipsa est in primario Decreto, quod dixi, Honestum solum Bonum esse. Si enim ita; ergo solum Beatum facit: si Beatum; ergo perfecte, et ut nihil desit. Nam Cicero hoc recte: « Quid minus probandum, quam esse aliquem Beatum, nec satis Beatum? Quod autem satis est, eo quidquid accesserit, nimium est: at nemo nimium Beatus est, et nemo Beato Beatior. » (V De Fin.) Et noster doctor: « Illud absurdum est, quod dicitur (ab Academicis): Beatum futurum vel sola virtute, non autem perfecte Beatum: quod quemadmodum dici possit, non reperio. Beata enim vita Bonum in se perfectum habet, inexsuperabile: quod si est, perfecte Beata est. » Et statim: « Quemadmodum Summum adjectionem non recipit (quid enim supra Summum erit?), ita nec beata quidem vita, quæ sine summo bono non est. » (Ep. LXXXVI, cap. 4.) Pluscula ibi, et vide. Sed tria ecce hic opponi possunt, et solent: aut ab ipso Bono eam crescere, aut a Tempore, aut ab Usu; Singula videnda, et rejicienda sunt. Non a Bono, si in Virtute ponis; quia illa non intenditur, aut crescit. Laertius inter scita Stoica: « Videtur iis omne Bonum in summo expetendum, neque remissionem aut

intentionem suscipere. » (In Zen.) Seneca : « Sapientia persuadebit, unum Bonum esse quod Honestum est, hoc nec remitti et intendi posse, non magis quam regulam, qua rectum probari solet; quam si flectes, quidquid ex illa mutaveris, injuria est recti. Idem ergo de Virtute dicemus : et hæc recta est, flexuram non recipit; rigida est, amplius intendi non potest. » (Ep. LXXI.) Et paulo ante : « Idem esse dicebat Socrates Veritatem, et Virtutem : quomodo illa non crescit, sic nec Virtus quidem. Habet numeros suos, plena est. » (Ibid.) Itaque Cicero bene concludit; « In Virtute sola et Honesto quum sit Bonum positum ; quumque nec Virtus, ut placet Stoicis, nec Honestum crescat ; quum id augeri non possit, in quo uno positum est Beatum esse : qui potest esse quisquam alius alio Beatior? » (V De Fin.) Æquales ergo omnes ab hac parte. At enim Naturalia vel Externa bona accedent et augebunt. Ante hæc removimus : et nunc breviter. « Alius fortasse erit affabilior, alius expeditior, alius in eloquendo promptior, sed illud de quo agitur (Bonum verum) quod Beatum facit, æquale erit in omnibus. » (Sen. Epist. LXXIX.) Accedant omnia illa Externa, nihil sunt præ Virtute : « Et ut obscuratur et offunditur luce Solis lumen lucernæ ; et ut interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ ; et ut in divitiis Crœsi, teruncii accessio ; et gradus unus in ea via, quæ est hinc in Indiam : sic quum sit is Bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum æstimatio, splendore Virtutis et magnitudine, obscuretur, obruatur, atque intereat necesse est. » (Cato apud Cic. III De Finib.) At enim Tempus ipsum igitur, quo fruar illo Bono, non adjiciet? non ero Beatior multos annos in possessione Virtutis, quam si dies aut pauculas horas? Id quoque negant. Seneca : « Summum Bonum nec infringitur, nec augetur : in suo modo permanet, utcumque fortuna se gessit, sive illi senectus longa contigit, sive citra senectutem finitum est, eadem mensura Summi Boni est, quamvis ætas diversa sit. » Imagine deinde hoc declarat. « Utrum majorem an minorem circulum scribas, ad spatium ejus pertinet, non ad formam : licet alter diu manserit, alterum statim obduxeris, et in eum, in quo scriptus est, pulverem solveris, in eadem uterque forma fuit. » Ite-

rumque universe : « Quod rectum est, nec magnitudine æstimatur, nec numero, nec tempore : non magis produci, quam contrahi potest. Honestam vitam ex centum annorum numero, in quantum voles, corripe, et in unum diem coge, æque honesta est. » (Ep. LXXIV.) Cicero pariter : « Qui Bonum omne in Virtute ponit, is potest dicere, perfici Beatam vitam perfectione Virtutis ; negat enim Summo Bono adferre incrementum diem. » (II De Finib.) Et diffusius apud eum Cato : « Recta effectio, item Convenientia (De qua lib. II, Dissert. XV.), denique ipsum Bonum, quod in eo positum est ut naturæ consentiat, crescendi accessionem nullam habet. Ut enim opportunitas non fit major productione temporis ; sic hæc, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora ; ob eamque causam Stoicis non videtur optabilior, nec magis expetenda Beata vita, si sit longa, quam si brevis : utunturque simili. Ut si cothurni laus sit ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, neque majores minoribus : sic quorum omne Bonum Convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec longinquiora brevioribus anteponentur. » (III De Fin.) Iterumque noster Seneca, adversum Academicos : « Dicam quid sit, ex quo veniat hic error (discriminandi Beatitudinem) : nesciunt Beatam vitam unam esse. In optimo illam statu ponit qualitas sua, non magnitudo. Itaque in æquo est longa, et brevis ? diffusa, et angustior ; in multa loca partesque distributa, et in unum coacta. » (Ep. LXXXV.) Plura addit : vide. Plutarchus hoc ipsum ita, in Stoicis scitis, quæ carpit : « Quod Bonum tempus non augeat, si accedat : sed si quis vel punctistitium horæ prudens fuerit, nulli concessurum in felicitate, qui vel longissimum ævum virtute sit fruitus : et beate in ea vixerit. » (De Commun. Not.) Carpit hoc ipsum, inquam, Plutarchus : sed quid mirum ? nam ille inter eos, qui ex professo contra sentiunt, et docent ; de quibus jam addam. Nam de Tempore istud, fere convenit cum Usu : et si distinxi. An igitur nec ab Usu augetur Felicitas ? Adserunt alii : et jam olim Pythagorei. Ex quorum schola Archytas definit : « Felicitatem, Usum Virtutis, idque cum Successu. » Ecce, non Usum solum, sed Successum requirit : et

valde Felicitatem ad Externa porrigit ac nectit. Quis enim εὐτυχίαν illam sibi spondeat? imo addit : « Virtutem et Scientiam in nobis, ac nostra potestate, esse ; Successum, non esse. » Quod vere dicitur : ergo et illud, nec Felicitatem in nobis esse, pro Scholæ ejus mente. Quid autem Aristoteles? fortiter hæc defendit : et scribit : « Felicitatem non in Possessione, sed Usu Virtutis, neque in Habitu, sed Actione esse. » (I Ethic. Nicom. cap. 8 et alibi.) At nostri ex diametro repugnant, et « Zeno primus, ait Cicero, non Virtutis Usum modo, ut superiores, sed ipsum Habitum per se esse præclarum disseruit. Nec tamen Virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. » (I Academ.) Vides ipsum *Habitum per se* laudari, et ab eo Virtutem censeri? Seneca noster : « Summum Bonum in ipso Judicio est, et Habitu optimæ mentis. » (De Vit. Beat. c. 9.) Atque alibi : « Quid est Virtus? judicium verum et immotum. » (Ep. LXXII.) Quod est a Prudentia, et hæc a Scientia. Plutarchus inter Stoica : « Quid est Bonum? non aliud quam Prudentia ; quid Prudentia? non aliud quam Scientia. » (De Commun. Not.) Et quæ hæc Scientia, qua Seneca aperit : « Una re consummatur animus, Scientia bonorum ac malorum immutabili? » (Ep. LXXXVIII.) Imo Stoici « in solis Virtutibus inesse Scientiam ; stabilem atque immutabilem censent. » (Cic. IV. Acad.) Nota sæpius de *stabilitate*. Nam, ut alibi noster : « Semel traditi Boni perpetua possessio est. Non dediscitur Virtus » (Ep. L.) : et pluscula addit. Firma igitur hæc Scientia ; iterumque Seneca : « Beatum illud in uno loco positum est, in ipsa Mente, stabile, grande, tranquillum : quod sine Scientia divinorum humanorumque non potest effici. » (Ep. LXXIV.) Neque alia mente Socrates : « Unum solum Bonum, Scientiam esse ; unum solum Malum inscitiam. » (Laert. in Socr.) Itaque in Habitu, in Scientia, in Mente est ipsa Virtus : etsi ut supra Cicero, utitur ea semper, Sapiens, nisi tamen vi, casu, aut causa impeditur. Quid tum, si mens et voluntas adest?

.... Laudandaque velle
Sit satis, et numquam successu crescat Honestum :

ut Cato, apud Lucanum (Lib. IX.) μάλα Στωικῶς (*valde Stoice*) ef-

fert. Neque enim id Virtuti derogat, impediri : non magis quam Soli, obnubilari. « Sicut illius vis et lux integra est, etiam inter opposita : eodem modo opposita Virtuti nihil detrahunt; non est minor, sed minus fulget. Nobis forsitan non æque apparet, ac nitet : sibi eadem est, et more Solis obscuri, in occulto viam suam exercet. » (Sen. Epist. XCII.) Optime : non minuitur, sed minus late funditur : atque eo verbo in hac re utuntur. Cato apud Ciceronem : « Quamquam negent Stoici, nec Virtutes nec Vitia crescere, tamen utrumque eorum fundi quodammodo, et quasi dilatari putant. » (III De Finib.) Fusionem eam Seneca explicat : « Virtus modo latius funditur; regna, urbes, provincias temperat; fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat officia : modo arcto fine circumdatur paupertatis, exsilii, orbitatis. » (Epist. LXXIV.) Quid refert? ipsa eadem est; eadem? imo « æque magna est, etiamsi in se recessit, undique exclusa. » (Ibid.) Lumen in arca include, atque idem libera : nihil interest, nisi quod aliis non lucet. « Non enim prohibentur opera Sapientis omnia, sed tantum ad alios pertinentia : ipse semper in actu est. » (Sen. Ep. LXXXV.) Claudere igitur hoc licet apud Stobæum verbis : « Omnem Probum et Sapientem perfectum esse, quia nulla Virtute destituitur : ideoque et omnino et semper Bonos Beatos esse. » Si omnes perfecti : quod discrimen? pares igitur. Si omnino et semper beati : quæ additio, aut minutio? nulla.

DISSERTATIO IV.

II Paradoxum. Virtutes pares, itemque individuas esse.

Excipit et adhæret alterum Paradoxum : « Virtutes inter se pares, atque etiam nexas esse. » Duplex igitur membrum : prius lustremus. *Pares*, quo sensu? omni, quem dixeris : id est, Virtutes, etiam diversas, pares esse : itemque unius illius recte-facta; etiam diversarum actiones. Triplex igitur paritas : et Seneca satis aperit : « Virtutes inter se pares sunt : et Opera virtutum : et Homines, quibus illæ contigere. » (Epist. LXVI.) De Virtutibus inter se collatis, ecce, adfirmat : itemque seorsim de Operibus; nam de Hominibus, jam ante est dictum. Plutarchus cum

Seneca : Stoicis « neque Virtutem Virtute majorem esse ; neque Recte-factum Recte-facto. » (De Stoic. Contrar.) Cicero restrictius dicere videtur : « Omnia Recte-facta æqualia » (IV De Fin.) : sed sensus et mens ejus non discordat. Communius iterum Plutarchus : « Nullum omnino Bonum majus, aut minus. » (De Commun. Not.) Itemque Laertius : « Omnia bona æqualia esse. » Omnino hoc necessum, si prius illud Paradoxum tuemur et tenemus. Cicero : « Pares esse Virtutes nec Bono viro meliorem, nec Temperante temperantiorem, nec Forti fortiorem, nec Sapiente sapientiorem posse fieri. » (III Parad.) Quid ita? quia, inquit, « Una Virtus est, consentiens cum Ratione, et perpetua constantia ; nihil huic addi potest, quo magis sit Virtus ; nihil demi, ut Virtutis nomen relinquat. » Seneca eam ipsam causam insistit et premit. « Una inducitur humanis Virtutibus regula : una enim est Ratio recta, simplexque. » Et statim infert : « Si autem Ratio divina est, et, nullum Bonum sine Ratione est : Bonum omne divinum est. Nullum porro inter divina discrimen est, ergo nec inter Bona. » (Epist. LXV.) Alia etiam causa quod Virtus omnis perfecta sit; perfecto quid majus aut melius potest? Tam igitur Modestia perfecta, quam Justitia : et sic in aliis ; et nulla aliam vincit, quia omnes in summa Bonitate. Cicero : « Etenim si bene facta, Recte facta sunt : et nihil recto rectius; certe ne Bono quidem melius quidquam inveniri potest. » (III Parad.) Seneca idem clarius et efficacius : « Nihil invenies rectius recto : non magis, quam vero verius, temperato temperatius. Omnis in modo est Virtus : modus certa mensura est. Constantia non habet, quo procedat : non magis, quam Fiducia, aut Veritas, aut Fides. Quid accedere perfecto potest? nihil. » (Epist. LXV.) Itaque his rationibus, et quia Virtutes in se ipsas, non in materie considerant ; easque, ut dixi, in summo : concludunt, omnia Bona paria ; usque eo, ut par Virtus sit (Chrysippi dictum) « patriam fortiter servasse, et muscæ morsum viriliter sustinuisse, vel anum capularem continenter aversatum esse. » (De Commun. Not. apud Plut.) Rides tu? non convelles, si principia nostra non subvertis. Una est enim illa Boni, ut sic dicam, facies, undique et ubique formosa, ubi se ostendit : « ceterum multæ

ejus species sunt, quæ pro vitæ varietate, et pro actionibus, explicantur : nec tamen minor fit, aut major ipsa. » (Seneca Epist. LXV.) Sol idem, et eadem claritate, si per tenue foramen, aut patentem fenestram intravit : nec hunc patentem radium juste præferam alteri contractiori. Hæc Stoici alii, atque inter eos Theologi nostri dissentiunt; et certe Virtutes specie distinctas, excellentia etiam disparant; ut Prudentiam, quæ in Ratione nobilissima parte proprie sita est, eamque perficit, nobiliorem Justitia volunt; hanc Fortitudini, istam Temperantiæ præferri; et uno verbo, ut quæque earum magis ad Rationem accedit, earumque participat, sic meliorem esse. At Virtutem ejusdem speciei, puta Temperantiam, non abnuunt, in se consideratam, non ratione ejus eorumve qui habent, eamdem paremque esse. (Vide Thomam 1 et 2 quæst. 66.) Nam eos qui participant, aliter atque aliter dispositos, non ad eamdem ejus perfectionem venire. Quæ suo etiam sensu verissima, Stoicorum non plane infringunt: qui nullum Bonum, nisi in perfectione et summo agnoscunt. Sed partem alteram videamus : « Nexas Virtutes esse, » cui sententia subjicitur, unam qui habet, omnes habere. Non nimis hoc inopinatum est : et veteres etiam Philosophi videre; e quibus nonnulli, « unam Virtutem esse censuerunt, etsi multis insignitam vocabulis » : quæ Menedemi Eretriensis sententia fuit, et Aristonis Chii. Sunt qui et Zenonem eo trahant, auctore Plutarcho : quoniam scripsit, « Prudentiam, dum suum cuique tribuit, esse Justitiam; dum res eligit, Temperantiam; dum tolerat, Fortitudinem. » (Libro de Virtute morali.) Sed qui negant, excusant eum Prudentiæ nomine Scientiam intellexisse. (Ut supra Dissert. antecedente in Plutar.) Qui autem negant? Stoici, quorum hoc est (in Stobæi Eclogis) : « Virtutes plures esse, atque eas inseparabiles. » Quid enim de cohæsione opus quærere, si una modo sit? Sed quærebant, ut dixi, veteres : atque adeo Seneca quærendum, inter prima, censet. « Nihil agetur, inquit, si ignoramus quid Virtus sit : una, an plures : separatæ, an nexæ, ac qui unam habet, cæteras habeat » (Epist. XCV.) Iterumque monet alibi : et quæramus, « quid sit Virtus : una, pluresne sint. » (De Vit. Beat.) Enimvero et Apuleius in unitatem incli-

nat, ubi Platonica recenset: « Unimodam esse Virtutem : quod Bonum suapte natura adminiculo non indiget: perfectum autem quum sit, solitudine debet esse contentum. » (De Philos.) Sed hoc nunc omitto : de re nostra, plures facimus, easque individuas ut ibi una, sint omnes. Chrysippus ait (apud Plut. De Contrar. Stoic.): « Virtutes invicem comitari, non solum, quod qui unam habet, omnes habeat; sed quod qui secundum unam aliquid operatur, idem secundum omnes[1]. Et nec virum perfectum, qui non omnes virtutes habeat, nec Actionem, quæ non fiat secundum omnes. » Totum hic dogma, et sententiam habes : quam duplicem etiam vides. Prior est, « sequi se, ut una sint apud quemque unum. » Plinius ad Trajanum: «Didicimus quidem, cui Virtus aliqua contingat, omnes inesse. » Quod Cicero variis locis, atque alibi ita adfirmat : ut « Si unam, inquit, Virtutem confessus sis te non habere, nullam necesse sit te habiturum. » (II Tusc.) Ratio in Seneca: quia « quum semel animum Virtus induravit, undique invulnerabilem præstat. Non enim singula vitia, Ratio, sed pariter omnia prosternit, in universum semel vincit. » (Consol. ad Helv., cap. XIII. Vide.) Sicut sol ille pariter, oritur, et omnia illustrat. Hæc etiam nostri Doctores sensere, ut Ambrosius : « Virtutes individuas esse, sed opinione vulgi sejunctas. » Alibi : « Connexæ sibi sunt concatenatæque Virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur. » (I Offic. cap. 27, et II, cap. 9.) Itemque Gregorius : « Una Virtus sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta est. » (In Luc. cap. 6.) Nota posterius membrum; nam in eo error, quod species et imago Virtutis alicujus solitariæ sæpe est : sed imago, et ut ille ait, *imperfecta*. Ille? ante eum Plato (lib. I. Moral.): ex cujus fontibus hausit Apuleius. « Imperfectas Virtutes (quæ sint, ibi vide) semet comitari negat : eas vero quæ Perfectæ sunt, individuas sibi et inter se connexas esse. » (De Philos.) Causa : quia ubi una aliqua Virtus perfecta (et de ea semper Stoici), ibi et Ratio perfecta; quæ esse non potest, nisi ut vim et lumen suum ad alias etiam Virtu-

[1] Ipsa pæne verba hæc in Laertii item Zenone. Adde Plutarch. infra Dissert. XV.

tes extendat. Sententia altera in Chrysippo, « In opere et actione concurrere ac misceri. « Hoc ita Cicero » : Quum sic copulatæ connexæque sint Virtutes, ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari, tamen proprium suum cujusque munus est; ut Fortitudo in laboribus periculisque cernatur, Temperantia in voluptatibus, Prudentia in delectu. » (V De Fin.) Et noster etiam doctor apertius : « Quum aliquis fortiter patitur, omnibus Virtutibus utitur fortasse, quum una in promptu sit, maximeque appareat, Patientia. Cæterum illic est Fortitudo : cujus Patientia et perpessio, et Tolerantia rami sunt. Illic est Prudentia, sine quâ nullum initur consilium : quæ suadet, quod effugere non possis, quam fortissime ferre. Illic est Constantia, quæ dejici loco non possit. Illic est individuus ille comitatus Virtutum. Quidquid honeste fit, una Virtus facit, sed de consilii sententia. » (Epist. LXVII.) Ergo hac quoque parte necti vides, quod in Actione adminiculantur invicem et adsistunt. Est et tertius nexus, sed Peripateticorum, in Prudentia. In illo capite omnes conveniunt. « Necesse est, ait Alexander Aphrodisæus, habentem Virtutem aliquam Moralem, habere et Prudentiam; siquidem est Moralis Virtus effectrix eorum, quæ definita sunt a Prudentia et recta Ratione. » (Lib. IV. Quæst. cap. 22.) Denique Aristoteles ea mente ait : « Electio non est recta, sine Prudentia » : at Virtus in Electione consistit. Habes secundum igitur Paradoxum, etsi membro isto altero vix tale. Nam et Philosophis aliis verum est, etsi vulgo novum aut vanum.

DISSERTATIO V.

III Parad. Sapientem sibi parem, et in Gaudio semper esse.

Paradoxum ecce tertium : etiam de Paritate, seu potius Æquabilitate in uno Sapiente. Hunc constare sibi, in eodem semper animi statu et tenore censent : atque eo optimo et optatissimo, id est, « In gaudio semper esse. » Rem priusquam explicem, opus aliquid de verbo : quod tamen illi explicandæ apte, imo necessario, adhibeatur. Augustinus : « Quas, inquit, Græci appellant Εὐπαθείας, Latine autem Cicero *Constantias* nominavit,

Stoici tres esse voluerunt, pro tribus Perturbationibus in animo Sapientis, pro Cupiditate Voluntatem, pro Lætitia Gaudium, pro Metu Cautionem. Pro Ægritudine vero vel Dolore, negaverunt posse esse aliquid in animo Sapientis. Voluntas enim, inquiunt, appetit Bonum : Gaudium, de Bono adepto est : Cautio, devitat Malum. » Et paulo post : « Hæc illi sic loquuntur, ut Velle, Gaudere, Cavere, negent nisi Sapientem : Stultum autem, non nisi Cupere, Lætari, Metuere, Contristari. » (XIV De Civ. cap. 8.) Ita noster ille doctor : et puriter hausit e Zenonio fonte. Nam Laertius paria aut eadem, nisi quod pro Lætitia, ἡδονὴν Voluptatem nominavit. Videre in ipso potes : ego quæ proprie ad nostram rem, excerpam. Ait ergo, « Voluptatem (cum Augustino et Cicerone ἡδονὴν *Lætitiam*) esse, sine Ratione elationem, in re quæ videatur expetenda. » Huic tria subjicit : *Delinitionem*, *Obleotationem*, *Diffusionem*. Iterumque : *Voluptati Gaudium* opponi : sive, ut Græce cum illo dicam, τὴν χάραν ἐναντίαν εἶναι τῇ ἡδονῇ, οὖσαν εὔλογον ἔπαρσιν· Gaudium Voluptati adversum esse, quod definitur, cum Ratione elatio. » Tria item huic subjici τέρψιν, εὐφροσύνην, εὐθυμίαν· « Oblectationem, Hilaritatem, Tranquillitatem. » Etsi in voce τέρψεως hæreo, et spuriam aut supervacuam pronuncio : quum jam ante in contraria parte (ἡδονῇ) habuerit sedem. Ergo vel delenda, vel pro ea θάρσος : Fiduciam, substituendum. Certe in Stobæo junctim hæc Sapienti lego attribui, χάραν, εὐφροσύνην, θάρσος. His e Laertio Tulliana ista consonant : « Quum Ratione animus movetur, placide atque constanter, Gaudium dici; cum autem inaniter et effuse exsultat, Lætitiam, quam ita definiunt (Stoici) Sine Ratione animi elationem. » (IV Tusc.) Sunt ipsa illa in Græcis. Neque vana hæc distinctio, certe non inutilis ; et Augustinus e Sacris etiam probat. « Non est gaudere impiis, dicit Dominus : tanquam impii Lætari potius possint, quam Gaudere. » (Isa. cap. 58.) Noster Seneca huc facit : Voluptatem (si ad nostrum Album verba dirigimus) rem infamem esse, et Gaudium nisi Sapienti non contingere. Est enim elatio animi, suis bonis viribusque fidentis. » Nota, « Voluptati Gaudium opponi », pro Laertii excerptis : itemque verba ea ad Album, vel ex Albo

Stoicorum, scite dici. Est et definitio ipsa Gaudii, paulo fusior, quam in Laertio, et quæ Fiduciam quoque (de qua monui) includit. Addit Seneca : « Itaque Virgilius, quum dicit,

.... Et mala mentis
Gaudia :

diserte quidem dicit, sed parum proprie ; nullum enim malum Gaudium est. » Non hercle, neque malos sequitur, quia ex sola Virtute est : « in qua fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua, et lætitia alta atque ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat. » (Seneca De Vit. Beat. cap. 4.) Habes ipsum istud Gaudium plene descriptum, si scrutaris. Fundatum, inquit, in rupe illa Virtutis. Reliqua gaudia adventicia, et infirma sunt; atque « hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem : et quodcumque invecticium gaudium est, fundamento caret. » (Epist. XXIII.) Iterumque alibi : « Fragilibus innititur, qui adventicio lætus est; exibit gaudium, quod intravit. » (Ep. XCVII.) Aliter plane in isto est : et « illud ex se ortum fidele firmumque est, et crescit, et ad extremum usque prosequitur. » (Ibid.) Ex se, inquit, ortum : id est, ex Animo, in quo Virtus. Seneca suo Lucilio : « Nolo tibi unquam deesse Lætitiam, volo illam tibi domi nasci : nascetur, si modo intra teipsum sit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt : leves sunt, nisi tu forte judicas illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, et fidens, et super omnia erectus. » Et statim : « Hoc gaudium, de quo loquor, solidum est, et quod plus pateat introrsus. » (Epist. XXIII.) Philo Judæus : « Quia igitur in solis Animi Bonis genuinum et sincerum reperitur Gaudium, ideo *in se* quisque Sapiens gaudet, non in iis, quæ circa ipsum. » (Quod Bono Mal. insid.) Ergo bene noster supra dixerat, « Altum, et ex alto veniens, itemque continuum esse. » Idem alibi : « Aliquod potius bonum mansurum circumspice : nullum autem est, nisi quod animus ex se sibi invenit. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum : etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt. » (Epist. XXVII.) O

pulchra et apposita imagine ! Revera enim, « talis est Sapientis animus, qualis mundi status super Lunam :

Perpetuum nulla temeratus nube serenum. (LUCAN.)

Nam illa pars mundi superior et ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem; omni tumultu caret. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus, modestus venerabilis, et compositus. » (Sen. Epist. LIX.) Postrema illa observa; nec enim Hilaria agitare Sapientem aut Saturnalia volumus: placidum et occultum illud Gaudium est, et cum gravitate, imo severitate conjunctum. « Mihi crede, ait noster, res severa est verum Gaudium. » (Sen. De Vit. Beat. cap. 3.) Neque enim aliud est, quam interior quies, et « pax et concordia animi, et magnitudo cum mansuetudine. » Quæ malis, aut stultis absunt : ubi cupidines ipsæ sibi obstrepunt, aut pugnant, et semper in eorum animis velut legiones, aut castra. Seneca hanc quietem etiam explicabat supra : « suis gaudere, nec majora domesticis cupere. » (Ibid. c. 6.) Est enim proprium hoc « Beati, præsentibus qualiacumque sint contentum esse, amicumque rebus suis. » Atque ille idem, « nunquam malis suis ingemuit, nunquam de fato suo questus est, fecit multis intellectum sui, et non aliter quam in tenebris lumen effulsit, quum esset placidus, lenis, et humanis divinisque rebus pariter æquus. » (Epistola CXX.) Hic est ille animi status, quem Tranquillitatem etiam licet appelles. Seneca : « Quid est Beata vita? Securitas, et perpetua Tranquillitas. » (Ep. XCII.) Quæ finitio cum « Democriti sensu convenit : cui εὐθυμία ista, sive « animi Tranquillitas, est ipsa Beata vita », ut Cicero alibi scribit. Iterumque Democritus Summum Bonum εὐθυμίαν et sæpe ἀταραξίαν appellat : id est, animum terrore liberum. » (V De Fin.) Quod Stoici tamen abnuunt : nec finem hunc esse, sed fructum. Accessio, inquam, est; atque ita Laertius, inter Zenonis dogmata : « Accessiones Virtutis esse Gaudium et Hilaritatem. » Etiam noster : « Tum illud orietur (ex Virtute) inæstimabile bonum, Quies mentis in

tuto collocatæ, et sublimitas, expulsisque terroribus, ex cognitione veri Gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi : quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono ortis. » (De Vit. Beat. c. 5.) Non ergo sunt ipsa Beata vita, sed adhærent, ut lux Soli : etsi efficere etiam illam sensu aliquo dicas, nempe ut sentias et fruare. Ita Ambrosius noster : « Beatam vitam efficiunt Tranquillitas conscientiæ, et Securitas innocentiæ. » (III Offic. c. 1.) Habes Paradoxum : nec id quidem nisi vulgo. Nam et Sapientia ipsa in Sacris loquitur : « Qui me audiet, habitabit in spe confidens, et quiescet secure ab omni malo. » (Cap. 11.) Habes bonas has affectiones, Securitatem, Quietem, Confidentiam : et Hanc postremam cum Spe temperatam (cui Metus semper inest) ne nimia sit, et exsultet.

DISSERTATIO VI.

IV Parad. Sapientem vel in Tormentis Beatum esse.

Quartum Inopinatum dogma profero, « Sapientem etiam inter Tormenta Beatum esse. » Fortiter hoc sic efferimus : quidquid agmine in nos incurrant Pythagorei, Academici, Aristotelici. « Nam quid certius potest esse, quam ratione eorum qui dolo rem in Malis ponunt, non posse Sapientem Beatum esse, quum in eculeo torqueatur ? » contra autem ; « eorum qui Dolorem in Malis non habent (Stoicorum) ratio certe cogit uti in omnibus tormentis conservetur Beata vita. » (Cicero III De Finib.) Imo vero, comparatione etiam facta, « Zeno negat Metelli vitam beatiorem, quam Reguli. » (Cic. V De Finib.) Heu inopinata, heu oppugnata ! Nam « quomodo, inquiunt, ista paria esse possunt, quum alia optanda sint, alia aversanda ? » (Sen. Ep. LXVI.) Neque etiam Porticus tota neget Metelli vitam præponendam et sumendam esse. Perseverant tamen paria hæc esse, quia Bona sunt : nullum autem inter Bona (supra doctum) discrimen. Igitur « paria sunt Gaudium, et fortis atque obstinata tormentorum Perpessio. In utroque enim eadem est animi magnitudo : sed in altero remissa et laxa, in altero pugnax et intenta. » (Ibid.) Tale aliquod discrimen alibi noster ingerit. « Non est quod

existimes ullam esse sine labore Virtutem, sed quædam Virtutes stimulis, quædam frænis egent. Quemadmodum Corpus in proclivi retineri debet, in ardua impelli : sic quædam Virtutes in proclivi sunt, clivum subeunt. » (De Vita Beata, capite 25.) In illo genere sunt, Liberalitas, Temperantia, Mansuetudo ; in isto, Patientia, Fortitudo, Perseverantia, et « quæcumque duris opposita Virtus est, et Fortunam subigit. » (Ibid.) Quid ergo? inquies, an non contra Naturam Dolor et Tormenta sint? fatemur. « Et estne aliquod contra Naturam igitur Bonum? Minime ; sed illud aliquando contra Naturam est, in quo Bonum illud exsistit. Vulnerari enim, et subjecto igne tabescere, contra Naturam est : sed inter ista servare Animum infatigabilem secundum Naturam est. Et, ut, quod volo, breviter exprimam, materia Boni aliquando contra Naturam est, Bonum nunquam ; quoniam Bonum sine Ratione nullum est, sequitur autem Ratio Naturam. » (Epist. LXVI.) Verissime ; imo adeo Bona hæc sunt, ut etiam aliquando optanda. Quo modo? isto, ut « non incommoda optabilia sint, sed Virtus qua perferuntur incommoda. » (Epist. LXVII.) Ecce in exemplo : « tormenta abesse a me velim : sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, animose, honeste geram, optabo. » (Ibid.) Miles pugnam aut vulnera non optat, ob ipsa : sed gloriæ, aut victoriæ mixta, optat. Itaque « non ultro præbebit se periculis fortis : neque etiam timebit illa, sed vitabit. Cautio illum decet, timor non decet. » (Ep. LXXXV.) Scit omnia hæc externa, quæ Mala appellantur, non nisi timidis timenda esse. Sentit tamen, atque etiam dolet. « Sensum enim hominis nulla exuit Virtus : sed non timet, et invictus ex alto dolores suos spectat. » (Ibid.) Mucium Scævolam in igne tolerantem, imo gloriantem legisti, ictu non animo lapsum : tale in Sapiente. Et maluisset tamen Mucius integra manu fortiter facere, quam mutilata pati. « Totum Fortunæ regnum Sapiens despiciet ; et tamen ex illo, si dabitur Electio, molliora sumet. » (De Vit. Beat. c. 25.) Sed toti rei intelligendæ adhibeatur et hæc distinctio. « Triplex, ait Seneca, Bonorum conditio est. Quædam, ut nostris (Stoicis) videtur, Prima Bona sunt : tamquam Gaudium, Pax, Salus patriæ. Quædam

Secunda, in materia infelici expressa : tamquam tormentorum Patientia, et in morbo gravi Temperantia. Illa Bona directo optamus nobis ; hæc si necesse erit. Sunt adhuc Tertia : tamquam modestus incessus, ac probus Vultus, et conveniens prudenti viro Gestus. » (Epist. LXVI.) Vides, cujusmodi Bona sint; sed Bona, imo et illis quæ lætam faciem habent paria. Supra tetigi, sed iterandum est. « Quid ergo? jacere in convivio, et torqueri, paria sunt? Hoc mirum videtur tibi? illud licet magis admireris, jacere in convivio, Malum est : torqueri in eculeo, Bonum est : si illud turpiter, hoc honeste fit. Bona ista aut Mala non efficit materia, sed Virtus. Hæc ubicumque apparuit, omnia ejusdem mensuræ ac pretii sunt. » (Epist. LXXI.) Et quid mirum nostros dicere, quibus nullum extra animum Malum est? ecce Epicurus ille Voluptatis magister, Doloris hostis, quas voces emittit? « Si uratur sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicet, Quam suave est hoc! quam hoc non curo! » (Cic. II Tusc.) Atque ipse adeo fecit, morti jam admotus. Seneca : « Quid porro? incredibile videtur, aliquem in summis cruciatibus positum dicere, Beatus sum? atqui hæc vox in ipsa officina Voluptatis est audita. Beatissimum, inquit, hunc et ultimum diem ago, Epicurus : quum illum hinc urinæ difficultas torqueret, hinc insanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia hæc sunt apud eos qui Virtutem colunt, quum apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat? » (Epist. XCII.) Sed malignitas scilicet, aut potius imbecillitas est animi, hæc detrectantis. « Et non putant fieri, quidquid facere non possunt : ex infirmitate sua de Virtute ferunt sententiam. » (Ep. LXXII.) At tu audi Salomonis vocem : « Quum audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. » (Sap. cap. II.) Causa, et finis sunt, quæ hæc mitia, imo suavia faciunt : et « licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet, placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit » (Sen. De Benef. IV, cap. 22.) Audis *placiturum* quoque ita : et apud poetam Cato proclamat :

.... Gaudet Patientia duris :
Lætius est, quoties magno sibi constat Honestum.

sed nempe in Bona conscientia : et Christianus Doctor hæc consignet Ambrosius : « Non frangitur Sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis : sed etiam in ærumnis beatus manet; quia non in delectatione corporis, vitæ Beatitudo est; sed in conscientia pura ab omni labe peccati. » (Lib. De Jacob. I, c. 7.)

DISSERTATIO VII.

V Parad. Sapientem Apathem et Imperturbabilem esse. Pluscula hic de Affectibus.

QUINTUM Inopinatum, et vel maxime oppugnatum : « Imperturbabilem esse Sapientem. » Veteres et nostri exagitant, atque adeo irrident; et cum priscis pugna in eo consistit, quod illi (Pythagoras, Plato, Aristoteles) « Sapientem modice Affectibus tangi, non autem nullo modo tangi », consensu edixerunt. Jam nostri, Affectus etiam admittunt plenius, nec qui, sed unde sint, quærunt : mox explicandum. At Stoici, « Affectus omnes, quorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt. » (Lactant. Instit. lib. VI, cap. 14.) Atque ita D. Hieronymus : « Omnes Affectus tolli posse, omnesque eorum fibras, a Pythagora et Zenone Pelagianos hausisse. » (Adv. Pelag.) De Zenone, fatemur : miramur de Pythagora, et hunc planissime contra sensisse, discipulorum ejus scripta docent. Theages Pythagoricus : « Quoniam Virtus morum circa Affectus, et Affectuum præcipui Voluptas et Dolor, liquet non in eo Virtutem esse, ut eximantur Affectus animo, Voluptas et Dolor: sed ut modificentur et temperentur. » (Apud Stob. Serm. I.) Plura huic rei addit : itemque Archytas ex eadem schola. « Nascitur ex Affectibus Virtus, et nata cum illis consistit, sicut concinna modulatio ex acuto et gravi : item temperies, ex calido et frigido : iterumque æquilibrium e ponderoso et levi. Non igitur tollere Affectus oportet : id enim inutile : sed aptare ad id quod rationem Decori et Mediocritatis habet. » (Ibid.) Et ipsa Peripateticorum sententia nimis a Zenonis illa diversa. Scio Teletis, qui inter Pythagoricos etiam censetur, quædam esse e libro Περὶ ἀπαθείας; in quibus ista probari videtur; sed idem scio hunc Stilponis auditorem fuisse,

et hac parte asseclam, nec e Pythagoreo istæc fonte hausisse.» (Apud. Stob. Serm. CVI, vide.) Sed ut ad rem igitur, Stoici tollunt Affectus : atque ita Seneca. «Utrum satius sit Modicos habere Affectus, an Nullos, sæpe quæsitum est. Nostri expellunt, Peripatetici temperant» (Epist. CXVI.) et Epistola ea tota hos refellit. Idem alibi : «Non diminutionem malorum in Bono viro intelligo, sed Vacationem; nulla debent esse, non parva» (Ep. LXXXV) : et plura etiam adtexit contra jam dictos. Disputatio longa est; et non hic retexenda : status tamen fere causæ in eo, an Affectus sint a natura? Esse Plato et Aristoteles volunt, ideoque non exscindi : non esse, nostri, eoque tolli. Cicero bene hoc advertit : «Mihi, inquit, in tota oratione ea, quæ pertinet ad animi Perturbationem (ita πάθος fere semper appellat), una res videtur causam continere, omnes eas esse in nostra potestate, omnes judicio susceptas, omnes voluntarias.» (IV Tuscul.) Sane causam continet, imo conficit : si enim ita, quis neget tolli? At enim aliter veteres, et nostri (Christiani) mox novarunt; quod ita idem : «Quum antiqui Perturbationem animi ex homine non tollerent, naturaque et Condolescere, et Concupiscere, et Extimescere, et Efferri lætitia dicerent, sed ea contraherent, in angustumque deducerent : Zeno omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. Quumque eas Perturbationes antiqui Naturales dicerent, et Rationis expertes, aliaque in parte animi Cupiditatem, in alia Rationem collocarent : ne his quidem assentiebatur. Nam et Perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque judicio suscipi, et omnium Perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quamdam Intemperantiam.» (I Academ.) In paucis his verbis tota res posita, neque satis fortassis exposita : vis propius accedamus, et velut manu admota revelemus? AUD. Lubescit; nam firmiter cupio istud noscere de Affectibus, sæpe auditum nec plene acceptum. LIPS. Fiat igitur, inspiciamus. Ait : *non tollerent.* Non certe; quid tollerent? utiles censebant, et a Natura ad Virtutem datas. Nam «sine iis (aiebant) languebit omnis actio, et vis ac vigor animi resolvetur.» (Sen. De Ira I, cap. 8.) Sine Ira, Fortitudo non erit; sine Metu, Prudentia; sine Cupidine, Temperantia; sine Lætitia,

sensus amorque Virtutis. Duntaxat igitur contrahebant : id est, « detracto quod exundat, ad salutarem modum cogebant » (Ibid.) : qui modus est ipsa Virtus. Avaritiæ da modum, Frugalitas est; Profusioni, Liberalitas; Ambitioni, Magnanimitas; itemque in aliis. Ac sicut bonæ plantæ in feraci agro, si negligantur, silvescunt et horrescunt; cultura adhibita, utiles et fructiferæ fiunt : sic Affectus. Quis autem cultor? Ratio, aiebant : imo et rector, quæ velut frænis temperat, et exsultantes in angustiorem girum ducit. Amplius, dicebant Natura esse : nimirum insitos in parte Irrationali animi, quæ duplex est, Concupiscens, et Irascens : atque ex his sponte, sine opera voluntatis emergere, et enasci. Imo et sedes iis suas adsignant in ipso corpore, « Lætitiæ in splene, Iræ in felle, Libidinis (sive Cupidinis) in jecore, Timoris in corde. » (Lactant. VI, cap. 15.) Qui ergo Affectus eos tollunt, vitam ipsam ex animali, et partibus iis primariis, tollunt. Et sicut agrum sterilem habere nolis, sic nec animum, cui « Affectus, velut ubertas est naturalis. Ad quam quum verus cultor accesserit (libet enim hoc repetere), statim cedentibus vitiis fruges Virtutis oriuntur. » (Ibid.) Quæ quomodo erunt, si non illi? ubi victoriæ locus, sine adversario? laudi, sine lucta? Nam si virtus est, Iram cohibere : quomodo faciet, qui Ira caret? Si Cupiditatem refrænare; quæ coercitio, ubi non quod coerceas? « Deus itaque quum hominem primum fingeret, mirabili Providentia, ingeneravit ei prius istas animi Commotiones, ut posset capere Virtutem, sicut terra culturam; posuitque materiam Vitiorum in Affectibus, Virtutis in Vitiis. » (Ibid.) Hæc illi; pergit Cicero ad nostros. Zeno, inquit, his omnibus quasi morbis exuit Sapientem. Bene, *quasi;* non enim revera Stoicis *Morbi* sunt, sed initia et causæ Morborum. Discrimen quod sit, Seneca in epistola quadam te docebit. (Ep. LXXV.) Addit, carere voluisse Sapientem. Prorsus carere : non recidere, sed excidere; non regere, sed ejicere. Causæ multæ sunt : hæ præcipuæ. Primo, difficile est regere, aut moderari admissos. « Imbecillis est primo omnis Affectus, deinde ipse se concitat, et vires, dum procedit, parat. » (Sen. Epist. CXVI.) Ut equus indomitus, facile abripit rectorem. Quis nautæ suaserit, aut approbaverit, ventis jactari, ut possit

artem exercere? in tranquillo tutius erit. Ut in præceps lapsis corporibus nullum sui arbitrium est; rapiuntur : sic animus in libidinem, amorem, iram projectus, non sistit se ubi vult, aut quum vult, sed quo non vult fertur. Deinde, Affectus si mali; etiam modici, modicum certe malum erunt : quis id apponit Sapienti? « Itaque falsa est ista mediocritas, et inutilis : eodemque loco habenda, quo si quis diceret, Modice insaniendum, Modice ægrotandum. » (Epistola LXXXV.) Tertia etiam ratio; si istis das locum, « quamvis exigui sint, in majus excedent. Numquam perniciosa servant modum. » At enim sunt ut bonæ plantæ in agro. Bonæ? hoc nego : sunt plantæ, sed vepres, spinæ, rubi, nati ad delendam aut prohibendam omnem bonam frugem. Denique quies et tranquillitas, ut docuimus, Sapientem decet et sequitur : tu vis eum, ut mare aliquod asperum esse, assiduis Affectuum turbinibus agitatum? Careat igitur, si potest : atqui potest. Non sunt enim naturales, ut illi volebant, neque rationis expertes. Si enim a Natura, boni essent : quod etiam ipsi negant, sed ad Bonum duntaxat ire. Deinde, quid « est Naturale, quod idem nimium esse possit? » (Cic. IV Tuscul.) At isti iidem resecant et circumcidunt, ut superfluentes. Tertio, cur non iidem in omnibus, et pari modo? Merito ergo, ob has aliasque causas dicimus, « non tam Natura insitos, quam prava Opinione susceptos. » (Lactant. VI, cap. 14.) Ab hac iis origo : ideoque Zeno apud Ciceronem pergit asserere, voluntarios esse, Quomodo? quia ab opinione, ut sequitur : et (ut idem alibi) « nulla Naturæ vi commoventur, omniaque ea sunt Opiniones, ac Judicia levitatis. » (III De Finib.) Totidem fere verbis Plutarchus de nostris : « Omnes Affectus omnino Judicia prava et Opiniones dicunt esse. » (In libello, Utra animalia.) Nota istæc, quæ causam non continent solum, sed obtinent. Nam si talia; profecto in Rationali parte animi sunt, non illa Irrationali : atque ita a Voluntate. Sed Judicia esse, etiam Chrysippus adfirmat, apud Galenum : « Chrysippus in primo libro *De Affectibus*, demonstrare conatur Judicia quædam Rationalis partis esse Affectus. » (De Decret. Hippocr. et Platon. itemque Laert. in Zenone.) Et addit de Zenone ipso paulo aliter : « Zeno

autem, non ipsa Judicia, sed Judiciis accedentes contractiones, et solutiones, elationes et collapsiones animi, esse censebat Affectus.» Discrimen inter sectæ duos apices observandum, sed leve. Judicium sane causa magis Affectuum videtur; isti, ipse effectus. Communiter tamen Chrysippi sententia obtinuisse videtur, quam et Cicero, ut receptam, profert, et Plutarchus. Iste enim ita: «Philosophorum aliqui (hi nostri) Affectus Rationes faciunt, tamquam omnis Cupiditas, Tristitia, Ira, sint Judicia.» (De Genitura animæ.) Iterumque idem alibi fusius explicat: «Sunt nonnulli (nostri isti) qui censent Affectum nihil diversum a Ratione esse, neque duorum esse hanc differentiam et dissidium, sed unius Rationis conversionem ad utraque, quæ fallit nos et latet conversionis velocitate. Nos, inquam, non advertentes quod idem illud Animi sit natum Concupiscere, et Pœnitere; Irasci, et Vereri; ferri ad turpitudinem per Voluptatem, et ferentem eamdem retinere. Nam cupiditatem, et Metum, et omnia hæc talia, Opiniones esse et Judicia prava, quæ fiunt non in una et sua aliqua animi parte, sed totius Hegemonici (Principalis, id est, Rationis) inclinationes et concessiones esse, et consensiones et appetitus: atque universe, operationes quasdam in brevi mutabiles, sicut puerorum incursus vigorem et impetum invalidum ex imbecillitate habent.» Est vero et hæc tota descriptio et propalatio Stoici sensus; primum, «non aliud a Ratione Affectum» esse: Ratione nempe prava, quæ Opinio dicitur. Item, «non esse duorum differentiam»: id est, in una Ratione hæc nasci, sed aliter atque aliter affecta. Seneca lucem faciet istis, et capiet: «Non enim, ut dixi, separatas ista diductasque sedes suas habent: sed Affectus et Ratio, in melius pejusque mutatio animi est.» (I De Ira, c. 8.) Ita enim vetus meus liber optime hæc scribit, et plane pro Plutarcho. Unus, inquit, animus atque una Rationalis pars, modo ad melius tendit, et Ratio dicitur; modo ad pejus, et est Affectus. Sed addit Plutarchus, «falli nos velocitate conversionis,» quia scilicet non videtur sic subito eadem pars velle posse, et nolle; ad voluptatem ire, et redire. Tamen ita est, inquit, et omnia ista in uno Hegemonico fiunt: additque voces Stoicorum in hac re solennes, ῥοπὰς,

εἴξεις, συγκαταθέσεις, ὁρμάς. Imo et ordinem, qui est in Affectuum genitura et progressu. Primum enim est, *propensio* quædam, tum *admissio* et *cessio*, mox *consensio* et denique *appetitus impetusque*. Exempli causa, *Visum* sive φαντασία objicitur, propendeo: sequitur *Notio* sive ἔννοια, cedo et admitto; tum *Cogitatio* sive διανόησις, judico et consentio; denique *Incitatio* et ὁρμὴ est vehementior. Epictetus in A. Gellio (neque enim ipsa nunc exstant) brevius hæc, sed tamen distinguit: «Visa animi; quas φαντασίας appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis animum rei pellitur, non Voluntatis sunt, neque arbitraria: sed vi quadam sua inserunt sese hominibus noscitanda. Probationes autem quas συγκαταθέσεις vocant (supra, in Plutarchi verbis), quibus Visa noscuntur ac dijudicantur, voluntariæ sunt, fiuntque hominum arbitratu.» (Lib. XIX, cap. 1.) Et plura addit, utiliter legenda; nec diversa ab iis noster Seneca: «Ut scias, inquit, quemadmodum incipiant Affectus, aut crescant, aut efferantur: Est primus motus non voluntarius, quasi præparatio Affectus, et quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci. Tertius motus est jam impotens, qui Rationem evicit.» (II De Ira, cap. 4.) Primus quem dicit motus, est a Phantasia rei Bonæ Malæve objectæ: qua statim excitamur ad appetendum, aut aversandum. Hunc negat Voluntarium esse, sicut et Epictetus; prævenit enim inclinationem animi, et primi illi Ictus (ut alibi appellat. Epist. LVII), sive Pulsus (ut A. Gellius) «conditione quadam humanæ sortis eveniunt: ideoque etiam sapientissimis accidunt.» (Senec. II De Ira; cap. 2.) Atque ut ad Lucilium scribit: «Quædam sunt, quæ nulla Virtus effugere potest; admonet illam Natura mortalitatis suæ. Itaque et vultum adducet ad tristitiam, et inhorrescet ad subita, et caligabit si vastam altitudinem in crepidine ejus constitutus despexerit. Non est hic timor, sed Naturalis affectio inexpugnabilis Rationi.» (Epistola LVII.) Nota hæc postrema: a Natura tales motiunculas esse. Quo sensu Senecam audio: «Quis negat omnes Affectus a quodam quasi Naturali fluere principio?» (Ep. CXVI.) Nempe ab istis motibus, quos natura insevit, qui tamen, ut idem ait, «non sunt Affectus, sed principia præludentia Affectibus.» At alter jam

Motus est, quum crescit Affectus, ut noster ait (II De Ira, c. 2.), junctus « cum voluntate non contumaci, » quod fit scilicet, quum motibus illis primis, « consentit, et opinione sua approbat : » etsi haud plene tamen se permittit; in gressu est, nondum in cursu. At tertius, jam impotens, et qui nos aufert. Is velut excursio est cum impetu, ut Plutarchus assimilabat : et noster, eadem imagine, « Affectus non moveri tantum, sed excurrere debet. Est enim impetus : » (II De Ira, cap. 3.) id est, ὁρμή. Ista lucem, nisi fallor, dent Stoicorum Affectui : quem definitione nunc etiam aperiamus. Ea a Zenone duplex. Πάθος γάρ ἐστιν, aiebat, ἡ ἄλογος παρὰ φύσιν κίνησις, ἡ ὁρμὴ πλεονάζουσα : (Laert. in Zen.) quæ Cicero ita vertit, et eidem Zenoni inscribit : « Perturbatio est, vel aversa a recta Ratione, contra Naturam, animi commotio ; vel brevius, Appetitus vehementior. » (IV Tusc.) Ait ἄλογος κίνησις, irrationalis motio, ad verbum : sed Cicero diducit et apte explicat, aversa a recta Ratione. Est enim Rationis, sed pravæ. Absque hac interpretatione e Peripateticis etiam conveniat: qui ipsi definiunt : « Motum irrationalem animi, ob præsumptionem Boni Malive. » Sed irrationabile aliud iis sonat : et abjungitur ab iisdem Zeno, quum addidit, contra Naturam esse, negatum istis. Itaque et altera finitio Zenonia, « Appetitus vehementior ; » interpretem Ciceronem habet, « qui longius discesserit a Naturæ constantia » : ut ostendat, aversum maxime ab eadem esse, id est, a stabili illa et immutabili Ratione. Sed quod Appetitum vertit, angustius est : et Vitatio vel Fuga etiam intelligenda. Nam ὁρμὴ hic, quævis commotio vel incitatio; et ἀφορμὴν includit. Desino, et repeto : Affectus omnes in Rationali parte esse, ideoque cetera animalia iis carere, juxta Stoicos, « habere tamen similes quosdam illis impulsus. » (Sen. I De Ira, c. 3.) Carere et Sapientem dicimus : sed quo sensu? non illo quem vulgus exaudit et exagitat, ut Sapiens nullas vellicationes aut morsus habeat : habet, « nec hoc dico, non sentit incommoda, sed vincit. » (De Providentia, cap. 2.) Alibi Seneca : « Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum : Altera est Irrationalis :

hæc mordetur, uritur, dolet; altera Rationalis : hac inconcussas opiniones habet, intrepida est et indomita. » (Ep. LXXI.) Ipsa tamen ista pars, in repentinis impulsibus, « sentiet levem quemdam tenuemque motum. Nam, ut dixit Zeno, in Sapientis quoque animo, etiam quum vulnus sanatum est, cicatrix manet. Sentiet itaque suspiciones quasdam et umbras Affectuum, ipsis carebit. » (Seneca, I De Ira, cap. 16.) En sententia nostra, non ea duritie aut immanitate, qua censent. Est enim duplex Apathia; quam Laertius tangit, et distinguit : « Aiunt, inquit, Stoici Apathem sive Affectuum expertem esse Sapientem, ideo quia est stabilis et a lapsu remotus. Aiunt et Stultum esse Apathem, quod valet ac si dicas, durum et immobilem. » Duplex ista significatio etiam in Seneca. «Stilponi summum bonum visum est Animus impatiens. In ambiguitatem incidendum est, si exprimere ἀπαθείαν uno verbo scite voluerimus, et Impatientiam dicere. Poterit enim contrarium ei, quod significare volumus, intelligi. Nos enim quum volumus dicere, qui respuat omnis mali sensum; accipietur is, qui nullum possit ferre malum. Vide ergo num satius sit, aut invulnerabilem animum dicere, aut Extra omnem patientiam positum. Hoc inter nos et illos interest. Noster Sapiens vincit quidem incommodum omne, sed sentit : illorum ne sentit quidem. » (Ep. IX.) Vult enim ibi discriminare Stilponis ἀπαθείαν a Stoicorum : et primum de nomine quærit, possitne pro mente Stilponis Latine Impatientia dici? Negat, quia planissime in contrarium consuetudo loquentium ducat. Nam ejus mens, nihil pati, aut sentire Sapientem : vulgi in eo verbo, vel levissima incommoda sentire, nec ferre. Ergo melius « Invulnerabilem, inquit, aut Extra patientiam positum » dicamus. Ceterum non ita Stoicus Sapiens : qui sensum mali habet, sed ratione vincit. Ab hac ejus ἀπάθεια, non ab illo ducta et dicta. Sed quod Seneca Stilponi istud adscribat, haud commemini alios facere : magis Pyrrhoni. Ita enim de isto Cicero : « Aristoni summum Bonum est, in rebus mediis neutram in partem moveri : quæ Ἀδιαφορία ab ipso dicitur : Pyrrho autem, ea ne sentire quidem Sapientem, quæ Ἀπάθεια nominatur. » (IV Acad.) Nominat et Plinius : cujus verba toti huic rei. « Exit hic animi tenor (æqualitas) aliquando in ri-

gorem quemdam, torvitatemque naturæ duram et inflexibilem, Affectusque humanos adimit: quales ἀπαθεῖς, Græci vocant, multos ejus generis experti: quodque mirum sit, auctores maximos sapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem. » (Lib. VII. c. 19.) Hem, diutius his institi: sed nimirum involuta, pro virili mea, evolvenda fuerunt. Quid restat, nisi videre an proba, aut certe probabilis, hæc sententia? Mihi videtur, in commodo illo et vero intellectu: nempe Sapientem, non esse rigidum, durum, exsensum exsortemque a dolore, metu, cupidine, lætitia: sed primis duntaxat, incipientibusque. Sentiscere ea, et moveri quoque iis; sed rejicere, nec permoveri. Quid Academici ipsi in re aliud dicunt, quam moderari, regere, et in Rationem jus nullum habere? Ergo sperni, et coerceri: quod profecto nobis est tolli, illis coli. Augustinus hoc vidit: « Aut nihil, aut pæne nihil, inquit, distat inter Stoicorum, aliorumque Philosophorum, opinionem de Passionibus et Perturbationibus animorum. Utrique enim mentem rationemque Sapientis ab earum dominatione defendunt; et ideo fortasse dicunt Stoici, eas in Sapientem non cadere: quia nequaquam ejus Sapientiam, qua utique Sapiens est, ullo errore obnubilant, aut labe subvertunt. Accidunt autem animo, salva serenitate Sapientiæ, propterea quæ Commoda vel Incommoda appellant. » (De Civ. IX, c. 4.) Igitur leve discrimen: cur tamen acribus altisque verbis terreri, si non obteri, eos nolunt? Philo Judæus etiam Moysis sapientiam huc advocat: qui, ut inquit, « universam iram exsecari et exscindi oportere censet ab Animo, non mediocritatem Affectuum, sed vacuitatem, sive carentiam approbans. » (Lib. II. Allegor.) Clarum et pulchrum nobis testimonium: tamen Christianis fortasse subvertendum. Lactantius quidem declamatorie in istos: « Furiosi ergo Stoici, quia ea non temperant, sed abscindunt: rebusque a Natura insitis castrare hominem quodammodo volunt. » (Lib. VI.) Jam et Hieronymus exserte: « Affectibus ad perfectum carere, juxta Stoicos possibile, juxta Peripateticos et difficile et impossibile, cui sententiæ omnis Scripturæ sacræ consentit auctoritas. » (Adv. Pel. lib. II.) Et vero laxant Affectibus fræna, sed bonis, et a bona causa, nostri Doctores: in hoc etiam

a Peripateticis dissoni, quod nec Vitia semper censent, et temperari vetant. « Vitia duntaxat fieri, si male utamur Affectibus; Virtutes, si bene. » (Lactant. VI, c. 16.) Amplius, concitatos et grandes esse posse : quidni? « Potest et qui graditur, errare; et qui currit, rectam viam tenere. » (Ibid.) Itaque ostendi aliquid potest, « ubi non tantum modicum, sed vel punctum gaudere, vitiosum sit : aliud contra, in quo vel exsultare lætitia minime criminosum. » Prioris generis exemplum, « male affecto inimico gaudere : » alterius, « oppresso tyranno exsultare. » (Id. ib.) Causam igitur Affectuum finemque, non modum considerant, quod ita Augustinus : « In disciplina nostra non tam quæritur, Utrum pius animus irascatur, sed Quare irascatur : nec Utrum sit tristis, sed Unde sit tristis; nec Utrum timeat, sed quid timeat. » Addit exempla, « Irasci peccanti, Contristari pro afflicto, Timere periclitanti » : quæ omnia Virtutes nobis censentur. (Libro IX De Civit. c. 5.) Interloqui velle videris : numquid requiris? Aud. Unum, in cursu, ut fit, sermonis, de Intemperantia te fugit dicere, quam Zeno apud Ciceronem matrem Perturbationum censebat. Quale id est? et an ea igitur etiam in Rationali parte? Lips. Juste revocas : explicandum est, quis autem melius Cicerone eodem fecerit? cujus hæc alibi verba : « Omnium Perturbationum fontem esse dicunt (Stoici) Intemperantiam, quæ est, a tota Mente et a Recta Ratione defectio, sic aversa a præscriptione Rationis, ut nullo modo Appetitiones animi nec regi nec continere queant. » (IV Tusc.) Opposita est enim Temperantiæ, quæ iisdem est, « Affectio insuperabilis eorum quæ sunt Rectæ Rationis, aut, Habitus qui vinci a Voluptatibus non potest. » (Laertius in Zenon.) Ut ergo huic fundamentum et innixus est Ratio, et ab ea recta Judicia : sic contra, Opinio ibi et falsitas : « quæ omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat » (Cic. Ib.), assiduis Affectuum tanquam ventis.

DISSERTATIO VIII.

VI Parad. Sapientem non opinari : itemque non ignorare : non fallere, non mentiri.

Sed ego opportune gradum promoveo ad Paradoxum, ab isto velut nexum : quod est, « Sapientem non opinari. » Laertius ita effert : « Non opinaturum Sapientem, hoc est, Falso nulli unquam consensurum. » Stobæanæ Eclogæ : « Falsum aliquid suscipere negant unquam Sapientem : neque item ullæ rei incomprehensæ assensum dare ; quia neque Opinatur, neque Ignorat quidquam. » Aud. Satin' hæc a me intelligi, aut a te adstrui? Lips. Mihi clara videntur. Aud. Sapientem non opinari? Lips. Nunquam. Aud. Omnia igitur scire? Lips. Scire. Aud. Et nihil ignorare? Lips. Nihil. Aud. Profecto, Juste Lipsi, hæc Paradoxa sunt : mihi non admittenda, tibi habeas. Lips. Tibi, si capis. Species verborum percutit, et ipsa Opinio est quæ te vexat : rem vide. Sapienti hæc tribuimus ; nondum tibi aut mihi, uni alicui e vulgo. Hunc Zeno quum in exemplar formasset, Opinionem ab eo removit, id est, Errorum Vitiorumque matrem. Zeno, inquam, primus. « Nemo enim superiorum, ait Cicero, non modo expresserat, sed ne dixerat quidem posse hominem nihil opinari : nec solum posse, sed ita necesse esse Sapienti. » (IV Acad.) At Zeno fecit, ut addit : et ratio etiam comprobavit ; Lactantio quidem judice. (III, cap. 4.) « Recte, inquit, Zeno et Stoici Opinationem repudiarunt. Opinari enim te scire quod nescias, non est Sapientis, sed temerarii potius ac stulti. » Et certe Opinioni omni contraria est Scientia ; quod ita idem Zeno adstruebat : « Si quid esset ita comprehensum, ut convelli Ratione non posset, Scientiam ; sin aliter, Inscientiam appellabant ; ex qua exsisteret etiam Opinio, quæ esset imbecilla, et cum falso incognitoque communis. » (Cic. I, Acad.) Neque enim aliud est Opinio, quam aut falsa de rebus judicare ; aut vera, sed infirmiter nec Ratione suffultum. Stobæi Eclogæ : « Duplicem esse Opinionem, unam rei incomprehensæ assensum, alteram, infirmam de re susceptionem. Has alienas Sapientis affectioni ;

quia inclinari ante rem comprehensam, et assentiri, in præpetem et præcipitem magis convenit, neque cadit in industrium, perfectum, et probum virum. » Cicero in verbis ultimis utramque tetigit, quum Imbecillam, aut Falso Incognitoque vicinam dixit. Sed quid igitur? nunquam ea utitur? ita; sed citra assensum. Nam quam multa Sapiens cogitat et disserit, de rebus superis inferisque, in quibus non sit certa comprehensio? de stellis earumque motu, de cometis, de fulminibus : et uno verbo, qualia pleraque artibus comprehensa. Sed nimirum ita disserit, ut verisimilia, non vera censeat : et nisi ubi firma et quæ convelli non possit Ratio est, ἐποχῇ utitur, et sustinet assentiri. Scire se tantum quæ fecit, sentit et profitetur : et hæc quoque scientia est, scire quid ignores. Quo sensu et illud splendide efferunt : « Nihil eum latere; » sicut antea dictum mirabaris, « Nihil ignorare. » Quid ergo? omniscius, id est, Deus? absit. Ille vero divina et humana scit, sed quatenus opus est, et potest : cæterum ita omnia scit, et nihil ignorat, ut sciat semper aut scire se, aut ignorare; et hoc satis, ut vindicetur ab Errore. Ego vero amplius tibi addam, pauca scire Sapientem. Nam ea, in quibus nos elaboramus, et ob quæ Docti titulum inscribimus, ne *Scientias* quidem censent : proprio et suo verbo ἐπιτηδεύματα, *Studia* appellant. Stobæus : « Musarum cultum et universe artes Liberales quas dicimus, *Studia* (ἐπιτηδεύματα) quidem appellant, *Scientias* (ἐπιστήμας) vero minime? » Eas tamen usui fatentur, et bonas etiam fieri, in bono viro, per Virtutem immutatas, et ad Finem relatas. « Sed quid est (ait Seneca) quare existimes, non futurum Sapientem eum qui litteras nescit; quum Sapientia non sit in litteris? » (Ep. LXXXVIII.) Itaque curiosa Studia ab illo absunt; et pulcherrime hoc Plato : « Verum Philosophum Quinquertioni similem esse : est enim revera talis, ut nulli rei uni serviat neque exacta diligentia unum aliquid elaboret; sic ut dum uni huic totum se impendit, reliquas res omittat, aut deserat, ut solent in suo quisque genere Artifices; sed magis omnes res artesque moderate libet et attingat. » (In Theæteto.) Aureum dogma, et cupidis curiosisque ingeniis imprimendum. Itaque omitte arbitrari alti-aut vani-loquentiam hanc esse : tantum, Paradoxum hoc te-

meritatem assensus removet, et Sapienti modestiam commendat. Neque enim aut ipse fallitur, aut fallit alios; et est hoc quoque inter Decreta : « Dolosos non esse Sapientes; sed simplices viros bonos : et cavere sine fuco, ne melius aut supra quam sint, appareant, ex præparato mala sua occultantes, et bona quæ sunt ostentantes. Tollere enim in voce fictionem omnem et in specie externa. » (Stob. Ecl.) Imo vero « Ironia uti (etsi Socrati usurpatum) : malum censent; nullum enim liberum et probum usurpare. » Amplius, pro hoc candore : « Non mentiri Sapientem dicunt, sed in omnibus verare. Non enim in eo mendacium esse, ut aliquis falsum dicat, sed quum quis dolo et fallendi proximos animo facit. » (Ibid.) Cui Stobæano Electo adsonant hæc Sexti : « Sapiens habet verorum scientiam; et nunquam fallit ac mentitur : eo quod non ex mala, sed ex bona, hoc proferat affectione. » Sed etsi vicina hæc, abducunt : addo ex eodem Sexto interpretatiunculam primarii nostri Paradoxi. « Sapiens, inquit, judicium minime aberrans habet, et est in omnibus divinus : propterea quod Non opinetur, hoc est, falso assentiatur. » (Advers. Mathem.) En, mi Auditor, invidiosum illud et superbum, ut censebas; sed censebas, opinor. Aud. Censebam; nunc do manus, et vulgarem etiam nostram sapientiam putem et voveam huc adspirare. Nimis enim cito Opinionibus abducimur : et quid aliud fere hodie nostrum discere, aut docere? Etiam in Externis rebus opiniones vexant, et graviora aut majora omnia veris ponunt. Inde Metus aut Dolores : spernamus, et ut floccos aliquos nivis ad Rationis solem liquefaciamus.

DISSERTATIO IX.

VII Parad. Sapienti nihil præter opinionem evenire.

Lips. Faciamus, tecum opto : etiam istud, quo nunc ducam, et quod priori item adhæret. Adhæret, an adversum est? videatur in prima verborum fronte, non autem sententiæ penetratione et inspectu. Est istud : « Sapienti præter opinionem nihil evenire. » Atqui negavimus eum opinari : quid ergo miri hic est? Sed scito, in rebus incertis et sola opinione nexis, eam quoque Sa-

pienti intervenire. Putat se hoc facturum, non facturum; illud eventurum, aut non : et quæ in vita quotidie, imo per momenta, occurrunt. Destinamus, proponimus, aggredimur, agimus : et eventu potimur, non potimur. Mens igitur nunc Paradoxi, Sapientem destinatione sua numquam excidere, semper illi successum, et Stoicorum verbo, ἔυροιαν (facilem fluxum et cursum), esse : id est, fluere res ex voluntate. Aud. O illuc me duc ! quid enim aliud hæc, quam ἐυδαιμονία (felicitas) ipsa? Lips. In eo sum : porro audi. Dogma eorum est, « Nihil præter voluntatem, appetitum, consilium, evenire Sapienti; quia cum exceptione omnia talia facit, aut conatur, et nihil eorum quæ adversari possunt non est ei præmeditatum et præsumptum. » (Stob. Ecl.) Optime, et verissima ratio. Ideo non fallitur neque frustra conatuum est, quia scit se frustra esse posse : neque res istas incertas, pro certis ullas habet. Omnia, inquam, cum exceptione (sic enim ista interpretanda sunt) aggreditur : quod ipsum in hac re Seneca noster dicit. « Non mutat, inquit, Sapiens consilium, omnibus his manentibus quæ erant, quum sumeret. Ideo nunquam illum Pœnitentia subit; quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum est; nihil constitui, quam quod constitutum est. Cæterum ad omnia cum exceptione veniet, Si nihil inciderit quod impediat. Ideo omnia illi succedere dicimus (ecce ἔυροιαν nostram) et nihil contra opinionem accidere, quia præsumit animo, posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, Fortunam sibi spondere. » (De Benef. IV, cap. 34.) Etiam vides, quam vere et salubriter hæc dicantur, ac doceantur? Mihi crede, inter fundamenta constantiæ et tranquillitatis est istud : « Semper de Fortuna cogitare, et sibi nihil de fide ejus promittere. Navigabo, nisi quid inciderit, et Prætor fiam, nisi quid obstiterit; et Negotiatio mihi respondebit, nisi quid intervenerit. » (Sen. De Tranq. cap 13.) Animus qui hæc præcogitat serio, atque imbibit, quam in pacato atque æquo est! Facit Sapiens; ideoque (ut iterum interpreter cum Seneca) « Nihil ei contra opinionem dicimus accidere. » Quomodo? quia « non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus; nec illi omnia, ut voluit, cedunt, sed ut cogitavit. In primis

autem cogitavit, aliquid posse propositis suis resistere. » (Ibid.) Quod quum factum est, quidni facile ferat, quod præviderat? « Necesse est levius ad animum pervenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum utique non promiseris. » (Ibid.) At stulti, id est, nos, contra. Spes et cogitationes longe mittimus, firmas et ferientes esse volumus : et cum lapsi sumus, stupemus. Inter miserias humanas sapientissime Homerus recenset :

> Οὐ μὲν γάρ ποτέ φησι κακὸν πείσεσθαι ὀπίσσω,
> Ὄφρ' ἀρετὴν παρέχωσι θεοὶ, καὶ γούνατ' ὀρώρῃ· (Odyss. Σ.)
> Quod non ulla putant adversa sibi eventura,
> Quamdiu robur adest et florida membra moventur.

At quum evenerunt, collabuntur : et voces audimus, « Nesciebam hoc mihi restare. » Aliter Sapiens, qui « scit sibi omnia restare. et quidquid factum est, dicit, Sciebam. » (Sen. Epist. LXXVI.)

> .... Non ulla laborum,
> O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
> Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi. (VIRG. Æn. VI.)

« Et sicut ii qui secundante cælo et vento navigant, etiam quæ contra tempestates usui sunt, parata habent : sic qui in prospera Fortuna sapiunt, etiam remedia adversæ illius expediunt. » (Socrat. apub Stob. Serm. III.) Et quæ illa remedia? jam dicta. « Lætis non credere, omnem Fortunæ licentiam in oculis habere; tamquam, quidquid potest facere, factura sit. » (Sen. Ep. LXXVIII.) Ideo et illa affectio Sapientis propria : *nil mirari;* » (Laert. in Zen.) sive quæ Natura et causis occultis, sive quæ Fortuna eveniunt. Scit multa in illius sinu non indagata, non indaganda, occuli; et in hujus non exspectata, non exspectanda. Ergo tollatur illa eventuum novitas : « Nihil nobis improvisum esse debet. In omnia præmittendus est animus : cogitandumque, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri. » (Sen. XCI.) Hominem ad humana paremus : et cum Sapiente, « assuescamus futuris malis, et quæ alii diu patiendo levia faciunt, nos diu cogitando. » (Epist. LXXVI.)

DISSERTATIO X.

VIII Parad. Sapientem sibi sufficere; sive, Se solo contentum esse.

Habes utili interpretatione Paradoxum : nec minus istud. Nam adjungo, « Sapientem sibi sufficere » : quod Græci dicunt signate et breviter, Τὸν σοφὸν αὐτάρκη εἶναι. Seneca extulit : « Sapientem seipso contentum esse. » Est a Socrate et Platone : atque ab isto expressum. (III De Rep.) Quæ vis huic dicto? illum sibi omnia esse; nec pendere ab homine alio, aut rebus. Quomodo felix sit, et sui juris, si in alienum arbitrium demittimus, et catenam quamvis splendidam, catenam tamen, damus? Ille vero suus esto, apud se esto : etsi apud alios etiam velit, sed vel in solitudine possit. Velit dico; nam Stilpo, Timon, et alii fuere, qui abducerent ab omni consortio, et ipsa amicitia : nobis aliter visum. « Nam illud quidem cum illis commune est, Sapientem seipso contentum esse : sed tamen et amicum habere vult, et vicinum, et contubernalem, quamvis sibi ipse sufficiat. » (Seneca Epist. IX.) Sociale animal, homo est : et inter homines Sapiens; sed hoc discrimine a reliquis, quod « quæ sibi desunt, non desiderat, sed non deesse mavult. » (Ibid.) Exerecre vult, quum alias virtutes, tum hanc homini tam propriam, et pæne innatam. Itaque, « perperam illi interpretantur, qui Sapientem undique submovent, et intra cutem suam cogunt. Distinguendum est, quid et quatenus vox ista promittat. Se contentus est Sapiens ad beate vivendum; non ad vivendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est; ad illud, tantum animo sano, et erecto, et despiciente Fortunam. » (Ibid.) Subduc illi cibum, non vivet : subduc amicos, vivet, et quidem beate. « Qualis tamen futura est illa vita, si sine amicis relinquatur, in custodiam conjectus, vel in aliqua gente aliena destitutus, vel in navigatione longa retentus, aut in desertum littus ejectus? qualis est Jovis, cum resoluto mundo, paulisper cessante Natura, acquiescit sibi cogitationibus suis traditus. » (Ibid.) Magnifica comparatio, et quæ placita etiam in hac re Epicteto. » Homo amat quidem societatem et amicos, inquit, sed nihilo secius oportet et in hoc exerceri,

ut possit sibi ipse sufficere, possit secum esse. Sicut Jupiter secum est atque agit, et in se acquiescit, et gubernationem suam mente agitat, et cogitationibus fruitur se dignis. » Et quæ solitudo est, ubi virtutes comitantur et adsunt? « Nullus angustus, aut solus est locus, qui hanc tam magnam turbam capit : nullum exsilium grave, in quod licet cum hoc comitatu ire. » (Sen. Consol. ad Helv. cap. 10.) Denique, cum nostro Ambrosio, « in qua solitudine non stipatur, quem vita Beata circumdat? (Lib. I. De Vita Jacob. cap. ult.) Itaque frui et acquiescere in se potest; vix tamen volet; dico in sola illa solitudine : et hoc Senecæ clara verba volunt : « Se contentus est Sapiens, et tamen non vivet, si fuerit sine homine victurus. » (Epist. IX.) Nota, sine *homine*, non sine *amico* tantum. Et sane Stoicum hoc dogma : « Neque in solitudine vivet Sapiens : est enim natura socialis, et actuosus. » Nam multa, pro Stoico sensu, interveniunt, quæ non Beatam vitam, sed vitam tamen tollunt : de quibus infra. Alioqui secessum a turbis, id est, vitiis, absit ut damnemus, pabulum animi, imo delicias : et ubi frui fas puriore et sublimiore illa meditatione.

Ὡς ἡδὺ, τῷ μισοῦντι τοὺς φαύλους ἐρημία!
Quam suave solitudo qui odit improbos? (MENANDRI.)

Et quam compositæ mentis signum est, secum posse morari, et consistere? quod e vulgo nemo facit : quorum quisque se fugit. Ergo et hoc utile monitum amplectere. « Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, et ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse Felicitas Deo propior? (Sen. Epist. XX.)

DISSERTATIO XI.

IX Parad. Omnia Sapientis; et, Solum divitem censendum.

ET qui non sit contentus, quum omnia ipse habeat? Nam hoc etiam inter Inopinata jactatum, « Omnia Sapientis esse : » imo « Solum illum divitem » et uberem esse. Variis locis hæc efferuntur : et origo dicti a Cynicis, quorum erat ; « Sapientem sibi

sufficere; nam omnia aliorum, ejus esse. » (Laert. in Antisth.) Vides? non sua solum sibi, sed omnia omnium habet : et quid homini huic desit? Hæc Cynici illi jactabant ore, animo sentiebant : Cynici, nudi, inopes, vacui rerum omnium et copiarum. Placuit et Stoicis; sciveruntque : « Sapientum omnia esse. » (Laert. in Zen.) Seneca, Cicero, alii ingeminant : sed ille noster alibi : « Unus est Sapiens, cujus omnia sunt, nec ex difficili tuenda. » (De Benef. VII, cap. 3.) Quo sensu autem? omnibus ergo sua eripit, et in se vertit? Non : absit. « Nihil prohibet, aliquid et Sapientis esse, et ejus, cui datum et assignatum est. Jure civili, omnia Regis sunt : et tamen illa, quorum ad Regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt, et unaquæque res habet possessorem suum. Ad Reges enim potestas pertinet, ad singulos dominium. » (Ibid. c. 4.) Ecce nodum solutum habes : et vere ac pulchre. Tangit hanc distinctionem Laertius : nam quis ambigit e Stoicis fontibus Senecam hausisse? tangit, inquam, in causa ejus dicti. « Omnia Sapientum esse : Datam enim iis παντελῆ ἐξουσίαν, omnimodam potestatem (Senecæ vocem agnosce) a lege. Stultorum autem quædam dicuntur, sicut et injustorum, atque aliter quædam reipublicæ dicimus, quædam utentium. » Ergo omnia ejus sunt, non occupatione, sed animo : et universitas illi, non hæc singula mancipantur. O magnifica possessio! et quam ex facili regit ac tuetur! Tuetur, hoc ipso quod intuetur. « Non habet mittendos trans maria legatos, nec metanda in ripis hostilibus castra, non opus est legione, nec equestribus turmis. Quemadmodum Dii immortales regnum inermes regunt, et illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est : ita hic officia sua, quamvis latissime pateant, obit : et omne humanum genus, potentissimus ejus optimusque, infra se videt. » (Sen. De Benef. VII. cap. 3.) Neque verba hæc censeas : imo verba, qui eripiunt huic, et sibi habent. Quis totum hunc orbem, id est, tot agros, prata, silvas, flumina, lacus, maria, verbulo aut formula a me aufert? Coneris quamvis, teneo : oculis, et certe animo, usurpo. « Derideas licet : ingentis spiritus res est, quum Orientem Occidentemque lustraveris animo, quum tot animalia, tantam copiam rerum, quas Natura beatis-

sime fundit, aspexeris; emittere hanc Dei vocem, Omnia mea sunt.» (Ibid.) Itaque et hoc vere addidimus, «Solum Sapientem divitem esse,» Socrati jam olim definitum. (Vide lib. I. Dissert. XVII.) Quæ enim istæ Crassi, aut Crœsi divitiæ? desunt multa, et optant. Noster minime: et non una causa vel aspectu titulum hunc jure habet. Plato adsignabat istas: «Divitem hunc solum, quippe cum thesauris omnibus pretiosiores solus videatur, possidere Virtutes; quia etiam solus Sapiens opes potest in usibus necessariis regere, videri ditissimus debet.» (Apul. De Phil.) Pro quarum prima aptissime Philo Judæus: «Sapiens non dives solum, sed superfluens: ut qui semper delicietur inverseturque bonis uberibus et germanis, non ævo inveterascentibus, sed magis virescentibus florentibusque (de Plantat. Noë.): id est, illis Animi, quas Virtutes vocamus. Eaque ipsa ratio, quam Stoici nostri inter primas signabant, stricte sic et scholastice apud Empiricum expressa: «Qui ea possidet, quæ sunt magnæ æstimationis et magni pretii, est dives: Virtus autem est magni pretii et æstimationis; solusque Sapiens eam possidet: solus ergo est dives.» (Adv. Math.) Altera erat ratio, «Sapientem solum uti.» An ille utatur, qui avariter recondit? ne habet quidem, si Platoni hoc credis scite docenti, et distinguenti. «Non enim mihi idem videtur, inquit, Habere et Adipisci, ut, si quis vestem mercatus, tam in potestate habeat, non tamen ferat: haud dixerimus Habere illum, sed Adeptum esse.» (In Theæt.) An ille etiam utitur, qui stulte et prodigenter effundit? nihil; solus Sapiens habet, possidet, utitur, materiam virtutum.

Non huic sepositas infelix strangulat arca
Divitias.

quid ergo?

.......Expositi census, et docta fruendi
Temperies.

Sed præter has duas, tertia etiam ratio. Sapiens nulla re eget: ergo dives. Quid enim aliud «Dives, nisi a Divo (ait Varro) quia, ut Deus, nihil indigere videtur?» Quomodo? non enim petit. «Animus tuus oportet se judicet divitem, non hominum

sermo, neque possessiones tuæ.» (Cicer. Parad. ultim.) Audi poetam :

> Ex animo rem stare, æquum puto ; non animum ex re.
> Cuncta cupit Crœsus ; Diogenes nihilum. (Auson.)

Et uter igitur ditior? « Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum, est via. » (Sen. Epist. LXII.) Quid me vocas ad ista supervacua ? « An parum habet, qui non alget, non esurit, non sitit? plus Jupiter non habet. » (Epist. XCIX.) Acquiesce in istis, aut nunquam acquiesces : acquiesce, inquam, « tanto beatior futurus, quanto collectior. Namque animi, ita ut corporis, sanitas expedita ; imbecillitas laciniosa est ; certumque signum est infirmitatis, pluribus indigere. » (Apuleius in I Apologia.) Quid ergo ? inquies : Sapiens nullo indiget : illud ipsum edere, bibere et quæ Natura postulat, nonne potest abesse ? Potest, nec ipse tamen indigere. Stoicum tibi hic discrimen ingeram, in verbis quidem, sed quod rem explanet. Chrysippus aiebat : « quod non egeant, sed indigeant mali. » At sapiens, ille « eget, et opus habet. » (Plut. de Commun. Notion.) Seneca hoc ipsum tangit : « Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait Sapientem nulla re indigere et tamen multis illi rebus opus esse ; contra, Stulto nulla re opus est, nulla enim re scit uti, sed omnibus eget. » (Ep. IX.) Etsi in verbo *Egere* proprietatem non servat, et Stulto tribuit quod Sapientis erat. Igitur *Indigere*, est non habere, et velle : atque id sine modo. Cicero : « Indigentia, est libido inexplebilis » (IV Tusc.) : quod Stoico sensu omnino scripsit. Vere ergo dicemus « Eum maxime divitiis frui, qui minime divitiis indiget » (Sen. Ep. XIV) ; id est, avet, aut cupit. Ob has ergo causas merito ille Dives, quid si et ab alia, pro vulgi etiam mente? Nam ecce Dogma nostrum est : « Œconomicum esse solum Sapientem, et bonum œconomum, et peritum pecuniæ faciendæ. » (Stob. Ecl.) Quid ais ? ad hoc dogma non turba concurrat ? sinum pandat? Et tamen ita est, prudentia illa ejus propria, etiam ad externa ista omnia valet, quum lubet, et usui censet uti. Socrates apte : « Quod non e pecunia Virtus nascatur, sed ex Virtute pecunia, atque alia omnia bona publice ac privatim hominibus obveniant. » (In Apol.) Nonne Thales hoc satis docuit in claro

exemplo? nam is quum ostendere vellet, quam facile Sapienti ditescere : prævisa feracitate olearum, fructus omnes coëmit, et solus compos, vendidit, vimque grandem pecuniæ paravit. Potest igitur habere Sapiens : sed quanto altius, nolle? calcat hæc superflua, et duntaxat « divitiarum naturalium est quæsitor acerrimus. » (Sen. Epist. CXIX.) Fac idem, Auditor : et disce statim ac compendio dives esse. « Repræsentat opes Sapientia, quas cuicumque supervacuas fecit, dedit. » (Ep. XVII.) An non hæc Sacris etiam nostris consona? Clemens Alexandrinus dicit, et docet : « Quod autem omnia sint Sapientis, aperte Scriptura indicat dicens, Quoniam Deus mei misertus est, mihi sunt omnia. Unum enim oportere expeti ostendit, per quod facta sunt omnia, et iis qui digni sunt promissa tribuuntur. » (II Strom.) Ecce in vera Sapientia divitiæ, et in animo ad Deum, summum atque unum bonum, verso. Sed vis ipsas Stoicorum voces, atque etiam sensa? Ambrosius : « Salomon ait; ejus qui fidelis est, totus mundus divitiarum. Quanto prior Salomon, quam Zenon Stoicorum magister, atque auctor sectæ ipsius? Quis autem fidelis, nisi Sapiens? » Et statim : « Sed dicas : Quomodo Sapientis totus mundus? Quoniam ipsa Natura dat illi sortem omnium, etiamsi ipse nihil possideat. Domina est et possessor, Sapientia : quæ sua putat Naturæ munera, nec ullis indiget, etiamsi desint ei ad victum necessaria. Namque Musicus organa aut Medicus medicamenta etiamsi non habeat, habet tamen eo ipso quo possit his uti, etiamsi ad tempus eorum usus non suppetat. » (Lib. II De Abrahamo.) Bone doctor, salve, non ipsa Porticus sonet magis germanas Zenonis voces. Observastin' autem et de *Indigentia?* etiam sine *possessione sortem* habere? Hæc vera sunt. « Stulta mortalium avaritia possessionem proprietatemque discernit, nec quidquam suum credit esse, quod publicum est. » (Sen. Epist. LXXII.) Sapiens aliter : qui publicis ut privatis fruitur, privatis ut publicis. « Sapientia omnium mater est, et ipsa orbem terrarum possidet. » (Sap. VII.) Abrahamo illi « data est omnis terra » (Gen. XIII.) : sed quando? postquam a Lotho discessit, id est, « vitiis et deflexione morum. » (Ambr. II de Abrah.) O magnæ igitur, o veræ opes! veniamus

in partem. Ego conari, aut facere me fateor : et istos agros, silvas, hortos, fontes, statuas, tabulas, et quidquid Natura aut Industria instruit, oculis et cogitatione usurpo ut mea : pascor suaviter et sinceriore gaudii fructu, vel horulæ spatio, quam Domini inscripti anno aut annis.

DISSERTATIO XII.

X Parad. Solum Sapientem liberum, cæteros omnes servos censeri.

Atque idem ille Sapiens non Dives solum, sed Liber, cæteris omnibus servis. Conviciari tibi videar? non est propositum, sed vera effari. Scitum igitur hoc Stoicorum : « Nisi Sapientem, liberum esse neminem. » Græce efferebant : ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος : Quod solus Sapiens liber, et omnis Stultus servus. (Cicer. in Parad. V) Diogenes ponit, et causam apponit : « Solum Sapientem liberum ; omnes malos, servos. Esse enim Libertatem non aliud, quam potestatem agendi quæ velis : Servitutem contra, privationem hujusmodi actionis. » (In Zenone.) Hoc ipsum paulo fusius Epictetus : « Liber est, qui vivit ut vult, quem neque cogere est, neque prohibere, neque vim adferre. » (IV Dissert. cap. I.) Sed fusissime Cicero, et rei illustrandæ. « Quid est enim libertas? potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi qui recta sequitur? qui gaudet officio? Cui vivendi via considerata atque provisa est? qui legibus non propter metum paret? qui nihil dicit; nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere? » (V Parad.) Ita liquet, Sapientem ea parte Liberum, qua Virtutem amplectitur volens, alacer : ab ipso Honesto, non a lege, aut metu inductus. Quid jam, quum Vitia spernit, et calcat? cum magno animo clamat : « Non sum imperata facturus; jugum non recipio : imo quod majore virtute faciendum est, excutio. Non est molliendus animus; si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum labori, cedendum est paupertati. Idem sibi juris in me esse volet et ambitio, et ira. » (Sen. Epist. LI.) Ecce, quot dominos ille jam effugit? adde libidinem, avaritiam, alia vitia : turbam habebis,

ut vero nomine dicam, tyrannorum. Miserum mancipium, qui his subjicitur! erectum et liberum, qui evasit! Nam breviter sane et expresse dictum est: «Quæ est vera Libertas? innocentia.» (In Dial. Hadriani et Epicteti.) Sed et in Fortunam Sapiens attollit animum, et ab ea se facit immunem. Qui ad omnem ejus motum casumque trepidat, suspensus vota facit, quidni servitutem, et quidem asperam anxiamque, serviat? At illa est vera « Libertas, nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, Fortunam in æquum deducere.» (Sen. Ep. LI.) Quomodo hoc fiet? Epictetum audi, et sequere præeuntem: « Constitui et conformavi voluntatem meam divinæ. Vult me febricitare? et ego volo; aliquid aggredi? volo; potiri? volo; non potiri? nolo; mori? volo. Quis jam igitur prohibere me, aut cogere, præter voluntatem, potest? non magis, quam ipsum Deum.» (III Diss. c. 26.) O vera, o firma libertas, servire Deo! Sed est et quarta ratio: non Fortunam solum dominam, sed nec Corpus ferre. « Nam hoc, animi pondus ac pœna est, premente illo urgetur, in vinculis est: nisi accessit Philosophia, et illum respirare rerum Naturæ spectaculo jussit, et a terrenis demisit ad divina. Hæc Libertas ejus est, hæc evagatio: subducit interim se custodiæ in qua tenetur, et cœlo reficitur.» (Sen. Epist. LXV.) Agnoscis et hanc Sapientis propriam, qui animo ad originem sui semper tendit. Nos imitemur: et « aliquando ex hac fæce evadamus in illud sublime et excelsum, ubi tranquillitas nos manet, et expulsis erroribus vera Libertas.» (Epist. LXXV.) Hoc nomen est, quod omnes ad se allicit; pro quo arma olim et nunc capta: per sanguinem, per cædem quæsita, nos ad hanc, toto animo non adnitemur? Et qua via! Audi doctorem nostrum: « Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera Libertas.» (Ep. VIII.) Hoc unum illud « studium vere liberale est, quod liberum facit.» (Epist. LXXXVIII.) Quis enim alius ejus finis, quam « animum nostrum in eam asserere libertatem, in qua a parente et auctore Deo productus fuit; ut neque formidet quidquam, neque ulla re doleat, neque ulli deteriori naturæ serviat?» (Simplic. in Enchir. Epict.) Illa, inquam, est, absoluta hæc, et compendio dicenda Libertas: « Non homines timere, non Fortunam; nec

turpia velle, nec nimia; in seipsum habere maximam potestatem. » (Sen. Epist. LXXV.) Hanc Philosophia parat, Sophus habet. Vides dignitatem Paradoxi hujus, sed et veritatem; quam noster quidem Ambrosius tota Epistola quadam adstruit (Epistola VII); et Augustinus breviter : « Bonus etiamsi serviat, liber est; malus, etiamsi regnet, servus est; nec unius hominis, sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. De quibus cum ageret Scriptura divina : A quo enim quis, inquit, (II, Pet. 2.) devictus est, huic et servus addictus est. » (IV De Civit. c. 3.)

DISSERTATIO XIII.

XI Parad. Solum Sapientem Regem esse.

Sed heus, jam mihi aures; lubet

> Φυσᾶν γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι·
> Canere atque flare non minutis tibiis.

Abite modica : sceptra et diademata molior, et Sapienti nostra circumdo. Ego, an ipsa Virtus?

> .... Regnum et diadema tutum
> Deferens uni, (Horat.)

qui se colit. Vere *tutum;* nam cetera illa casibus aut suffragiis subjecta : istud

> Intaminatis fulget honoribus,
> Nec sumit aut ponit secures
> Arbitrio popularis auræ. (Idem.)

Age igitur, adstruamus, Stoicorum scitum est : « Solum Sapientem Regem esse. » Aud. O mi doctor, quam vere ista nomen vindicant, et Inopinata sunt? quid si stolida et fatua? Plutarchus ita habet, nec unus : et suaviter sane exagitat, præscriptione libelli, « Stoicos magis inopinata, quam poetas effari. » Ut alia omittam, potest magis quam istud? Dissimulavit aliquis regem, qui reipsa esset, ut Homericus Ulysses : at isti quam inepte et falso adsimulant? Comœdiam vel mimum aliquem ludere eos dicas : sed male etiam sustinentes personam. Nam ecce prodit « ille a Porticu Sapiens, clamans altum et intonans, Ego solus Rex

sum, Ego solus Dives : et conspicitur interim ad alienas fores mussitans ;

Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι, κάρτα γὰρ ῥιγῶ
Καὶ βαμβακίζω·
Da tegmen Hipponacti, namque frigeo,
Totusque contremisco. » (PHIL.)

Suntne hæc regia, nudum, algidum, famelicum, omnium inopem esse ? LIPS. Sunt regia, mi Auditor, si alia, quæ dicam, adsint. Omitte sannas aut ludos : Plutarchum etiam, gravem et magnum virum, sed Academicum, et Stoicis destinato hostem. Audi Ciceronem potius : « vere ista nomina omnia possidere Sapientem, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur Rex quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. » (III De Fin.) Attende ; duas causas tangit, cur justissime noster Rex sit, quod se regat, et quod Alios : quod profecto plenum et legitimum est Regnum. Tangit et Laertius, ubi scitum hoc promulgat : « Non solum liberos Sapientes, sed Reges etiam esse : quum sit Regnum potestas nulli obnoxia, quæ in solis Sapientibus consistat, ut ait Chrysippus. » (In Zen.) Optime Chrysippus : quis enim vitiis affectibusque superior, præter Sapientem ? An ille mihi Rex erit, cui muliercula imperat ? cui pecuniola, gloriola, alii animorum tyranni ? « Refrænet prius libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat : tum incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit. Dum his quidem obediet, non modo Rex, sed liber habendus omnino non erit. » (Cic. Parad. V.) Tragicus noster hoc dicet :

Rex est, qui posuit metus
Et diri mala pectoris :
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia :
Occurritque suo libens
Fato, nec queritur mori.

En tibi Regem : non vitiis, non casibus, non morti ipsi, ut timeat, subjectum. Et an non pulchrius ampliusque hoc regnum,

.... Quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni ?

mihi videtur. Quid deinde in alios? quam jus suum exercet? « Sicut gubernator in navi, magistratus in civitate, imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima : sic revera princeps est Sapiens in genere humano. » (Philo de Abrah.) Quod nisi a recto et vero abiisset, opinionum impetu ablatum : an etiam nunc alius ab illo imperaret? Etsi vel sic jus suum tenet. Prodeat mihi ille Sapiens, et apud ipsos purpuratos et diadematos se ostendat : profecto vereri, aut certe revereri videbis, illum pannosum et sæpe nudis scapulis. « Neque enim unquam in tantum convalescet nequitia, nunquam sic contra Virtutes conjurabitur, ut non Sapientiæ nomen venerabile et sacrum maneat. » (Sen. Epist. XIV.) Vis in exemplo videre? Diogenes ille Cynicus, non pauper solum ab opibus, sed a fortunæ injuria servus, vænum a piratis expositus, interrogatur : « Ecquid scire profiteretur? » Egone? « Hominibus imperare. » (Laert. in Diog.) Et mox, quum prætereuntem Xeniadem vidisset, ore ac vultu ingenuo : « Huic, inquit, me vende, nam hic Domino opus habet. » Et plane pro verbis et professione sua se gessit, docens, monens, imperans, ipsi, liberis, familiæ toti. Ac quum amici paulo post advenissent, eum redempturi : « Minime, inquit : abite fatui. Non enim leones servos esse nutrientium, sed nutrientes leonum. » (Ibid.) Nam servi scilicet est, timere. Quid, quum Alexander magnus ille Rex ad eum viseret, atque inter alia diceret : « Non me times? Quid enim es, inquit, Bonum an Malum? Dicente, Bonum : Quis ergo Bonum timet? inquit. » Et mehercules scio Alexandrum potius in animo timuisse, aut stupuisse ; ad hunc magnanimum et a Ratione Regem. Quidni a Ratione? ita idem scitissime « Xeniadi, qui se emerat, dixit : Oportere illum sibi parere, quamvis servo; nam et medicus, et gubernator, etsi serviunt, tamen iis paretur. » (Ibid.) Meritissimo igitur a stultis omnibus Sapienti. « Qui enim in universum vitæ degendæ scientiam est adeptus, quid aliud illum esse oportet nisi rectorem et Dominum? » (Arrian. Dissert. III, c. ult.) Felix respublica, ubi erit : et verum tamen nostrum scitum, etiamsi non erit. An non tale, quod etiam Sacra approbant? (Gen. XXIII.) Ita enim Clemens : « Et Sapientem Deus docens esse Regem, facit alienigenas ei

dicentes : Rex a Deo tu es in nobis ; quum scilicet sponte et suapte voluntate, propter admirationem virtutis, subderent se illi. » (II Strom.) Salve igitur et vive, o vere noster Rex !

Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro,
Troica et Euphratæ supra diademata felix!
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent; qui pectore magno
Spemque metumquo domas, vitio sublimior omni,
Exemptus fatis. (Stat. in Silv.)

DISSERTATIO XIV.

XII. Sapientem Deo parem : Paradoxum, atque etiam Paralogum.

Aud. Valde in altum sustulisti Sapientem : non potest scandere, nisi ut hominem transcendat. Lips. Audebo hoc etiam dicere ? nostri faciunt : sed dicam, non asseram, et a Modestia, id est, matre Sapientiæ, non abibo : vereor ut illi, quum clamant, Sapientem Deo parem. Ah, quæ non dicam æqui paratio, sed comparatio est ? Tamen faciunt : et audiendæ voces vel Senecæ nostri : « Sapiens ille plenus gaudio, hilaris et placidus, inconcussus, cum Diis ex pari vivit. » (Ep. LIX.) Alibi : « Hoc est Summum Bonum, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex. » (Epist. XXXI.) Iterum eadem voce : « Dei socii sumus et membra. » (Epist. XCII.) Sive apud Stobæum Chrysippi : « Omnino et plene beatos esse homines, qui sunt Sapientes, et Felicitatem hanc ac Securitatem nihilum a divina differre, Chrysippus ait. Et nulla parte optabiliorem, meliorem, augustiorem illam Jovis Felicitatem hac humana esse. » Quid etiam pleraque sanctus ille Epictetus ? Det mihi aliquis hominis « Animum, inquit, qui nulla re frustretur, aut lædatur, qui non irascatur, non invideat, non æmuletur. » Denique, quid opus ambagibus ? Da mihi « Deum ex Homine fieri cupientem, et in corpusculo isto mortali societatem Jovis agitantem » (II Dissert. cap. 15) : id est, da mihi istum Sapientem : dabo tantum, et talem. Aud. Lædunt ista vel audita, Lipsi, etsi non demissa : quid recenses ? Lips. Mecum tolera, neque enim probamus, neque abnuimus,

Quin vanus stolidis hæc talia finxerit error :

sed error, cujus fontem etiam liceat inquirere, et tum claudere vel damnare. Magniloquentiæ hujus omnis origo, quod unam eamdemque Virtutem in Homine et Deo ponunt. Seneca : « Quæris quæ res Sapientem efficit? quæ Deum. » (Epist. LXXXVII.) Si igitur ille et iste ejus compotes; ille per industriam, iste per naturam, pares in eo sunt quo laudantur. Chrysippus apud Plutarchum : « Virtute siquidem non superare Jovem Dionem, sed et æqualiter juvari invicem Jovem et Dionem, quum Sapientes sint, quando alter alterum moveri sentit. » (De Commun. Not.) In eodem illo fundamento hæc Epicteti nixa : « Quod ad rationem mentemque attinet, o homo, nihilo deterior aut inferior Diis ipsis es : Magnitudo enim Rationis neque longitudine (sive diuturnitate), neque altitudine dijudicatur, sed solis Decretis. » (Dissert. I, cap. 12.) Seneca his paria : « Solebat Sextius dicere, Jovem plus non posse, quam Bonum virum. Plura Jupiter habet, quæ præstet hominibus : sed inter duos Bonos, non est melior, qui locupletior; non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui majus speciosiusque navigium est. » (Ep. LXXIII.) Heu! radunt et ista meas aures, fateor; sed insanientem hac parte Sapientiam, vel ad Senecæ lucem pervideamus. Primum igitur, eorum confessione, discrimen est in Potentia sive Opulentia : quia Jupiter certe plus pollet potestque. Alterum, quod notant, in Diuturnitate. Seneca : « Jupiter quo antecedit virum Bonum? diutius Bonus est. » (Ibid.) Alibi idem : « Bonus ipse, tempore tantum a Deo differt. » (De Provid. cap. 1.) Iterumque alibi : « Sapiens vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo. » (De Constant. Sap. cap. 8.) Cicero etiam Stoicissans : « E Virtutibus vita beata exsistit, par et similis Deorum, nulla re, nisi immortalitate, qua nihil ad bene vivendum pertinet, cedens cælestibus. » (II De Nat. Deor.) Fatetur ecce (quis autem ambigat?) de Immortalitate : sed excusat et rejicit, quasi nec augendo esset. Ita et Seneca : « Quemadmodum ex duobus Sapientibus qui senior decessit, non est beatior eo, cujus intra paucos annos terminata Virtus est : sic Deus non vincit Sapientem felicitate, etiamsi vincat ætate. » (Ep. LXXIII.) Atque alibi

etiam elatius : « Quid inter te (Sapientem) et Deos interfuturum sit quæris? diutius erunt. At mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Tantum Sapienti sua, quantum Deo omnis ætas patet. » (Ep. LIII.) Et vis culmen stultitiæ? superaddit : « Est aliquid, quo Sapiens antecedat Deum, ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. » Sunt aliæ alibi tales voces : abhorreo et despuo : et ah! mei Stoici, quam a recto per elationem ivistis? Melius modestiusque Pythagorici, e quorum schola Archytas : « Differt Deus a viro bono, quod Deus quidem non solum puram et a fæce omni liberam Virtutem habet, ac labe affectuum humanorum; sed quod etiam vim ac facultatem ejus infatigabilem, et simul liberam neque obnoxiam possidet, ad æternorum scilicet operum majestatem et decorem respondentem. Homo autem, non solum ipsa constitutione mortalis naturæ minorem illam habet, sed interim etiam sive ob bonorum intemperiem, sive consuetudinem validam, sive naturam pravam, aliasque causas, non potest omnino ad culmen illud veri Boni pertingere. » (Stob. Ser. I.) Hæc vera, hæc sana sunt, præ tumore illo et vaniloquentia Stoicorum. Quos an excusare tamen leviter non fas est? Homines toti in Virtute, et ejus splendore oculos præstricti, divinum censebant quidquid ea tinctum esset. Atque utinam Divinum tantum, et in ea voce mansissent! ferremus; ut illa Homeri, θεοειδεῖς, θεοείκελοι, ἰσόθεοι, quæ magnis viris adsignat. Ferremus, inquam : imo laudaremus, sensu quem in alio scito Stoico video et amplector. Nam aiebant : « Divinos esse Sapientes; nam habere in seipsos quodammodo Deum. » (Laert. in Zen.) Habent, habent : et « nulla sine Deo mens bona est. » (Sen. Epist. LXXIII.)

DISSERTATIO XV.

XIII Parad. Sapientem omnia recte facere, etiam Digitum exserendo. Sine peccatis esse.

Sunt jam et alia quædam ab eodem isto Elationis fonte orta, et noscendi, non probandi causa, edisserenda. Tale hoc inopinatum : « Omnia recte facere sapientem, » quod cum adstrictione

aliqua sive interpretatione, capiendum : « Nimirum, quæ facit. Sicut quum dicimus Tibicinem vel Citharædum omnia recte facere, simul exaudimus ea nempe quæ ad Tibiæ vel Citharæ tractationem pertinent : ita omnia recte facere Prudentem, quæcumque facit, non hercules etiam quæ non facit. Nam omnia ad rectam Rationem facere eum ac dirigere, id est, Virtutem : quæ ars est ad omnem vitam spectans. » (Stob. Ecl.) Repetit alibi Eclogarius idem dogma : sed hoc ad fidem et sensum ejus sufficit, ex illo quidem. Plutarchus addendus est : « Stoici, inquit, neque Malo ullam Virtutem inesse, neque Vitium viro Bono censent : sed omnimodis illum quidem et semper peccare, hunc autem omnia recte facere. » (De audiend. Poet.) Consonat et illud, quod idem alibi : « Alexandrum, in quo omnes Virtutes permixtæ, confirmasse Stoicum illum sermonem, Quod quidquid facit Sapiens, ex omni Virtute facit. Et una quidem velut in principiis est et pugnat cujusque actionis, sed advocat alias, et conjungit ad suum finem. » (De Fort. Alexand. Orat. I.) Iterum Stobæana Electa : « Virum bonum perfectum esse dicunt, ideo quod nulla Virtute careat. » Atque hinc ortum illud minutum etiam Paradoxum, « Nec digitum temere ab eo exseri. » Quod in Epicteto ita legitur : « Philosophia dicit, quod nec digitum temere extendere oportet. » (Enchir. cap. ult.) Persius omnino adspexit, qui multa Stoica miscere solitus

Ni[1] tibi concessit Ratio, digitum exsere, peccas. (Sat. V, 119.)

Ita enim lego ; et est sententia : Ratio nisi tibi suaserit agere, quidquid agis, peccas. Huc, inquam, referendum est, non ad Gladiatores, qui victi digitum tollunt, cum Scholiaste. Planissime cum Persio (nostra lectione) Clemens Alexandrinus : « Nec digitum fortuitu agitare Sapienti concedit Ratio, ut Stoici dicunt. » (II Pædag. cap. 10.) Quod usque eo producunt, ut ipsa illa agitatio Bonum iis sit, et Utile etiam ; quia id ex natura omnis Boni. Irridet Plutarchus, ut solet, sed nos docet : « Si unus Sapiens ubicumque digitum protendat prudenter, omnes in orbe terrarum Sapientes juvantur. » (De Commun. Not.) Atque huic

[1] Vulgo *Nil* negando.

igitur scito adhæret alterum : « Impeccabiles Sapientes esse, quia labi non possunt. » (Laert. in Zen.) Quod a Cynicis transsumptum video, quorum effatum : « Sapientem sine peccato, imo impeccabilem esse. » (Laert. in Mened.)

DISSERTATIO XVI.

XIV Parad. Sapientes soli inter se amici ; soli amare gnari.

Sed et hoc præter communem sensum addatur, « Solum Sapientem amicum esse, et amare. » Noster Annæus effert : « solus Sapiens scit amare, solus Sapiens amicus est. » (Epist. LXXXI.) Epictetus hoc item numerat inter ea, quæ Philosophi παραδοξολογοῦσιν (*Præter opinionem dicunt*), et Dissertationem unam huic rei donat. (Lib. II, cap. 22.) Ratio huic dicto, quod nemo nisi Bona amat : solus ea Sapiens novit et discernit : solus ergo amat. Cicero : « Hoc primum sentio, nisi in Bonis amicitiam esse non posse. » (De Amicit.) Bonum autem, eumdem Sapientem ille ipse intelligit et appellat. Seneca : « Inter Sapientes tantum amicitia est; cæteri, non magis amici sunt, quam socii. » (De Benef. VII, cap. 12.) Laertius et rationem addit : « Dicunt (Stoici) amicitiam in solis Bonis esse, idque ob similitudinem. » (In Zen.) Bona ratio, et Quinctiliano Declamatori pulchre asserta : « Jungit amicitias similitudo morum, nescio quomodo inter se animorum lumina (ita lego) vident et agnoscunt; nec quisquam amare in altero potest, nisi quod tacitus probat. » (Declam. 182.) Veras autem hic amicitias intelligimus, non vulgares istas, infidas, incertas, et quas noster *Temporarias* alibi vocat. A tempore enim et eventis pendent : felicium illorum adseclæ, adversantium desertores. Non, inquam, has tales.

Ὄνομα γὰρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν, οἱ φίλοι,
Οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι·
Namque illi Amici nomen, haud rem vindicant,
In sorte tristi qui fidem non exhibent.

Quas igitur? Laertio ex Zenone descriptas. « Dicunt Amicitiam communionem quamdam esse omnium quæ in vita, aut ad vitam, amicisque nos uti tamquam nobis ipsis. » Duo igitur con-

tinet : Rerum communionem et consortium, itemque Personarum. Utrumque junxit pariter Pythagoras jam olim, qui, ut Timæus ait : « Primus dixit, Communia omnia amicorum esse, et Amicitiam, Æqualitatem. » (Laert. in Pythag.) Hoc ultimum belle concinnavit Isidorus Pelusiotes (lib. III) : ἰσότης, φιλότης. Seneca : « Consortium inter nos rerum omnium facit amicitia : nec secundi quidquam singulis est, nec adversi. In commune vivitur. » (Ep. CXLV.) Cicero : « Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum, cum benivolentia et caritate, consensio. » (De Amic.) Credo Stoicam et hanc finitionem esse : quanquam nec alii dissentiunt philosophorum.. Aristoteles « interrogatus, quid esset amicus? respondit, Una anima duobus corporibus inclusa. » Scite, et scitius hoc ipsum tamen Sidonius : « Animæ duæ, animus unus. » Dilutius Cicero : « Ultimum in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. » (Lib. IX, Epist. V.) Nostri, id est, Stoici, valde hoc intendunt : et volunt etiam præferri commoda et salutem amici, postponi sua. Ita amor alienus supra illum nostri sit : quod alii contente negant. Sed Seneca aperte : « Sapiens amicos sibi comparet, sæpe præferat. » Et iterum : « In quid igitur amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exsilium sequar, cujus me morti opponam et impendam. » (Epist. IX.) Iterumque alibi : « Amicitiæ illius veræ, cum qua homines moriuntur, pro qua moriuntur. » (Epistola VI.) Nonne hoc palam est, alium plus se amare. Et negat tamen Cicero etiam ubi Stoice multa disserit : « Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus, quam se amet, ego illum plus, quam me. Perturbatio vitæ; si ita, sit, atque officiorum omnium consequatur. » (III Tusc.) Iterumque in persona Catonis : « Quamquam in amicitia alii dicant æque caram esse Sapienti rationem amici, ac suam; alii autem sibi cuique cariorem suam : tamen hi quoque posteriores fatentur, alienum esse a justitia, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat. » (III De Fin.) Mollis, nec Catone satis digna oratio; etsi dissensus fortasse in hac re aliquis Stoicorum. Sed profecto qui Virtutis, id est, amicitiæ, vim videt, et amat : illam omnibus, etiam sibi, merito præfert, ut demus

quod non amicum. Fides ejus vinculum est : et quid miri, pro ea homines mori? Utilitatis causa illam adsciscì, Epicurei asserunt; nostri reclamant, et tenent, « per se expetendam. » Quare? quia secundum Naturam est. « Nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiæ. » (Sen. Epist. IX.) Satis de ista : de Amore breviter, qui est separandus. Seneca : « Amas me, amicus non es. Quid ergo? hæc inter se diversa sunt, imo dissimilia. Qui amicus est, amat : qui amat, non utique amicus est. » (Epistola XXXV.) Hoc notandum, ut Plutarchi quædam capiamus, imo et rejiciamus, acriter Stoicos incusantis : qui censebant, « e Sapientibus, etsi pulchri essent, neminem amandum, aut amore dignum esse : contra, juvenes etsi malos et stultos, eoque. quod sequitur, turpes, amandos tamen ; qui ipse amor desinat, simul ac Sapientes sint facti. » Hæc ille clamat : « præter communes notiones esse, et absurditatis omnis participantia videri. » (De Commun. Not.) Ne nimis, o bone. Minus est Amor, quam Amicitia : et ideo illo etiam Stultos dignantur, ista non nisi Sapientes. Et quos tamen Stultos? adolescentes bonæ spei, et Sapientiæ jam alludentes. Ipsa hæc illorum verba, contra te, tibi debemus : « Aucupium enim quoddam, vel venatio est Amor, adolescentis quidem imperfecti, sed bene nati. » Audiantur et Zeno et Chrysippus, e quibus Laertius hæc prompsit : « Et amaturum Sapientem adolescentes illos, qui in vultu præferant indolem generosam ad Virtutem : ut Zeno in Republica, et Chrysippus in Vitis scripserunt. » Quis damnet hæc aucupia? o capiantur, et sapere incipiant, amari desinant. Ille enim finis : et Amorem ipsum definiunt: Εἶναι ἐπιβολὴν φιλοποιΐας, διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον· quæ Cicero vertit : « Stoici Sapientem amaturum esse dicunt, et Amorem ipsum, conatum amicitiæ faciendæ, et pulchritudinis specie, definiunt. (IV Tusculan.) Ecce Amor ad Amicitiam illicium est, sed primo ad virtutem : ideoque solius Sapientis. Cynici olim : « Amaturum quoque; solum enim scire Sapientem, quos oporteat amare. » (Laert. in Antisth.) At ecce redeo in memoriam Apuleiani loci, qui valde huc faciebat, nisi exscriptores vitiassent. Verba sunt : « Bonos omnes oportet inter se amicos esse, etsi sunt minus noti : et potestate ipsa, qua mores eo-

rum sectæque conveniunt, amici sunt habendi. Paria quippe a similibus non abhorrent. Unde inter solos Bonos fidem amicitiæ esse constat. Sapientia Boni amatorem adolescentem facit, sed eum qui probitate ingenii sit ad artes bonas promptior. Nec deformitas corporis talem poterit abigere appetitum; nam quum ipsa anima complacita est, homo totus adamatur. » (De Phil.) Priora illa, plane nostra sunt et Stoica, id est, Socratica, ut Cicero aiebat : etiam sequentia, si emendas, et me arbitro debes. Nam quid hoc est, « Sapientiam facere adolescentem Boni amatorem? » ergo jam Sapiens ille est? amat Bonum et Sapientem? imo amatur, et verba eo censeam vertenda. Faciamque : « Sapientia Bonum amatorem adolescentem facit, sed eorum, qui probitate ingenii sint ad artes bonas proniores. » Sunt ipsa jam dicta : et quod statim legitur : « Eum qui sit ignarus Bonorum, cupitorem ejusmodi rebus esse : » negatione inserta scribendum : *non esse*. Ita videtur : si aliter, abeat, nec noster esto.

DISSERTATIO XVII.

Pluscula simul Paradoxa. Solum Pulchrum, Nobilem, Civem, Magistratum, Vatem, Rhetorem, et plura esse.

Sed an non tædio jam tot *Paradoxologiæ* (Inopinatæ sententiæ) sunt? contraham, et junctim, non tamen mixtim, quasdam dabo. Quasdam, vel eximias : et quæ plenam apud ipsos Stoicos vix habeant fidem. Talis hæc ista :

Solum Sapientem pulchrum esse. Cato apud Ciceronem : « Recte etiam appellabitur Pulcher; animi enim lineamenta sunt pulchriora, quam corporis. » (III De Fin.) Sext. Empiricus : « Stoici aperte dicunt, qui Prudentiam protulerint, solos esse Pulchros, solos Divites, solos Sapientes. » Ratio illius : « Qui est dignus amari, est pulcher : Solus sapiens amari dignus : solus igitur pulcher. » Seneca hæc tangit et profert, sed colorem magis allinit : « Errare mihi visus est, inquit, qui dixit :

Gratior est pulchro veniens e corpore Virtus. (Virg. Æn. V, 344.)

Nullo enim honestamento eget : ipsa et magnum sui decus est, et corpus suum consecrat. » (Ep. LXXVI.) Addit jocose de Cla-

rano suo condiscipulo, cujus ingenium male habitabat: sed, inquit, « cœpi Claranum nostrum intueri, formosus mihi videtur, et tam rectus corpore, quam est animo. Potest ex casa vir magnus exire; potest et ex deformi humilique corpusculo, formosus animus ac magnus. » Quis vel e vanis istis amatorculis abnuat? qui affectus suos donant ingenio et lepori sæpius, quam formæ. Si huic tantum: cur non tabula ametur? Itaque sciamus, « non deformitate corporis animum fœdari, sel pulchritudine animi corpus ornari. » (Ibid.) Vides mulierculas interdum personam sumere, et Saturnalitiis ludis fœdam, aut et virilem, faciem induere? non moveris, qui scis interiorem aliam esse. Hic simile; tegmen non aspicio: quod latet, splendidum et cæleste prænovi. Græcorum vox opportuna καλοῦ, quæ in utrumvis valet, et Bonum pulchrumque notat; quia recto judicio hæc juncta. « Consuetudo Scripturæ est (ait Augustinus) etiam speciosos corpore, Bonos vocare. » (De Civit. XV, cap. 23.) Vera dicit, et a causa jam dicta. Altera Paradoxologia:

Solum Sapientem nobilem. A Cynicis translatum, quorum erat: « Eosdem nobiles, qui et Probi essent. » Tenuerunt Stoici, ut alia, et definiebant: « Nobilitatem, habitum a genere, aut institutione, aptum ad Virtutem. » (De Comm. Not.) Itaque sive innatus is habitus, sive insitus a doctrina esset, solos Nobiles qui haberent. Quid jam autem?

Solum Civem, magistratum, prætorem, judicem esse sapientem. Plutarchus: « Sapientes solos Reges, Divites, Pulchros, Cives et Judices. » Laertius: « Præterea, ad magistratus, ad judicia, ad oratoriam solos aptos esse. » (In Zen.) Ubi et explicatio aliqua dicti ejus est: nimirum solos illos perfecte et bene munia hæc posse obire. Nam ut Zeno aiebat: « Novisse oportet magistratum Bona ac Mala, quod nemo Stultorum potest. » Quæ eadem ratio ad Judicem trahenda, etiamque ad Civem; qui Bonus et utilis civitati quomodo erit, legibus et rectoribus obediens, sine hac notitia? Potest et alio sensu; quia negant Respublicas ullas aut Civitates, nisi quæ sint Sapientum. Cicero hæc irridens aut spernens: « An illi unquam dicerent (Academici veteres) Sapientes solos Reges esse? solos Divites? Formosos?

omnia, quæ ubique essent, Sapientis esse? neminem Consulem, Prætorem, Imperatorem? nescio an ne Quinquevirum quidem quemquam, nisi Sapientem? solum Civem, solum Liberum? Insipientes omnes Peregrinos, Exsules, Servos, Furiosos? Denique scripta Lycurgi, Solonis, Duodecim tabulas nostras non esse Leges? nec Urbes denique aut Civitates, nisi quæ essent Sapientium? » (IV Academ.) Plura hic habes ejusce generis, sed a dicto fonte. Leges illæ tales non sunt vere Leges, quare? quia « Lex est recta ratio imperandi atque vetandi, insita a Natura » : tales non sunt illæ. Jam « Civitas est Cœtus hominum jure sociatus : » si leges aut jura non sunt, quomodo civitas? ad idem illud redimus. Sed ubi igitur Sapiens ille civis est? in magna hac et sua urbe, id est, Mundo. Pergimus :

Solum Oratorem, Poetam, Doctum, Vatem, Sacerdotem, uno verbo, omnia esse. Stobæus : « Solum aiunt Sapientem Vatem Bonum, et Poetam, et Rhetorem, et Dialecticum, et Criticum esse. » Nota, Bonum : esse possunt aliquatenus, quod ad artem; non Boni quod ad usum, atque etiam perfectionem. Nam in omnibus illis artibus Judicium et Consilium necessaria ; quæ desunt Stulto. Strabo : « Antiqui dicunt Philosophiam quamdam esse Poeticen : at nostri (id est, Stoici) etiam solum Sapientem dicunt Poetam. » (Lib. I.) Quid mirantur? nonne e vulgo Oratorem definiunt « Virum Bonum, dicendi peritum? » At bonus ille, est Sapiens. Jam de Sacerdote, in Laertio et Stobæo habes; quis autem ab illo alius Pietatem colit, quæ est Scientia divini cultus? nec sine ea Sacerdos est : ergo talis nemo Stultus. Breviter ; revocanda hæc omnia ad unum illud principium, « Omnia recte facere Sapientem » : de quo dixi. Athenæus, sive alius apud eum, subsannat : « Stoicum dogma est, quod omnia recte faciet Sapiens, etiam lenticulam condiet. » (Lib. IV.) Ita, ita, et hanc condiet, si lubebit : et quid amplius, Sartor et Sutor erit.

.... Non nosti, quid pater ille
Chrysippus dicat? Sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit : sutor tamen est Sapiens; quo?
Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque

Optimus est modulator.
.... Sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex. (HORAT. I, Sat. III.)

Igitur potestate hæc omnia est, si non facto. An non et facto ille Hippias olim, qui « omnia quæ secum habebat, nihil eorum emerat, sed suis sibi manibus confecerat? » (Apul. II. Florid.) vestes, calceos, annulum, gemmam scalptam, ampullam, strigilem. Jam Posidonius, et vulgo Stoici, « omnes artes, quibus in quotidiano usu vita utitur, volunt a Philosophia inventas » (Sen. Epist. tota XC.) : fabricam, et ejus ferramenta; metallariam artem, textoriam, pistoriam. « Quæ omnia, inquit, Sapiens quidem invenit; sed minora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit. » (Ibid.) Etsi Senecæ nostro contra videtur, et indigna hæc Sapiente : neque « abduxisse ab illis artibus, sed omnino non venisse. » (Ibid.) Satis hæc ista, et fructum Dissertationibus nostris, non risum captamus.

DISSERTATIO XVIII.

Paradoxa item mixta : Non injuria affici, non Insania, non Ebrietate.

ADDIDIMUS igitur Sapienti magna, parva : quædam ab eo et removenda sunt; illa ipsa præter vulgi sensum. Ut,

Sapientem non accipere injuriam. Stobæana : « Aiunt Sapientem injuriæ exsortem esse, ut qui nec capiat eam, nec inferat. Esse enim Injuriam, injustitiam quamdam cum dedecore aut damno conjunctam. » Hanc igitur non infert, quod clarum est, juvare tantum natus : sed neque infertur, quia non admittit, aut advertit, et sua virtute nixus, spernit ac rejicit infamiam omnem, sive damnum. Breviter, sed fortiter, Seneca : « Quid ergo? nemo erit qui lacessat, qui tentet? Nihil in rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat; sed non ideo divina minus in sublimi sunt, si exsistunt, qui magnitudinem multum ultra se positam non icturi petant. Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. » (De Const. Sap. cap. 3.) Et totum libellum, elegantem sane et alti spiritus, in hanc rem scripsit. Socraticum dogma, et Apuleius etiam sic expressit :

« Sapientem non solum inferre, sed ne referre quidem oportet injuriam. Non enim eam contumeliam putat, quam improbus faciat : sed eam non putat, quam patientia firmiter toleret. Quia quidem Naturæ lege in animo ejus sculptum sit, quod nihil horum possit nocere Sapienti, quæ opinantur cæteri Mala esse. » (De Philos.) Prima sunt pro jam dictis : ultima eo spectant, Infamiam, Calumniam, et hæc talia non magis Mala esse, quam Famam aut Adulationem, Bona. Addo,

Sapientem non insanire. Huic vis subest, qui semel bonus Sapiensque, semper esse : nulla vi, aut casu Virtutem eripi. Sed dissidebant in eo ipsi Stoicorum apices : « Virtutem Chrysippus amitti aut sperni posse ait; negat Cleanthes, et firmam hærere. Ille amitti, per Ebrietatem, aut Atrabiliosum morbum : iste, nec per illa, ob constantes manentesque comprehensiones. » (Laert. in Zenone.) Cleanthis sententia placuit Senecæ, et palam exprimit in istis : « Eo majore animo ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel traditi Boni perpetua possessio est. Non dediscitur Virtus; Contraria enim Mala in alieno hærent : ideo expelli et exstirpari possunt : fideliter sedent, quæ in locum suum venerunt. Virtus secundum Naturam est. » (Epistola I.) Et statim : « Virtutes receptæ exire non possunt. » Ad Chrysippea, facilis responsio; non enim in actione est Virtus : nec si illa impeditur, ejicitur ista. Supra doctum (Dissertat. III hujus libri) : et Laertius ante aliquid pro hac sententia : « Non insaniturum Sapientem. Incidere ei posse quidem Visa aliena et absona, per atram bilem aut delirium, non secundum rationem in eligendo, sed præter Naturam [1]. » Aliquid etiam tale in sequenti Paradoxo præcogita,

Sapientem non inebriari; quod ita in Laertio : « Vino obrutum iri quidem, non ebrium tamen futurum. » Quid ita? ratio in Stobæanis : « Non posse Ebrium fieri, mente præditum; nam Ebrietatem aliquid peccati habere et addere, atque esse delirationem a vino : in nullo autem peccare Sapientem. » Hoc dictum volunt; posse turbari vino, et facere ebriis solita : non tamen

[1] Vel etiam *A Natura*; nempe imbecilla, et succumbente.

esse Ebrium, quia in mente non destinaverat; et ea in recto firma perseverat. Ut Senecæ verbis (etsi ad paulo aliam rem aptatis) hic utar : « positione quidem mentis, et habitu tranquillus est, eventu non est. » (Ep. LXXIV.) Sed huic tamen nostro, non placet hoc Zenonium dogma (eo enim adspicit) ; et epistola tota suggillat. Posidonium etiam rejicit, interpretantem *Ebriosum* pro *Ebrio* (Epist. LXXXIII.) : quasi hoc Zeno voluisset, non solere neque amare Ebrium fieri. Merito rejicit : alia mens est, et quam dixi. Sed nec hanc approbat, imo impugnat : « Nam si, inquit, argumentaberis, Sapientem multo vino inebriari, et retinere rectum tenorem, etiamsi temulentus sit : licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec opio sumpto dormiturum, nec elleboro accepto, quidquid in visceribus hærebit, ejecturum. Sed si tentantur pedes, lingua non constat : quid est, quare existimes, in parte sobrium esse, in parte ebrium ? » (Ibid. in fine Epist.) Da veniam, doctor, hic parum firmiter argutaris. Quid hoc est, a corpore ad animum argumenta ducere? Fatemur corpus vim vini passum, et mentis instrumenta, Sensus : negamus mentem ipsam, in se sanam. Ipse paulo ante dixisti : « Virtutem non expelli, aut amitti » : hoc retine. Quid, quod Socraticum est, bibere nec mergi? Plato de eo : « Socrates in conviviis, bibere haud promptus, siquando adigeretur, omnes superabat; et, quod maxime mirabile, Socratem ebrium nemo homo vidit unquam. » (In Conviv.) Viden' Sapientem et bibere multum, et mente constare? AUD. O callide! non ea mens, quæ tua, Platonis; etiam sensibus constitisse Socratem, vult adfirmatum. Sed heus, non et talem ego Socratiscum hodie novi? LIPS. Sile, sile : disce hoc; et Zenonem a potione alium non fuisse : « qui interrogatus, quomodo, quum austerus ingenio esset, in vino et potu diffunderetur? Nam et lupini, inquit, et si amari, macerati et perfusi dulcescunt. » Quid tu, Seneca? suades ipse « nonnunquam usque ad ebrietatem veniri, non ut mergat nos, sed ut deprimat. » (De Tranq. cap. ult.) Audi : hoc fit Sapienti ebrio : multum, non male bibit; et serenandæ mentis causa, non turbandæ. Si autem hoc; a casu est, non ab instituto; ideoque ne culpa.

DISSERTATIO XIX.

Duo alia Paradoxa, atque etiam Paraloga nobis : Non ignoscere, Non misereri.

ATQUE hæc parva fortasse, an et prava quædam subjungo? Nostro et Christiano sensu ita sunt : aut valde necessum est flecti interpretatione, et emendari. Tamen videamus. Primum,

Sapientem non ignoscere. Stobæana : « Aiunt nunquam veniam dare aut ignoscere Sapientem : quum existimet, qui peccarit, non contra aut præter mentem peccasse, omnibus scilicet peccantibus propria malitia. Ideoque et recte dici, veniam non indulgere peccantibus. » Vult dictum, veniam non mereri, nisi qui ignari peccassent : nemo facit : nemo ergo meretur : neque Sapiens donat. Cicero hoc inter immania Stoicorum, sed apud populum, damnat : et causam tamen aliam ejus apponit. « Fatetur aliquis se peccasse, et ejus delicti veniam petit? nefarium est facinus, ignoscere. At leve delictum est. Omnia peccata sunt paria. » (Pro Murena.) Eo trahit ecce, quod minoribus ignosci soleat : talia non habent nostri, qui omnia æquant. Seneca iterum rationem aliam : « Venia, inquit, est pœnæ meritæ remissio. Ergo ei ignoscitur, qui puniri debuit : Sapiens autem nihil facit, quod non debet, nihil prætermittit quod debet; itaque pœnam, quam exigere debet, non donat. » (II De Clem. c. 6 et 7.) Dura et inhumana ista, inquiunt. Da aures Senecæ mitiganti : Sapiens quidem veniam non dat : « sed illud, quod ex venia consequi vis, honestiore tibi via tribuit. Parcit enim Sapiens, consulit, et corrigit. Idem facit quod si ignosceret, nec ignoscit : quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit omisisse. » (Ibid.) Satis intricate hoc ille : sed mox explicat, parcere ob causas; illi ob ætatem ; alii ob errorem, et quia in vino lapsus est ; alii ob causam culpæ, in specie sæpe honestam, « quæ omnia, inquit, non Veniæ, sed Clementiæ opera sunt. » (Ibid.) Adde, quæ addit. Huic adsidet :

Non misereri Sapientem. Cicero ponit : « Neminem misericordem esse, nisi stultum et levem. » (Pro Mur.) Laertius : « Mise-

ricordes non esse, veniamque nulli dare; neque enim prætermittere constitutas a lege pœnas.» Quæ ratio Justitiam spectat: quasi contra eam esset, remitti aut omitti pœnas. At Seneca noster, ubi ex professo hoc tractat, aliam etiam dat, et magis coloratam. Nam si pœnæ non remittendæ, ubi Clementia? Ipse igitur « Misericordiam vitium » dicit: etsi « plerique ut virtutem laudent, et Bonum hominem vocent, misericordem.» (II De Clem. cap. 4 et 5.) Quare vitium? quia circa Clementiam quidem posita est, sed extra modum: sicut Crudelitas, circa Severitatem. «Quid autem est? ægritudo animi, ob alienarum miseriarum speciem. Ægritudo autem in Sapientem virum non cadit.» Plura ibi, et lege; at Cicero pulchre etiam, et aliter, ex Stoicorum sensu damnat. « Cadit in eumdem et Misereri et Invidere, nam qui dolet rebus alienis adversis, idem rebus alicujus secundis dolet.» (III Tusc.) Divus Nemesius hoc ipsum: « Ægritudinis species sunt quatuor, Stupor, Molestia, Invidia, Misericordia. Invidia, ægritudo quæ ob alterius res secundas suscipitur: Misericordia, quæ ob res adversas.» (De Anima, c. 19.) Quid inhæreo? quum ad examen ventum est, vereor ut verbi, non rei sit hæc pugna. Nam Seneca fatetur, «non misereri quidem, quia non fit sine miseria (unde et nomen): sed omnia quæ, qui miserentur, dolentes facerent; hunc facturum alacri animo, ac libentem. Succurret alienis lacrymis, dabit manum naufrago, exsuli hospitium, egenti stipem. At faciet ista tranquilla mente, vultu suo.» Num qua hic durities aut inhumanitas est? Itaque exclamat noster, « Male audire apud imperitos sectam Stoicorum, tanquam nimis duram.» At hercules, inquit, « nulla benignior leniorque est, nulla amantior hominum, et communibus bonis attentior; ut cui propositum sit usui esse et auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere.» Hæc ita dicta et accepta non offendant fortasse: Christiani tamen nostri veteres vel verbi illius aversionem damnarunt. Augustinus: « Misericordiam, Stoicorum est, solere culpare: sed longe melius et humanius, et piorum sensibus accommodatius Cicero, in Cæsaris laude, locutus est, ubi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.» (De Civ. IX, cap. 5.)

Clemens item Alexandrinus : « Misericordia non est, ut quidam philosophi (Stoici) censuerunt, Ægritudo ex alienis malis : sed magis divinum quiddam est, sicut Prophetæ loquuntur. Misericordiam enim, inquit, volo, non sacrificium. » (IV Strom.) Negat Ægritudinem esse : et sane pulcherrime definire mihi visus Gregorius Nyssenus : « Misericordiam esse, erga adflictos cum dilectione conjunctam affectionem. « (Lib. De Beatitud.) Sicut enim Inhumanitas aut Durities ab Odio : sic Misericordia a Caritate causam et originem habet, imo est ipsa. Sed ait Clemens, « Divinum quiddam » esse ; nam et Deus quid magis usurpat ? quid magis etiam poscit? Ideoque obtinuit, ut quanquam Pietas Dei cultus sit, et intelligi soleat : « tamen more vulgi (ait Augustinus) hoc nomen etiam in operibus Misericordiæ frequentetur, quod ideo, inquit, arbitror evenisse, quia hæc fieri præcipue Deus mandat, eaque sibi vel præ sacrificiis placere testatur. » (De Civit. X, cap. 1.) Sed et apud veteres satis, bonosque scriptores, Pietas, et Pius, pro miti et miseranti.

DISSERTATIO XX.

Paradoxum singulare, Omnes stultos insanire : et Omnia vitia in omnibus.

Quæ ad Sapientem spectabant Inopinata, pleraque peregi ; superant, quæ ad Stultum. Nam et hic multa, nec multa nobis sunt : quia pangenda, et capienda fere omnia, ex jam dictis. In Sapientem quidquid expetit, in istum pariter : sic ut mutes, et adversa omnia ponas. In paucis exemplis ostendam, et reliqua inquisitioni tuæ permittam. Primum esto, oppositum nostro primo : « Stultos omnes ex æquo stultos, id est, pariter insanire. » Cicero inter pauca illa sua locandum censuit, proscripsitque : « Omnes stultos insanire. » Laertius : « Omnes stultos insanire ; neque enim prudentes esse, sed per æqualem stultitiæ insaniam omnia facere. » Ætiologia ista spectat ad Paritatem peccatorum : sicut antea Virtutum : atque ut Sapientes ex æquo Boni, nemo plus minusve, sic Stulti æqualiter Mali, id est, insani. Nam Insania Sapientiæ opponitur. Discreta ergo hæc duo,

Stultus et insanus? sunt; ex Ambrosii mente, « Stultus est qui nihil sapit, et stulta intelligit : Insipiens, qui mala sapit. » (In Psalm. 48.) Etsi mallem, Insanum pro Insipiente posuisset. Ut magis pro re dicam, Stultus est qui imperitus, et Scientiam non habet; Insanus intelligitur, qui ex imperitia atque imprudentia male facit, et stultitiam promit. Potestatem illa, actum hæc ostendit. E Cicerone hoc adstruas : « Stoici videbantur monstra dicere; nunc autem ita disserunt : omnes stultos insanire, ut male olere omne cœnum : at non semper. Commove, senties. » (IV Tuscul.) Pauca verba, nec proprie ipsius : agnosco Porticum; sed sententia, pro illa nostra est : et Stultitiam velut cœnum esse, quod tetrum odorem vi habet; in motu et agitatione, effectu promit. Idem etiam Cicero paulo aliter (quid vetat idem et vere et varie dici?) exponit : « Omnes perturbationes animi, Morbos philosophi appellant : negantque Stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt : et omnium Insipientium animi in morbo sunt : omnes insipientes igitur insaniunt. » (III Tusc.) Hic insipientes dixit Stultos : et puto verius, quam Ambrosius supra distinxit. Sed a morbo corporum, vocem docet ad hunc animorum translatam. Aiebat autem Laertius (notasti, aut debuisti) « æqualem stultitiam omnes insanire. » Quomodo? quia, sicut Sapiens « omnia recte facit, » (doctum a nobis) : ita « Stultus omnia male.

.... Nullo thure litabis
Hæreat in Stultis brevis ut semuncia recti. (PERS. Sat. V, 121.)

Seneca : « Ut vos (Stoici) dicitis, Omnes stulti mali sunt : qui autem habet unum vitium, habet omnia. » (De Ben. V. cap. 5.) Dicit et clarius : « Et cupidi omnes, et maligni omnes, et timidi omnes : adjice, et ambitiosi omnes, et impii omnes. » (Ib. c. 17.) Dii boni, non est hoc convicium generi humano facere? Cicero populariter ita interpretatur : « Nos autem, qui Sapientes non sumus, fugitivos, exsules, hostes, insanos denique esse dicunt. » (Pro Murena.) Sed mittamus coronam, soli sumus : itane dictum injuste? Zeno et illa manus repugnant : « quibus placet, nihil medium inter Virtutem et Malitiam esse : quum tamen Peripatetici medium interponant, Profectum. Sicut enim lignum rectum

aut curvum est; ita hominem justum aut injustum, idemque in ceteris.» (Laert. in Zen.) Hic cardo rei vertitur : malos aut probos omnes esse ; nullo medio; et Sanos igitur aut Insanos. Horatius satis contente hoc adfirmat, et alia similitudine item suadet :

Quem mala Stultitia, et quemcumque inscitia veri
Cæcum agit, Insanum hunc Chrysippi porticus et grex
Autumat; hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto Sapiente, tenet; nunc accipe quare
Desipiant omnes, æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere; velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit : unus utrique
Error, sed variis illudit partibus : hoc te
Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. (II Sat. III, 43 sqq.)

Ecce ait omnes Insanos, etiam illos qui hoc docent : id est, Zenonem, Cleanthem, Chrysippum : qui in profectu quidem sunt, sed nondum in certa via ; ideoque in errore. Apud Ciceronem alia etiam similitudo. « Nihil adjuvat procedere et progredi in Virtute, quo minus miserrimus sit, antequam ad eam pervenerit : quoniam in aqua nihilo magis respirant qui jam ad summam eam appropinquant, quam qui sunt in profundo : et quoniam catuli, qui jam despecturi sunt, cæci æque ut ii qui modo nati. Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat, æque cæcum animo, ac Phalarim fuisse.» (IV De Finib.) Et refellit ibidem, aut conatur ; sed nos sensa nostrorum exsequimur. Pro quibus et Empiricus : « Ex Stoicorum sententia in Stultorum numerum referuntur Zeno, Cleanthes, et Chrysippus, et ceteri ex sectis : quilibet autem Stultus tenetur ab ignoratione.» (Adv. Mathem.) Plutarchus ex professo ista aperit et damnat, libello *De Profectu in Virtute*, atque inter plura ait. « Stoici, inquit (eos enim intelligit, etsi nec nominat) multis controversiis scrupulisque referserunt philosophiam ; uno autem vel maximo, quod in unam æqualitatem Vitii omnes includunt, excepto Sapiente. Unde ænigma redditur illa, quæ dicitur, Profectio ; ut quæ parum differebat ab imprudentia extrema ; et eos qui non omnibus affectibus morbisque omnino liberi sint, æque infelices habent,

atque illos qui nullo soluti. » Atque addit deinde, eos istos a se ipsis refelli, qui « dum in scholis, inquit, clamant, parem injustitiam esse Aristidis et Phalaridis, improbitatem Meliti et Platonis; in vita tamen et rerum usu illos declinant et vitant, ut detestabiles; his adhærent, et audiunt, et fidem habent. » Hæc isti acriter, et cum colore, quem tamen nostri diluunt. Nam primum etsi omnes in vitiis, non tamen eodem modo; et quidam (ut qui progressum fecere) facilius possunt emergere, quam illi qui in fundo. Ita negabat Zeno « Platonem, si Sapiens non sit, esse in eadem causa qua tyrannum Dionysium; huic, mori optimum esse, propter desperationem Sapientiæ; illi propter spem vivere. » (Cic. IV Tusc.) Deinde non tam eminentia in omnibus vitia; quod Seneca noster optime it explicatum. « Stultus, inquit, omnia vitia habet : sed non in omnia natura pronus est. Alius in avaritiam, alius luxuriam, alius petulantiam inclinat. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos, Quid ergo? Achilles timidus est, Aristides injustus? Fabius temerarius? Mucius proditor? Camillus desertor? Non hoc dicimus, sic omnia Vitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent, sed malum ac Stultum nullo vitio vacare; nec audacem quidem timoris absolvimus, nec prodigum avaritia liberamus. Quomodo homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem; sic qui Stultus est, non tam acria et concitata habet omnia, quam quidam quædam. Omnia in omnibus Vitia sunt, sed non omnia in singulis exstant. » (VI De Ben. cap. 26 et 27.) Adde, quæ de cœno supra dixi : vi et natura sua semper fœdum, sed odorem exserit concitatum. Atque hæc mira satis aut nova videri, quid negem? aut quomodo aliter Inopinata sint? sed tamen nexa inter se esse, et defendi (si quis intendat) posse, habeo certum. Enimvero si supra, etiam nostrorum suffragatione, dictum, « Virtutes junctas, et qui unam habeat, habere omnes » : contrarium quidni verum, « Vitia juncta et nexa esse » ?

DISSERTATIO XXI.

Item singulare Paradoxum, Peccata æqualia esse.

PLURA de Stultis liceat persequi : non libet, manuduxi et præivi, qui fiat. Addo decantatum, sed et damnatum Paradoxum : « Æqualia peccata esse. » Cicero : « Placet Stoicis omnia peccata esse paria. » (IV Acad.) Idem alibi amplificat et extendit : « Omnia peccata esse paria ; omne delictum, scelus esse nefarium : nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, quum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit. » (Pro Mur.) Laertius ponit, et una causam : « Placet Stoicis æqualia peccata : ut enim Verum Vero magis tale non est, neque Falsum Falso ; ita nec fraus fraude, nec peccatum peccato. Nam et qui centum stadiis Canopo abest, et qui uno, pariter non sunt in Canopo : sic qui parvum vel magnum delinquit, pariter abest a recto. » (In Zen.) Duplex adfirmatio ; prior a natura rei ; omne enim Bonum, Verum est, omne Malum, Falsum ; atqui hæc æqualia ; ergo et ista. Deinde, a simili ; quicumque loco aliquo aut meta abest, pauxillo aut longinquo ; tamen abest : omne vitium a Bono abest ; ergo ea parte pariant. Apud Ciceronem, assertio etiam alia. « Peccata paria, quonam modo? quia nec Honesto quidquam honestius, nec Turpi turpius. Perge porro ; nam de isto magna dissensio est : illa argumenta propria videamus. Ut, inquit, in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit, omnes æque incontentæ sint : sic Peccata quia discrepant, æque discrepant ; paria sunt igitur. » Sed et aliud simile. « Ut gubernator æque peccat, si palearum navem everterit, et si auri : item æque peccat, qui parentem, et qui servum injuria verberat. » (IV De Fin.) Invidiosa hæc, non solum scruposa videntur ; quid ? inter parricidam, et gallicidam non discrimen[1] ? Qui tamen animum peccandi videt, et ab eo peccatum : æqualis ubique malitia, est in materia inæquali. Areopagitæ olim puerum interfecerunt, cui ludus erat hirundinum oculos configere ; videbant

[1] Hæc ex mente Stoicorum.

enim pravum illud insitum, et ad hominum exitium erupturum: necaverunt igitur in herba. Talis malitia, in omnibus malis. Discrimen igitur nullum? inquies; et cur leges faciunt, atque aliter aliterque puniunt? Imo aliquod est, nunc dicendum. Primum: « Æqualia quum sint peccata, tamen differunt in isto, quod alia a prava et vix sanabili affectione proveniunt; alia minime. » (Stob. Ecl.) En discrimen, a patrante: alterum ab eo in quem patrant, aut circa quod patrant. Parentem vides? plures tibi in eum adspectus et vincula Natura et Ratio injecit: quæ quum solvis, in pari malitia plus aut pluries peccas. Externum igitur aliquid est, quod discriminat, non in te situm. Cicero in hac re: « Nihil igitur interest, patrem quis necet, an servum? Causa hæc, non natura distinguit; nam et parenti nonnunquam adimi vita sine scelere potest, et servo non potest. Illud tamen interest, quod in servo necando semel peccatur; in patre, multa. Violatur is qui procreavit, qui aluit, qui erudivit: multitudine peccatorum præstat, eoque majore pœna dignus est. » (Paradox.) Audiantur et Stobæana Electa, (atque ea pleraque, ut odoror, e Chrysippo sunt) audiantur: « Æqualia quidem Peccata omnia, non sunt tamen similia. » Valde hoc nota, et quæ addunt: « Feruntur enim et manant omnia ab uno Malitiæ fonte, judicio in omnibus peccatis eodem, id est, pravo; sed per causam externam circa quam judicia perficiuntur, dissimilia redduntur Peccata (κατὰ ποιότητα) in qualitate. Sicut, omne mendacium est æque mendacium: ut si dicant, Nox est, quum Dies sit; aut Centaurus vivit et exsistit: illud potest, hoc non potest; ideoque magis mentiar, quam in illo. Sic in Peccatis, quæ omnia mendacia dicas; et quatenus talia, perfecta et æqualia; non tamen in qualitate eadem aut subjecto. » Talia quædam istic legas; nec dubito quin Chrysippus atque illi (nam quamdiu hæc, et quam acriter disputata?) subtiliora alia dixerint, quibus lubet indaganda. Nobis sententia hæc damnata est, et inter errores habita olim Novatianorum. Ambrosius (De Pœnit. c. 1.), atque alii Patrum notant, et, ut dixi, vere et severiter notant. Idem Divus Hieronymus, qui tamen finem et fructum ejus Dogmatis non celat: « Stoicorum quidem est, inquit, delicta omnia paria judicare,

nec ullum inter Scelus et Erratum discrimen facere. Nos vero, etsi multum inter Peccata distare credimus, tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cavere. Non cito ad majora procedet, qui etiam parva formidat. » (De Instit. matris fam.) A Cicerone hoc est, qui in isto ipso Paradoxo : « Hac sententia non modo verior, sed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla potest. Quæ vis est enim, quæ magis arceat homines ab omni improbitate, quam si senserint, nullum in delictis esse discrimen? » (III Paradox.) Est sane vetus, si non vera, sententia, nata ante Zenonem natum. Palam in Demosthene : « Pium et justum, sive in parvo aliquis, sive in majore transiliat, eamdem vim habet. » (III Philipp.) Germanum hoc Stoicum : et æque extra lineam est, quisquis transivit.

DISSERTATIO XXII.

Sapientem sumere aliquando mortem posse, decere, debere : ex Stoico quidem decreto.

Inter Paradoxa numero, quod acriter et curiose quæsitum assertumque fuit, An Sapiens sponte abeat e vita? Assertum a nostris dico : nec licere tantum, sed debere. Causæ communes, quia Vita hæc inter Indifferentia est, itemque ipsa Mors : sumi igitur, non sumi posse, uti opportunitas erit. Sicut a convivio satur possum surgere, et abire, ludum, quum libet, relinquere ; tale hic esse. Epictetus : « Cui enim libet, quum lubet, a convivio discedere, neque ultra ludere : etiamne is manens affligitur et nauseat? non potius, ut ludo, interest quamdiu oblectatur? » (II Diss. cap. 16.) Modus tantum et occasio has res temperant : « Neque interest multum, mors ad nos veniat, an ad illam nos. Illud imperitissimi cujusque verbum falsum esse, tibi persuade : Bella res est, mori sua morte. » (Sen. Ep. LXIX.) Semper enim tua erit, et maxime quam fecisti. Quid? januam aliquis hanc mihi claudat ad libertatem? et nonne hæc (Libertas, dico), finis aut fructus Sapientiæ est? torquebit aliquis, vexabit, illudet, invitum? « Non serviam, » aiebat puer ille Lacon, et præcipitem se dedit. « Qui mori didicit, servire dedidicit : supra omnem potentiam est, certe

extra omnem. Quid ad illum carcer, et custodia et claustra? liberum ostium habet. » (Ep. XXVI.) Hoc est illud ostium, de quo Epictetus : « Caput rei, memento, Quod Janua sit aperta; ne esto pueris timidior, sed ut illi, quum aliqua re non amplius delectantur, dicunt, Non ultra ludam : sic tu, quum talia aliqua videbuntur, dic, Non jam ludam, et desiste. » (I Diss. c. 24.) Januam dixi? lata imo *via* est. Statius ad Hemonidem, qui in ore Eteoclis se interfecerat :

Tu tamen egregius fati, mentisque, nec unquam
Indignum passure situm; qui cominus ausus
Vadere contemptum regis; quaque ampla veniret
Libertas, sancire viam. (Lib. III, 99 sqq.)

Vis videre quam lata? « Quocumque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum? illac ad Libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem brevem, retorridam, infelicem? pendet inde Libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? effugia Servitutis sunt. Nimis mihi, inquies, operosos exitus monstras, et multum animi ac roboris exigentes. Quæris igitur, quod sit ad Libertatem iter? Quælibet in corpore tuo vena. » (Sen. De Ira, III, cap. 15.) O limitem vere latum, et pæne, quidquid in orbe, complexum!

Hic alta rupes arduo surgit jugo,
Spectatque longe spatia subjecti maris:
Vis hanc petamus? nudus hic pendet silex,
Hic scissa tellus faucibus ruptis hiat:
Vis hanc petamus? hic rapax torrens cadit,
Partesque lapsi montis exesas rotat:
In hunc ruamus.

Et plura dic, non omnia ad exitum dices. Unam nascendi viam Natura dedit, mille moriendi. Igitur unam aliquam ingredi suadeat, sed consilio et causa. Nam « Sapiens vivit quantum debet, non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum quibus, quomodo, quid acturus. Si multa occurrunt molesta, et tranquillitatem turbantia, emittit se; nec hoc tantum in necessitate ultima facit, sed quum primum illi cœperit suspecta esse Fortuna. Nihil existimat sua referre, faciat finem an accipiat. » (Epist. LXX.)

Laertius magis distincte causarum quasdam aperit, inter Zenonia decreta : « Juste et cum ratione Sapientem educturum se e vita dicunt; vel pro patria, et amicis; vel si in acerbis doloribus versetur ; itemque membrorum mutilatione, vel morbis ægre curandis. » Triplicem dat causam, vel casum : pro Patria, et Amicis; in Animi, itemque Corporis dolore. De prima, consentiunt hodie : videamus alias, imo et addamus. Nam et in ultima paupertate, mori invitant. Dicit aliquis, « Necessaria deerunt? Primum deesse non poterunt, quia Natura minimum petit. Sed si necessitates ultimæ inciderint, exsiliet e vita, et molestus sibi esse desinet. » (Epist. XVII.) Quid hic Epictetus? fortiter, suo more atque indole : « Quum hodie repleti fueritis, sedetis plorantes et solliciti, quid cras comesturi sitis. Mancipium! si habueris, habebis : si non habueris, obibis; aperta est janua. » (I Dissert. cap. 9.) At parentes et amici mei plorabunt. Plorent, modo ne tu : ignavi et mali sint, ne tu. Zenonis hæc sunt, hominis tetrici et odiosi? sunt Epicuri, cujus ipsa hæc gnome prodita : « Malum est in necessitate vivere; sed in necessitate vivere, necessitas nulla est. » (Sen. Epistol. XII.) Idem in molestiis et dolore. Diogenes olim aspere ad Speusippum, morbidum, et in gestatorio sibi obvium, quum iste prior dixisset : « Salve Diogenes.—Tu vero, inquit, non salve, qui talis quum sis, vivere sustines. » Movit hominem, et contra sectæ suæ decretum, paulo post mortem sponte sumpsit. Aspere quidem hoc Cynicus, ut dixi, sed sensu, quem et Fabius acute expressit. « Nemo, nisi sua culpa, diu dolet. » (Præf. VII, Institut.) Quid ergo? ignaviter statim in morbo, aut dolore, e vita fugiam? negant nostri; et pro iis Seneca distinguit. Audi, scrutate : « Morbum morte non fugiam, duntaxat sanabilem, nec officientem animæ : non afferam mihi manus propter dolorem; sic mori, vinci est. Hunc tamen si sciero perpetuo mihi patiendum, exibo, non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur. Imbecillus et ignavus est, qui propter dolorem moritur; stultus, qui doloris causa vivit. » (Epist. LVIII.) Habes hic capitalem, ut sic dicam, rationem causamque moriendi : si quid externum tale erit, ut aut honeste, aut utiliter vi-

vere non possim. Honeste, negant Catonem potuisse; utiliter, Atticum, et tales, qui in extremo senio, aut morbo; nam et Senectutem inter causas habent. Noster: « De isto feremus sententiam, an oporteat fastidire Senectutis extrema, et finem non operiri; sed manu facere. Prope est a timente, qui fatum segnis exspectat: sicut ille ultra modum deditus vino, qui amphoram exsiccat, et fæcem quoque exsorbet. » (Ibid.) Sed mox ita decidit, et sententiam pronunciat: « Non relinquam senectutem, si me totum mihi reservabit; totum autem, ab illa parte meliore. At si cœperit concutere mentem, si partes ejus convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam, prosiliam ex ædificio putrido ruenti. » Animum senecionis nostri vides (talis jam erat, quum hæc scripsit); sed, o Deus, quam vegeti ea parte et valentis! Musonius, aut quis alius, apud Stobæum ista ipsa pulchre: « Sicut e domo exigi videmur, quum locator, pensione non accepta, fores revellit, tegulas aufert, puteum obstruit: ita et hoc corpusculo pelli videor, quum Natura, quæ locavit, oculos adimit, aures, manus, pedes. Non moror igitur amplius, sed velut e convivio discedo, nihil ægrescens. » (Serm. III.) Hæc ratio in Senectute valet, aut etiam corpore per morbos jam affecto; et quid opus tergiversari, et differre, quod statim est futurum? In pœnas, aut risum vivis:

> Cur non ut plenus vitæ conviva recedis,
> Æquo animoque capis securam, stulte, quietem? (Lucr. III.)

Quod nostri etiam longius, et ad res lætas, et corpus validum, producunt. Cato apud Tullium: « Sed quum ab his (quæ secundum Naturam sunt) omnia proficiscantur officia: non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his et excessum e vita, et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quæ secundum naturam sunt, hujus officium est, in vita manere: in quo autem sunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium est, e vita excedere. Ex quo apparet, et Sapientis aliquando esse officium, excedere e vita quum Beatus sit; et Stulti, manere in vita, quum sit miser. » (III de Fin.) Hæc germana sunt Stoica, sed obscurius dicta: an lux aliqua a Stobæo, id est, Chrysippo, erit? Aiunt (Stoici) interdum et exitum e vita Probis

Sapientibusque, ex officio multimodis convenire; et contra, Improbis Stultisque mansionem, etiamsi nunquam curæ habituri sint esse Sapientes. Neque enim vel Virtutem retinere in vita, vel Malitiam ejicere; sed ex officio vel non officio, æstimandam adjudicandamque esse Vitam, vel Mortem. » (In Eclog.) Lux tenuis, tamen aliqua; et radium etiam a Plutarcho addamus, qui miratur, si non hoc contra Communes Notiones dictum, « Hominem, cui omnia Bona adsint, quique nullo indigeat ad Felicitatem, huic convenire vita discedere: contra autem, cui nec Boni aliquid est, nec erit, gravia autem et Mala omnia adsunt, et ad finem aderunt, huic non convenire abdicare se vita, nisi aliquid indifferentium ei interveniat. » (De Commun. Not.) Non est, o Plutarche, contra communem sensum, nisi illorum, qui hæc inter Bona aut Mala habent. Nobis sunt Indifferentia: et pulchre philosophus quispiam super ipsa hac re disserens, quum Mortem talem dixisset: « Cur ergo non moreris? » injecit quispiam; atque ille prompte: « Quia indifferens est. » Omnino, non statim Sapiens ad eam venit tristibus, lætisve rebus; sed Officium in consilio habet. Decet me vivere? vivo. Usus est? vivo. Nihil horum? non vivo. Læta me circumstant? sed tempestatem imminentem video: cur feram ultra Spei aut Metus moras? « Illum lauda, et imitare, ait Seneca, quem non piget mori quum juvat vivere. » (Epist. LIV.) Neque rem magnam facies; quamdiu est istud vivere? hodie, cras, post mensem, annum ejicieris, unde non lubet exire. Ad summam, Vita est quasi tunicula; ut illam si me stringit et molesta est, abjicio; aut si etiam indecora est, exuo: tale in hac animi veste. Neque soli Stoici ista: Plato, qui adversarius validus censetur, ubi judicio maxime disserit, istuc fere abit. Inter leges optimæ illius reip. est hæc: « Quid si autem aliquis, inquit, maxime propinquum et familiarem interfecerit? id est, seipsum. Hunc talem damnamus, et probris afficimus, quæ sequuntur: si tamen fecerit, neque civitatis decreto jussus, neque intolerabili aliquo et inevitabili Fortunæ casu adactus, neque ignominia pauperis et non sustentandæ vitæ adductus. » (Lib. IX, De Leg.) Vides exceptiones poni, quas fere nostri; etsi magis (fatendum est) re-

strictas ; nam excipit « Damnationem publicam , » qualis in Socrate, et Seneca fuit : excipit « Graves casus : » excipit extremam « Paupertatem et ignominiam : » ad quæ capita, reliqua fere trahas. Culpat duntaxat eum , « qui ignavia, et timidi animi imbecillitate injustam sententiam in se tulerit, exsecutusque sit. » Et nos hercle damnamus. Sed quam multi alii ad αὐτοχειρίαν (*sui interfectionem*) istam monitis vel factis ducunt ? Ajax apud Sophoclem :

> Αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρήζειν βίου,
> Κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται·
> Nam turpe vitam diutinam viro peti,
> Malis eum quæ liberatura haud siet. (In Ajace flagellif.)

Et post pauca ejus sententiæ :

> Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ δὲ καὶ τεθνηκέναι
> Τὸν εὐγενῆ χρή·
> Sed aut honeste vivere, aut statim mori
> Generosum oportet.

Quid Plinius ? ille vero « Terram matrem etiam venena , nostri misertam, instituisse » credi vult : ut scilicet : « facillimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine exstingueremur , nullo labore , *sitientibus similes.* » (Lib. II , cap. 63.) Et hercle jam olim viri primarii , atque ipsi Reges , venena ad manum habere soliti , ad hunc subitum aliquem usum. Livius : « Regio more , ad incerta Fortunæ , venenum sub custode promptum. » Ecce et ministrum e fidis , huic custodiæ. Neque nescio infinitos usurpasse : quid tamen ? Abstinentia sive Inedia mitior meliorque videri possit ; si quid fas in mala re bonum dici. Illa lente, et sine vellicatione aut pugna , quam venena adferunt , et septimo fere die tollit. Plinius : « Homini non utique (id est, non certo et semper , etsi plurimum) septimo die letalis Inedia : durasse et ultra undecimum plerosque certum est. » (Lib. VII , cap. ult.) A robore et constitutione interna hoc pendet. Sicut in Azano Bassa Turcico , qui nostra memoria Algerio in Africa præfuit ; is supra modum bene habitus et pinguis , de medicorum sententia abstinere cœpit , eoque paulatim produxit , ut septem totos dies inediam ferret, sine noxa ; imo macresceret , id est, revalesceret in multos deinde annos. Exempla autem , qui se subduxerint e vita,

si vel magnorum tantum virorum adferam, quis finis sit? aut quid factius faciam? rationibus enim in hac re, aut irrefragabili certe auctoritate pugnandum sit, ut est divina; et hæc damnat. Omitto igitur, duobus contentus, quæ sunt culminum ipsorum. Porticus nostræ. Zeno jam nonaginta octo annos natus, cætera valens atque integer, quum e schola veniens pedem offendisset lapsusque esset, manu terram pulsans, Euripideum illud occinit: « Venio, quid appellas me? » et domum regressus sponte vitam posuit. Cleanthes, ulcere in ore nato, quum suasu medicorum abstinuisset se cibo biduum, meliusque jam factum esset, iisdem ad cibum revocantibus, abnuit: « Nec majore viæ parte confecta, se rediturum. » Ita inedia obiit. Hæc pro Stoicorum sensu dicta sunto, quibus placita interim spontanea hæc ἐξαγωγὴ, plene et libere, sed pro illorum.

DISSERTATIO XXIII.

Decretum hoc rejectum, et ostensum non licere, non debere, mixtis rationibus testibusque.

Aud. Heus tu, an non aliquid inclinas? Lips. Absit: respuo. Quod accuratius dixerim, candide et magno a me animo factum. Causæ prævaricari numquid debui? et pleraque omnia igitur attuli, nec dicta iis subduxi, quia vincere constitui, non circumscribere. Ecce enim omnes istos aliosque colores una Veritatis spongia jam ibo detersum. Audi, et intende. Aio plerisque omnibus priscæ et veræ Sapientiæ, sententiam hanc damnatam. Homero in primis: apud quem hoc votum exprimitur:

Βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν·
Eligam ego, vel in agris vivens inservire
Pauperem apud dominum, cui nec sit copia victus,
Quam functus functis dare jura, atque imperitare. (Odyss. λ. 498.)

Item magno Pythagoræ; qui « vetat, (ait Cicero) injussu Imperatoris, id est, Dei, de præsidio et statione vitæ discedere. » (De Senect.) Quid Platoni et asseclis? communis hæc assertio, « Piis omnibus retinendum esse animum in custodia corporis,

nec injussu ejus, a quo ille ést datus, ex hominum vita migrandum esse; ne munus humanum, adsignatum a Deo, defugisse videamur. » (Cic. in Somn. Scip.) Et Apuleius inter illius dogmata : « Sapiens corpus non relinquet invito Deo. Nam etsi in ejus manu est mortis facultas, et quamvis sciat se terrenis relictis consecuturum esse meliora; nisi perpetiendum istud lex divina decreverit, accersire tamen eum mortem non debere. » (De Philos.) Sicut enim quos magistratus in carcerem aut custodiam dedit, nisi ejus venia non exeunt; si faciunt, pœnam sibi adaugent : ita si quis velut furtiva discessione e vita abit, non vitari miseriam, sed cumulari. Talis enim anima metu, dolore, odio fecisse id videtur; quas passiones secum aufert, et his velut sordibus infecta, non venit ad liberos purosque illos locos. Virgilius Platonissans :

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas; quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem, et duros perferre labores!

Una duntaxat mors licita, atque adeo laudata; illa, quum Anima corporeas illecebras, adhuc in corpore constituta, contemnit, et soluta illis vinculis cælo et sideribus meditatione infertur : de qua sentimus, quum dicimus, « Philosophiam mortis studium esse. » Talia, et plura, Platonici : jam Aristoteles, palam hanc spontaneam mortem damnat; atque id ratione. Ait enim tantum abesse, ut viri fortis aut magnanimi talis exitio sit, ut contra timidi et ignavi. Verba ejus : « Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud molestum, non est fortis viri, sed timidi. Mollities enim, fugere difficilia et aspera, neque mortem, ut bonum sustinet, sed malum fugiens. » (III Ethic. ad Nicom. cap. 7, et ad Eumdem. lib. III.) Euripides Herculem loqui consimiliter facit.

Ἐσκεψάμην δὲ, καίπερ ἐν κακοῖσιν ὢν,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν', ἐκλιπὼν φάος.
Ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ' ὑφίσταται,
Οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιτ' ὑποστῆναι βέλος·
Consideravi ego, malis etsi obrutus,
Ne quis timorem, vita abire, censeat :
Nam qui malis subsistere haudquaquam est potis,
Nec ille contra tela subsistat viri.

Et apud Curtium pulchre : « Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quam odisse vitam. Sæpe tædio laboris, ad vilitatem sui, compelluntur ignavi ; at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque ultimum omnium mors est, ad quam non pigre ire satis est. » (Lib. V.) Est ergo Ignaviæ : quid, quod Sævitiæ etiam est? Immergis in te ferrum, aut venenum : et id quod alteri factum horreas, in te prompte usurpas. Varro ad hos tales :

Quamnam te dicam esse feram,
Qui manu corporis fervidos
Aperis lacus sanguinis,
Atque vita te levas
Ferreo ense ?

Adde injustitiam. Quæ enim lex divina aut humana permittit innocentem tollere ? quæ indemnatum tollere? Si tu alium, culpæ et pœnæ, vel te judice esset : qui magis te poteris? Egregie Augustinus : « Hoc fecit illa, illa sic prædicata Lucretia : innocentem, castam, vim perpessam Lucretiam Lucretia insuper interemit. Proferte sententiam leges, judicesque Romani. » (I De Civit. cap. 19.) Denique dicam et Stultitiæ esse. Quis enim nescit, impetu hoc sæpius et furore quodam, et fervida impatientia, quam consilio aut deliberato fieri? Quinctilianus attestabitur : « Non fiunt ista, nisi subito ; nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente causa) spiritum ratione deposuit. » (Declamat. CCCXLIV.) Postremo, an non contra Naturam est? nec ipse Zeno diffitebitur, Mortem esse inter ea quæ illa rejicit et adversatur. Est, inquam, ita Indifferens, ut tamen inter *Apoproegmena* sive Rejectanea sit. Ne sit mala, tamen habet mali speciem : et « sui cuique amor est, et conservandi se permanendique insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis. » (Sen. Epist. LXXXII.) Cur igitur, quod aspernandum erat, sumis? Cur tantum momenti in aliis illis Indifferentibus ponis, ut ad hoc tam triste decurras? Augustinus belle vobis hic insultat : « Quæ mala Stoici, inquit, miror qua fronte Mala non esse contendant ; quibus fatentur, si tanta fuerint, ut Sapiens ea vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibi inferre, atque ex hac vita emigrare. » (De Civ. XIX. c. 4.) Misera Beatitudo, quæ desi-

nere et exstingui ob Indifferens aliquod debeat. Itaque ipsi Stoici, modestiores sæpe et sapientiores voces spargunt a Vero adacti. Epictetus alibi fervidorum istorum vota aut tædia commemorat: « Epictete, nos corpusculi hujus vinculis adstringi diutius non possumus : cibum potumque dando, dormiendo, lassi sumus. Nonne Mors mala non est? nonne cognati deorum sumus, atque inde venimus? Sine tandem liberari compedibus istis, atque illuc redire. Hic latrones, fures, judicia sunt, et quos tyrannos vocant; qui potestatem sibi in nos sumunt ob hoc corpusculum, et quæ adhærent. Sine ostendamus eis, quam nihil in nos habeant juris. Libet, libet abire. » (I Dissert. cap. 4.) Hæc isti : quid autem ipse? « Mihi vero dicendum est, inquit : Homines sustinete, Deum exspectate, donec ille signum dederit, et solverit vos hoc ministerio; tunc ad eum redite. Nunc autem in præsenti tolerate æquo animo, et incolite regionem istam, in qua vos collocavit. Enimvero exiguum tempus hujus incolatus, et facile nec grave iis, qui sic sunt affecti. » O vere hic Epictetum! id est, divinum. Sed et Seneca noster sæpe temperat : « Vides quosdam, inquit, optantes mortem, et quidem magis quam rogari solet vita. Nescio utros existimem majorem nobis animum dare, qui deposcunt mortem, an qui hilares eam quietique operiuntur; quoniam illud ex rabie interdum ac repentina indignatione fit; hæc ex judicio certo tranquillitas est. » (Ep. xxx.) Alibi talia notes; sed etiam alia : neque in una parte constiterunt. Sed quid lusoria hæc tela spargo? decretoriis opus est. Deus, Deus inquam, vetat injussu suo abire : quid disputamus, aut nugamur? Vox ejus Sacris nostris prodita. *Non occides* : quem? non te, non alium : et scito illum vitæ dominum tantum, qui dedit. Itaque patientiæ exempla infinita apud nos sunt : et vita in molestiis transacta; et tormenta tolerata; et mors ipsa ob pietatem obita, sed obita, non sumpta. Atqui exempla etiam alia, dicet quispiam. Samson ille, per quem mira Deus operatus, non se ruina domus, cum aliis oppressit? Razias Judæus se gladio percussit, ne in hostium potestatem veniret, et mox de muro dejecit, denique et intestina manibus suis sparsit? quod Sacra ita narrant, ut speciem probantium habere videantur. (II Mach. cap. 14.) Respondeo, de

Samsone, nihil sine Deo, imo jussione ejus factum. Instinctus hic fuit: et « spiritus latenter hoc jusserat (Augustini verba), qui per illum miracula faciebat. » (I De Civit. cap. 21 et 26.) Simile idem ille Doctor in virginibus censet, quæ mortem sumpsisse, ne violarentur, leguntur. Ut in Sophronia, quæ Maxentii libidinem repulit, gladium in se admisit: ut in Pelagia, quæ flumine ultro mergi, quam a milite pollui, elegit. Monitum aut jussio Dei hic quoque præsumenda: et « quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? » (Ibid.) De Razia, haud æque promptum definire est. Factum ejus probum? ambigitur, neque Sacra dicunt, nisi Nobiliter et Viriliter fecisse: Bene aut Laudabiliter non dicunt. Et fatendum est, Judæos posteriores a moribus gentium paulatim aliquid sumpsisse; a quibus certe fuit, quod tam crebræ illæ sui cædes leguntur in excidio Judææ atque urbis, quod Josephus descripsit. Enimvero cum Augustino tuto definimus: « his exceptis, quos vel Lex justa, vel ipse fons Justitiæ Deus jubet occidi, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, Homicidii crimine innecti. » Et nulla tamen, inquies, exceptio est? Quid igitur si Magistratus aut Princeps mortem mihi indicat, non possim aut debeam exsequi? Fuere enim, et sunt tempora aut regiones, quibus id fiat. Sub Tiberio, Nerone, Domitiano, commune mittere Tribunum aut Centurionem, et extremam necessitatem denunciare. Si quis pareret, et mortem occuparet; manebant testamenta, justa funeris, pretium (ait Tacitus) festinandi. Sin autem; ecce carcer, carnifex, laqueus, Gemoniæ, fiscus. Apud Japanes etiam hodie usitari aiunt, ut Rex offensus nobilium alicui mandet, « Abi, ventrem tibi scinde »: et ille pareat, faciatque. In his igitur talibus, ecquid dicendum? Primum, quid Stoici, videamus; nam et illi hic aliquid decernunt. Seneca: « Aliquando, etiamsi certa mors instabit, et destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit Sapiens pœnæ suæ manum. Stultitia est, timore mortis mori. Veniet qui occidat: exspecta, quid occupas alienum negotium? » (Epistola LXX.) Propior neganti hic videtur: sed statim cum distinctione tamen aliqua, etiam admittit. « Non possis, inquit, de re in universum pronunciare. Multa enim sunt, quæ in utramque

partem possunt trahere. Si altera mors cum tormento, altera simplex et facilis, quidni huic injicienda sit manus? Quemadmodum navim eligam navigaturus, domum habitaturus; ita mortem utique, qua sum e vita exiturus, meliorem.» Definit ecce, eligi posse et debere viam ejus mitiorem : et ipse a Nerone mori jussus, fecit. Quid autem nostri hic Theologi? firmiter nescio, et audio in Scholis dissentire. Si tamen vere dicimus Legem et Magistratum posse occidere, cur non etiam tali et tali modo, vel manu? Quum mihi jubent, cur non paream? Jubeant, dico; nam aliud fortasse, si tantum permittant. Enimvero et hoc evenit, ac quæri potest. Ecce Massiliæ olim, «cicutæ venenum publice custodiebatur, quod daretur ei, qui causas Sexcentis (id enim Senatus ejus nomen erat) exhibuisset, propter quas mors esset illi expetenda.» (Valer. II, cap. 6.) Illi audiebant, cognoscebant, definiebant. Idem in Græcia alibi, et insula Ceo. Quid igitur? an illis approbantibus, qui jus vitæ necisque in me habent, licebit? Non opinor, nec enim ipsi adigunt, sed euntem te ultro non sistunt. Decreto tuo comites, non auctores se præbent. Sed omitto, et satis habeo universe docuisse, Mortem arbitrii nostri non esse : nec Stoicis me, hac parte, suffragium dare. Eamus porro.

DISSERTATIO XXIV.

Conclusio, et ad Exercitium adhortatio ; cui tria adjumenta vel instrumenta data, Exempla, Conversatio, Examen.

Quo autem? nam ad metam venimus, nec super Decretis plura mihi video dicendum. Hortandus tantum es, in animum dicta admittere, ad usum et opus exserere, id est, facere, fructum. Aud. Admittere hæc, tuo quoque judicio, alta sæpe nimis et grandia? Lips. Admittere; sed cum hac prænotione, talia interdum esse; bono tamen et utili quodam fine. Exemplaria quædam ista perfectæ Virtutis sunt : adnitere, citra consistes. Cicero hoc, ad Catonem : «Mihi videntur præceptores vestri et Virtutis magistri fines officiorum paulo longius protulissse : ut quum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen ubi oporteret, consis-

teremus [1].» (Pro Murena.) Contendamus, mi Auditor, atque etiam consistamus; nunquam facturi, nisi Scientiæ Usum et Exercitium adhibemus. Sicut « parum est audisse (ait Epictetus) probas Drachmas accipiendas, falsas rejiciendas esse; sed opus est facultate probandi et discernendi » (I Dissert. c. 7) : ita haud in magno de Bonis Malisque audisse; tractanda sunt et pernoscenda usu; tum hæc fugienda, illa amplectenda. Quid juvat ista omnis dissertio et indagatio, si ea tantum? « Non enim qui sermone sapit, is mihi sapit (ait vir sanctus), nec qui linguam disertam et volubilem habet, mentem autem inconstantem et indoctam : sed magis, qui pauca de Virtute disserit, multa autem factis ostendit, et fidem verbis suis ipsa vita conciliat. » (Greg. Theol.) Sed et cum Seneca monemus : « Pars virtutis disciplina constat, pars exercitatione. Et discas oportet; et quod didicisti, agendo confirmes. » (Epist. XCIV.) Diogenes Cynicus dictitabat : « Nihil omnino in vita, sine exercitatione recte perfici, hanc autem posse omnia evincere. » Vera sunt : nec militem, nec athletam, nec in ulla re artificem solis præceptis, sine ista præstes : non item in Sapientia, quæ ars est vitæ. « Zeno Stoicus (apud Clementem) dictitabat, malle se unum videre Indum qui sponte flammis absumatur, quam omnes de Patientia audire et discere probationes. » (II Strom.) Quod si aliena facta sic movent et juvant, quid tua? Tria autem ad Exercitium utiliter instituendum conducent, Exempla, Conversatio, Examen. Exempla et a veteribus licet sumere, quos jure miramur; atque etiam e notis aut novis deerunt, quos in tali re imitere. « Opus est iis, ad quos mores nostri seipsi exigant : nisi ad regulam, prava non corriges. » (Sen. Epist. XI.) Sed Conversatio juvabit maxime; de qua Seneca : « Nulla res magis animis honesta induit, dubiosque et in pravum inclinantes revocat ad rectum, quam bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, aspici frequenter. Occursus mehercule ipse Sapientium juvat; et est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. » (Ep. XCIV.) Quid imo juvabit

[1] Ita lege sine negatione : quæ male in quibusdam libris.

ille ipse vel cogitatus? Nam et Senecæ hoc monitum admitte : « Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. » (Ep. XI.) Sicut Pædagogum pueris damus, qui ducat et coerceat : sic tener adhuc « animus aliquem habeat, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. » (Ibid.) Neque aliud signum certius progressionis in Virtute et profectus, quam Bonos sic amare et admirari. « Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. » (Ibid.) Ac tertium, auxilium, Examen est; super omnia efficax, meo animo, et salubre. Dupliciter adhiberi potest, Ab aliis, et A sese. Ab aliis, ut si cui doctores ac magistri sunt; aut si quo in cœtu talis disciplina. Uti olim apud Indos sapientes, quos Gymnosophistas dicebant; de quibus Apuleius : « Igitur ubi mensa posita, priusquam edulia apponuntur, omnes adolescentes ex diversis locis et officiis ad dapem conveniunt. Magistri perrogant, quod factum a lucis ortu, ad illud diei, bonum fecerint? Hic alius se commemorat inter duos arbitrum dilectum, sanata simultate, amicos ex infensis reddidisse : inde alius, sese parentibus quippiam imperantibus obedisse : alius, aliquid meditatione sua reperisse, vel alterius demonstratione didicisse. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur. » (I Florid.) O pulchrum institutum! et numquid vel apud Christianos, melius possit? Sed ubi hoc non est, ad Pythagoreum illud transeundum : et « quid quoque die dixeris, audiveris, egeris, vespere commemorandum. » (Cicer. de Senect.) Hoc est, Apud te, quod dixi Examen instituere, et ipsum tibi velut censorem aut judicem ferre.

> Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
> Quid prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
> (LAERT. PYTHAG.)

Faciebat hoc P. Sextius, laudatus nobis antea vir, « ut consummato die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum; Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? » (Sen. De Ira III, c. 37.) Et noster ille Seneca, in aula, in conjugio, in studio semper ut

negotio, quod miremur, usurpavit. « Utor, inquit, hac potestate, et quotidie apud me causam dico. Quum sublatum est lumen, et conticuit uxor moris mei jam conscia, totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo, quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, quum possim dicere, Vide ne istud amplius facias; nunc tibi ignosco. » O vel hoc argumento virum bonum, virum magnum! et qui non scripsit sensitque solum talia, sed fecit! nos quoque, tu meus, et Examen hoc, stimulum et protelum Virtutis, quotidie adhibeamus. « Quid enim pulchrius hac consuetudine, excutiendi totum diem? qualis ille somnus, post recognitionem sui, sequitur? quam tranquillus, altus, ac liber? quum aut laudatus est animus, aut admonitus, et speculator sui censorque secretus judicat de moribus suis! » (Ibid.) Et in his monitis te dimitto: Sapientiam, et doctores ejus ama, et me, qui conatus esse.

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA

AD NOVATUM

LIBER I.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

Libri *De Ira* scripti inter philosophiæ primos videntur, certe inter eos quos habemus. Suspicamur ex verbis Senecæ, lib. III, cap. XVIII, *modo C. Cæsar Sex. Papinium, cui pater erat consularis, Belienum Bassum, quæstorem suum, flagellis cecidit.* Ait, *modo :* Jam nunc recenti facto. Immo ipso Caligula vivo, e cap. sequenti : *Quod tantopere admiraris, isti belluæ quotidianum est : ad hoc vivit, ad hoc vigilat, ad hoc lucubrat.* Sane hæc omnia de homine qui est, non fuit. Scripsit tunc igitur : sed non edidit (melior illi mens), etsi statim opinor ab ejus morte.

I-II. Irati habitus et species externa, et ea fœdissima, una cum, iis quæ iram erupturam indicant atque sequuntur, initium libri constituunt. — III-IV. Transit deinde ad iræ notionem exponendam, aliorum definitionibus adjectis et dijudicatis, contra quas eam quam ipse dederat, defendit. Annexa est quæstio, an in feras ira cadat : qua quidem negata, iræ quædam species describuntur. — V-VI. Deinceps sequitur prima quæstio, an ira secundum hominis naturam sit : cui aptam esse negat ex ipsa naturæ humanæ indole ; quin etiam a puniendo alienam esse iram docet. — VII-XII. Deinde, quum Peripateticis placet iram non omnino vi sua carere bona et maximi ad virtutem bellicam momenti esse, nec a bello abesse posse, Seneca iram non solum inutilem, sed adeo funditus tollendam suadet contenditque. Ac primum docet fieri non posse, ut moderetur iram, qui semel ab ea abripi se passus sit, quippe quæ virtutem et opprimat et expellat, ut virtuti nullum auxilium afferre queat. Deinde nec bellatori quidem suppetias ferri ab ira ostendit, utpote quæ, nisi regatur, sævissima excitet pericula, ideoque iis qui ei obtemperent, manifesto sit exitio. — XIII-XVI. Quibus expositis, immoratur potissimum Peripateticorum decretis de affectibus humanis et regendis et limitandis. Quæ propterea inprimis falsa pronuntiat, quod ira nec ideo bonum quid esse possit, quoniam incrementum ejus omni bono et virtute careat : quippe quo major, hoc fiat pejor. Sapiens itaque improbo non irascetur : nostra enim propensio in vita nos commonefacit, ut ignoscamus : nec pœna cum ira conjuncta esse debet. Sic transit oratio ad discrimen, quod inter iram et rationem, quam quidem judex, quamvis severus, sequi debeat, intersit : ira autem eum haudquaquam decet. Finis libro imponitur iræ descriptione ad Peripateticos refellendos instituta, atque propemodum repetita.

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA

LIBER PRIMUS.

CAP. I. Exegisti a me, Novate [1], ut scriberem quemadmodum posset ira leniri : nec immerito mihi videris hunc præcipue affectum pertimuisse, maxime ex omnibus tetrum ac rabidum. Cæteris [2] enim aliquid quieti placidique inest : hic totus concitatus, et in impetu doloris est [3] : armorum, sanguinis, suppliciorum minime humana furens [4] cupiditate : dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa

I. ARGUMENTUM. Describit iræ habitum externum, quo quidem se indicat, et signa iræ affert eorum simillima quæ furenti propria esse solent. Hanc descriptionem, quæ laude sua non caret, etsi uberiorem eam dixeris, iterat II, 35; III, 3, 4: haud dubie propterea, quod a se vix impetrare potest Noster, ut materiam describendæ rei perquam idoneam nactus e manibus dimittat, quam tamen prætermittere interdum satius fuisset. Similes descriptiones invenies ap. *Mosen Mendelss. phil. Schrift.* II, 34, 35, et *Engel. Mimik.* II, 206.

1. Ille Novatus est M. Annæus Novatus, Senecæ frater, qui postea Jun. Gallio dictus est, quum a L. Jun. Gallione quodam adoptatus fuisset. Aptissime ad eum missi sunt isti *De Ira* libri, quum mansuetudine et modestia commendatissimus fuerit; quod vel ex his intelligas quæ, quum in Achaia proconsul esset, Judæis dixit qui ante illius tribunal D. Paullum, tunc Corinthi agentem, superstitionis novæ reum duxerant. « Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Judæi, recte vos sustinerem : Si vero quæstiones sunt de verbo, et nominibus, et lege vestra, vos ipsi videritis : judex ego horum nolo esse. » Vid. Act. Apostol. XVIII, v. 12, 13 sq.

2. *Cæteris.* Nempe *affectibus.*

3. *Est* pro *constat*, *continetur.*

4. *Furens* est antiqua lectio ab omnibus scriptis exhibita, quam Edd. in *fruens*, Muretus in *fervens* sine causa idonea mutaverunt. Furentium signa mox occurrunt : lib. III, cap. 3, homo in hominem furens, etc. Proinde reduxi.

irruens tela [1], et ultionis secum ultorem tracturæ [2] avi-
2 dus. Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam [3]; æque enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum [4] immemor, in quod cœpit pertinax et intenta, rationi consiliisque præclusa, vanis agitata causis, ad dispectum [5] æqui verique inhabilis, rui-

1. *In ipsa irruens tela*. Eodem fere modo iram describit Juven. Sat. VI, v. 648: « .... rabie jecur incendente, feruntur Præcipites; ut saxa jugis abrupta, quibus mons Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit. »

2. *Ultionis secum ultorem tracturæ avidus*. Locus in codd. corruptus, ut qui dant: *Multam rem tractare*, nullo sensu. Donec meliora edoceamur, Scriverii conjecturam, ex Erasmi et Mureti emendationibus enatam, et a Gronovio avo docte probatam, amplectamur, Senéca quippe haud indignam. Inest autem acumen, quod Noster amat, e. c. Nat. Q. lib. V, c. 18. « Bellum scilicet et obvius in litore hostis, et trucidandæ gentes tracturæ magna ex parte victorem. » Ep. 101, « trahere animam tot tormenta tracturam »: alia exempla dat Gronov. ad h. l. — *Ultionis.... tracturæ*, quod explicari possit: « Ex qua novus ultor orietur. » Nam qui illatum malum ulciscitur, malum ipse infert cujus mox altera ultio repetenda est. Quod sic Æschylus in Choephoris, v. 453: Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ, δίκα δίκᾳ; et supra v. 392, sqq. dixerat... Νόμος μὲν φονίας σταγόνας χυμένας ἐς πέδον ἄλλο προσαιτεῖν αἷμα. Cf. et jam quomodo eamdem sententiam expresserit magnus *Racine*, *Britannicus*, act. IV, sc. 3. Quamvis supra propositus sensus et rationi plane congruus sit, et allatis auctoritatibus optime confirmetur, tamen propter ambiguam vocem *ultorem* alio modo locus hic intelligi potest, scilicet: « Avidus ultionis quæ eum ipsum qui ulcisci vult in exitum tractura est. » Hunc locum sic intelligit *Lagrange*: « Elle poursuit sa vengeance, dût-elle y succomber. » Hunc ego sensum antepono, quod cum verbo *irruens* omnino consentiat, et quod *ultorem* non tunc voci *ultionis* opponi posse videtur, et quod idem fere dicat ipse Seneca hoc ipso libro, cap. 5, 2: « Ira in periculum, dummodo deducat, descendere. » Ed.

3. *Quidam itaque e sap.... insaniam*. Horatium, Epist. I, 2, 62, qui iram *brevem furorem*, sive Ennium, qui, Cicerone teste, *initium insaniæ* dixit, respexisse videri potest. Utiliter conferri potest, Jo. Stobæi Serm. XVIII, (XX.) p. 154. sqq. ed. J. Gesner. Philemon poeta comicus (ib. l. I): μαινόμεθα πάντες, ὁπόταν ὀργιζώμεθα: Cato priscus (ibid, p. 160): τὸν ὀργιζόμενον νόμιζε τοῦ μαινομένου χρόνῳ διαφέρειν. Apollonius Macedo (ib. p. 158), τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος μανία, iracundiæ flos furor. Cæterum Aristoteles ibidem iram appellat affectum belluinum (πάθος θηριῶδες), cædium causam, calamitatis sociam, noxæ et dedecoris auctorem, opum perniciem, ad hæc perditionis originem. Quæ hic a Nostro vividius elata vides.

4. *Necessitudinum*, id est, propinquorum, amicorum, uno verbo omnium de quibus Gallice diceremus *liens*. Ed.

5. *Ad dispectum*, id est, ad dispiciendam et discernendam justitiam:

nis [1] simillima quæ super id quod oppressere franguntur.
Ut autem scias non esse sanos quos ira possedit, ipsum 3
illorum habitum intuere : nam ut furentium certa indicia
sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies,
citatus gradus, inquietæ manus, color versus [2], crebra
et vehementius acta suspiria ; ita irascentium eadem signa
sunt. Flagrant, et micant oculi, multus ore toto rubor, 4
exæstuante ab imis præcordiis sanguine [3], labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli; spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complosæ sæpius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens [4], fœda visu et horrenda facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias
utrum magis detestabile vitium sit, an deforme [5]. Cætera [6] 5
licet abscondere, et in abdito alere : ira se profert, et in faciem exit, quantoque major est, hoc effervescit manifestius. Non vides, ut omnium animalium, simul ad no-

namque vir iratus « fas atque nefas exiguo fine libidinum Discernit. » Hor. lib. I, Od. 18, v. 10 et 11. Ed.

1. *Ruinis*. Τὸ *ruinæ* rariore potestate de ædificiis, aliisve corruentibus usurpatur; sic ap. Liv. XLII, 63, « transcendere ruinas; » Virgil., Æn. I, 129 « Cæli ruina. »

2. *Color versus*. Scilicet rubens prius mox in pravum mutatur; nam mox si acrius succenseant, candentes fiunt qui irascuntur; unde ad iram designandam usitata et *exardescere* et *incandescere*. Ed.

3. *Flagrant.... ab imis præcordiis sanguine*. Eadem omnino iræ signa colligit Ovidius, de Arte Amator. lib. III, v. 503. « Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ; Lumina Gorgoneo sævius igne micant. » Ed.

4. *Magnasque minas agens*, lect. var. *magnasq. iræ m.* τὸ *iræ* pro glossemate habeo, a margine, ubi explicative additum, in textum intruso. Lipsii *magn. intra m.* Senecæ adversatur, quippe habitum externum irati descripturo. Cæterum displicere potest, quod a finitis ad indefinitum quid delabitur, *magnasque m. a.*

5. *Deforme*. Ut enim pulchris decus quoddam lacrimæ adjiciunt, sic ipsam pulchritudinem iræ impetus deformat : unde quidam fabulantur fœminam quamdam quæ in id vitium prona erat, oblato speculo dum desæviret, in melius statim mutatam. Ed.

6. *Cætera*, supple vitia, ut supra (§ 1) post *cæteris*, affectibus. Ed.

cendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum quietumque egrediantur habitum, et feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu [1], taurorum cornua jactantur in vacuum, et arena pulsu pedum spargitur [2]: leones fremunt, inflantur irritatis colla serpentibus [3], rabidarum canum tristis adspec-
6 tus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo [4], simul ira invasit, nova feritatis accessio. Nec ignoro, cæteros quoque affectus vix occultari; libidinem, metumque, et audaciam dare sui signa, et posse prænosci; neque enim ulla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moveat in vultu. Quid ergo interest? quod alii affectus apparent, hic eminet [5].

1 II. Jam vero, si effectus ejus damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit [6]. Videbis cædes ac venena, et reorum mutuas sordes [7], et urbium clades [8],

1. *Spumant... attritu*, scil. arborum. Hesiod. Scut. Hercul. 388. Κάπρος χαυλιόδων...... θήγει δέ τε λευκὸν ὀδόντα Δοχμωθεὶς, ἀφρὸς δὲ περὶ στόμα μαστιγόωντι Λείβεται κ. τ. λ. fere expressa vides.

2. *Taurorum cornua.... spargitur.* Hæc Virgilio, Æn. XII, 104-106, sublecta esse videntur. Totus hic locus disjecta poetæ membra continet.

3. *Inflantur..... serpentibus.* Virg. Æn. II, 381: « Attollentem iras et cærula colla tumentem » Ed.

4. *In illo simul* a Gronovio avo e Codd. repositum est: antea erat in edd. *in illo ubi.* Simul esse i. q. simul atque, postquam, nunc notissimum est. Alioqui Noster amat τὸ *ubi*, eadem potestate.

5. *Eminet.* Sic Tullius In Verr. de Suppl. § 170: « Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. » Ed.

II. Arg. Procedit oratio ad effectus et damna iræ. A damnis minoribus, quæ quasi privata appellaveris, puta, ab accusationibus mutuis (reorum mutuas sordes vocat), ad majora progreditur.

6. *Pluris stetit.* Hoc est, pluris constitit; nulla pestis mala plura, ut sibi indulgeret, peperit. Ed.

7. *Reorum mutuas sordes.* Id est, cives sese invicem accusantes. Albam togam qua vulgo utebantur rei linquebant, et pulla vel atra, quæ *sordida* et obsoleta erat, quo facilius judicum miserationem moverent, toga induebantur, unde *sordes* et *squalor* pro criminatione, *sordidatus* pro reus. Vid. T. Liv. lib. II, c. 61; et Cic. in Verr. 1, c. 58. Ed.

8. *Urbium clades, etc.* Exempla cujusvis rei digito tantum a Nostro monstratæ hic congerere velle, ne-

et totarum exitia gentium, et principum sub civili hasta
capita venalia [1], et subjectas tectis faces, nec intra mœnia
coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili
flamma relucentia. Adspice nobilissimarum civitatum fun- 2
damenta vix notabilia [2] : has ira dejecit [3]. Adspice solitu-
dines per multa millia sine habitatione [4] desertas : has ira
exhausit. Adspice tot memoriæ proditos duces, « mali
exempla fati [5] » : alium ira in cubili suo confodit [6]; alium [7]
inter sacra mensæ ira percussit; alium inter leges cele-
brisque spectaculum fori lancinavit [8]; alium filii parrici-

que magnæ disquisitionis, neque certi consilii res foret : quandoquidem liberæ conjecturæ est, quum auctor ipse non addiderit. Cogitasse autem videtur de Sulla, Mario et Triumviris, quorum proscriptiones notæ sunt, et a Nostro sæpe taxantur, de urbibus et populis funditus deletis, Carthagine, Numantia, etc.

1. *Principum sub hasta..... venalia.* Bene nota est *auctio sub hasta.* Illi hostes Romanorum qui arma sponte abjecerant et se dederant, incolumes et liberi et sui juris manebant; qui vero in acie aut post expugnatam urbem capti erant, vendebantur, sive *sub corona*, quod, imposita capiti corona, venales indicabantur; seu *sub hasta*, quod eo loco hasta muro figebatur in quo auctio fiebat, et sub ea stare jubebantur qui vendebantur. — Animadvertenda est insuper vox *principum*, quæ *civili* opponitur. Ed.

2. *Vix notabilia*, scilicet, ita diruta ut vix agnoscenda sint. Multa urbium sic dirutarum exempla eloquenter congerit *Racine le fils : Poëme de la Religion*, ch. 1 :

Peuples, rois, vous mourrez, et vous, villes, aussi.
Là gît Lacédémone; Athènes fut ici.

3. *Has ira dejecit.* His consona canit Horatius, lib. I, Od. 16, vs. 17 et sqq. « Iræ Thyesten exitio gravi Stravere, et altis urbibus ultimæ Stetere causæ cur perirent Funditus, imprimeretque muris hostile aratrum exercitus insolens. » Ed.

4. *Habitatione.* I. M. *Heusinger*, Isenacensis olim Director Gymn. meritissimus et conditor familiæ eruditæ Heusingerorum, quæ hodieque floret, e cod. palat. tert. et optimo cod. colon. ap. Gruter. in append. animadvers. p. 619, legendum censuit; *habitatore*, inciso facto post hab. Nihil muto. Vid. ejusd. Emendationum libr. II. a Jac. Frid. Heusinger. Gothæ, 1751, p. 228. sqq.

5. *Mali exempla fati* ex poeta aliquo desumtum videtur, immo iambicorum fragmentum ego esse reor, et sic scribendum : « ..... mali Exempla fati.... » Ed.

6. *In cubili.... confodit.* In his loqui videtur de Scipione Africano altero, qui, quum Tib. Gracchi necem publice probasset, postridie repertus est in lecto interfectus. Ed.

7. *Alium inter sacra mensæ....* Loquitur de Clito, quem Alexander inter sacra mensæ, i. *e.* ut hospitem suum, trucidavit. (II, 36).

8. *Alium.... lancinavit.* Loquitur de Asellione prætore, quem lancinavere

dio dare sanguinem jussit[1], alium servili manu regalem aperire jugulum[2], alium in cruces membra dividere[3].
3 Et adhuc singulorum supplicia narro; quid? tibi si libuerit, relictis in quos ira viritim exarsit, adspicere cæsas gladio conciones[4], et plebem immisso milite contrucidatam, et in perniciem promiscuam totos populos capitis damna passos . . . .[5] tanquam aut curam nostram deserentibus, aut auctoritatem contemnentibus. Quid? gladiatoribus quare populus irascitur[6], et tam inique, ut inju-

feneratores sibi adversarium (Val. Max. IX, 7), sive de Gracchis, qui interfecti sunt *legibus* perferendis occupati. — *Lancinavit*, quod et multis scriptum *lacinavit; idem* est ac *laceravit.* — *Spectaculum*, id est *concionem*, adstantem multitudinem.

1. *Alium filii parricidio.... jussit.* Scil. ira. Intelligo de patre, quem scelestus (parricidio) filius interfecit. Ratio enim loquendi τοῦ *sanguinem dare* convenit τῷ *pœnas dare :* forte cogitavit de Jul. Cæsare, quem Brutus interfecit. Sueton. Cæs. 82. 88. Moneo ne Harpagum (III, 15) Senecæ hic obversatum cogites.

2. *Alium servili.... jugulum.* Hic alicui servo alludit qui regem trucidavit : cujus memoriam revocare non possumus; nisi hæc sint declamatoria verba, nec ullum facinus spectent. Ed.

3. *Dividere.* Alii *diffindere*, *distendere* : aberrationes librariorum.

4. *Cæsas gladio conciones.* Ad Sullanam sævitiam refero, qua deditiios sex millia in circo Flaminio prope ædem Bellonæ trucidari jussit. Plutarch. Sulla, c. 30, 31. Florus III, 28, urbes deletas enarrat.

5. *Passos..... tanquam.* Lacunam magnam hic esse ad unum omnes enarratores observarunt, et res ipsa clamat. Fuere autem hic iræ definitiones plures (cf. Lactant. in libro de Ira Dei ad Donatum, c. 17, p. 743. ed. Heumann). Suam sane primo proposuerat, quæ videtur fuisse : « Iram esse pœnæ exigendæ cupiditatem, ex injuria ortam. » Postea varias exposuerat, quibus refutatis, (uti et sequentia clare docent) processerat disputatio ad refellendam definitionem hancce : « Iram esse exigendæ pœnæ ob contemtum cupiditatem. » Jam quum populum gladiatoribus ignave se interdum gerentibus ideoque contemnentibus iratum in rem suam laudassent adversarii, respondet Seneca : illam non esse veram iram, sed quasi iram. Hinc explices, quod mox sequitur : *curam* (i. e. intentionem) *deserentibus* (i. e. non satis facientibus). Conjectura : *Diis deserentibus*, ut de Providentia sermo sit, nihil est.

6. *Gladiatoribus..... irascitur.* De hoc quoque Tullius pro Milone, c. 34: « Etenim si in gladiatoriis pugnis et in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos et supplices, et, ut vivere liceat, obsecrantes etiam odisse solemus.... » Vid. quoque et cf. Nostri Epist. VII et de Tran-

riam putet, quod non libenter pereunt [1]? contemni se judicat, et vultu, gestu, ardore, de spectatore in adver-
sarium vertitur. Quidquid est, certe non est ira, sed 4
quasi ira : sicut puerorum, qui si ceciderunt, terram verberari volunt, et sæpe nesciunt quidem cui irascuntur, sed tantum irascuntur sine causa et sine injuria, non tamen sine aliqua injuriæ specie, nec sine aliqua pœnæ cupiditate. Deluduntur itaque imitatione plagarum, et simulatis deprecantium lacrimis placantur, et falsa ultione falsus dolor [2] tollitur [3].

III. « Irascimur, inquit [4], sæpe non illis qui læserunt, sed 1
» his qui læsuri sunt : ut scias iram non tantum ex inju-
» ria nasci. » Verum est, irasci nos læsuris : sed ipsa cogitatione nos lædunt, et injuriam qui facturus est, jam facit. « Ut scias, inquit, non esse iram pœnæ cupidita-
» tem, infirmissimi sæpe potentissimis irascuntur : nec
» pœnam concupiscunt, quam non sperant. » Primum

quillitate animi, cap. 2, et quæ Lipsius Saturn. Lib. II, cap. 22. Ed.

1. *Pereunt*, verum est : nam timidos et supplices in gladiatoriis pugnis, et qui supplicabant ut vivere liceret, etiam odisse solebant Romani : ut Cicer. et Senec. locis supra citatis. *Percimunt*, quod Lipsius in suo codice invenit, pessimæ igitur notæ est. Lacunæ signa ob has causas apposui.

2. *Falsa ultione falsus dolor.* Falsa dicitur ultio, quia *fallitur* puer quum de inanimatis rebus ultionem ferre velit ; *falsus* dicitur dolor, quia est injustus. Ed.

3. *Dolor.... tollitur.* Cujus rei clarum exemplum dedit, non puer quidem, sed magnus quidam rex, puero parum sapientior, Xerxes scilicet, qui mare verberibus plecti, in illudque catenas injici jussit, quod sibi injectum pontem fregisset. Ed.

III. Arg. Refutat definitiones et objectiones : et primo loco Posidonium, celeberrimum Cn. Pompeii magni tempore Stoicum, cujus definitionem Lactantius affert : Iram esse cupiditatem puniendi ejus a quo te inique putes læsum. Deinde attingit Aristotelis definitionem : est ea in Rhetor. lib. II, c. 2. Ἔρω δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ μὴ προσηκόντως. Denique refutat, qui suam et Aristotelis finitionem impugnent.

4. *Inquit.* Semel monemus esse intelligendum : aliquis adversarius ; objicitur, objicis, notante I. M. Heusing. ad Cic. de Offic. III, 6, 14. post J. F. Gronov. ad Liv. XXXIV, 3.

diximus [1], cupiditatem esse pœnæ exigendæ, non facultatem : concupiscunt autem homines et quæ non possunt [2].
3 Deinde nemo tam humilis est, qui pœnam vel summi hominis sperare non possit; ad nocendum potentes sumus. Aristotelis finitio non multum a nostra abest; ait enim, iram esse cupiditatem doloris reponendi [3]. Quid inter nostram et hanc finitionem intersit, exsequi longum est [4].
4 Contra utramque dicitur, feras irasci, nec injuria irritatas, nec pœnæ dolorisve alieni causa; nam etiamsi hoc efficiunt, non hoc petunt [5]. Sed dicendum est, feras ira carere, et omnia [6] præter hominem : nam quum sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum : iram quidem non magis, quam luxuriam; et [7] in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi qui dicit :

> Non aper irasci meminit; non fidere cursu
> Cerva; nec armentis incurrere fortibus ursi [8].

1. *Primum diximus*. In his sane quæ desunt (cap. 2). Ed.

2. *Concupiscunt autem homines et quæ non possunt*. An id verum sit plurimi forsan dubitant. Aristoteles quidem : οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὐτῷ (Rhetor. lib. II, 2); in quibus videatur Senecæ contra sententiam ire; immerito tamen si ad τῶν φαινομένων respicias : namque hæc duo vera sunt : et multa nos concupiscere quæ nullo modo fieri possunt, et nihil ex iis concupiscere quæ impossibilia arbitramur. Ed.

3. *Reponendi*. Hoc habent omnes libri et scripti : ap. Lactant. l. l. est *rependendi*, pro explicatione habendum.

4. *Quid inter.... longum est*. In eo differunt ambo philosophi, quod Seneca et dolorem (λύπην) excludit, sine quo Aristoteles iram non nasci pronuntiat, et de origine iræ diversa statuit. Exspectasses antea, utcunque longum sit, de hoc discrimine ut quædam monuisset.

5. *Contra utramque.... non petunt*. Objectionem contra utramque finitionem ex sententia Stoicorum redarguit : dolorem quidem efficiunt feræ, sed non *petunt*, i. e. consilio ejus efficiendi carent. Ubi enim ratio abest, et affectus absunt : impetus feris tantummodo tribuunt Stoici. (Lipsii manuduction. III, 7.) *Tiedemann, Geist der spekulat. Philos*. II, 490. (*Esprit de la Philosophie spéculative*.)

6. *Omnia*. Malim *animalia* : ellipsis enim durior est, quam ut intelligas, animalia.

7. *Et* ponitur hic pro *attamen*, *etsi*.

8. *Non aper*, etc.... *ursi*. Versus

Irasci dicit[1], incitari, impingi. Irasci quidem non 4
magis sciunt, quam ignoscere. Muta animalia[2] hu-
manis affectibus carent : habent autem similes illis quos-
dam impulsus[3]. Alioqui si amor in illis esset, et odium
esset ; si amicitia, et simultas ; si dissensio, et concordia ;
quorum aliqua in illis quoque exstant vestigia : cæterum
humanorum pectorum propria bona malaque sunt. Nulli
nisi homini concessa providentia[4] est, diligentia, cogi-
tatio : nec tantum virtutibus humanis animalia, sed etiam
vitiis prohibita sunt. Tota illorum ut extra, ita intra,
forma humanæ dissimilis est[5]. Regium illud, et princi- 5

sunt ap. Ovid. Metam. VII, 545, 546. de lue mortifera qua Ægina insula, Æaco imperante, fuit vastata.

1. *Irasci*, etc. Incitari, impingi, hæc poeta iram vocat.

2. *Muta animalia*, etc. Hic locus incipit de discrimine animi humani et belluini celeberrimus. Cui cf. Gatack. ad M. Antonin. lib. IX, c. 8. Lubricam tamen, quin falsam esse, hanc Stoicorum argumentationem facile est intellectu : et ipsa naturæ vel levis inspectio refragatur. Cf. Reimari *über die Triebe der Thiere*, (l. e. *sur les penchans des animaux*), et *Irwing* (*Erfahrungen und Untersuchungen über den Menschen, Expériences et Recherches sur l'Homme*, Tom. II, p. 3. sqq.) — Neque sunt omittendi : *Boullier, Essai philosophique sur l'ame des bêtes* (1728, 2 vol.), et, inter multa Gallorum philosophorum, sublimis locus in libro *De la Connaissance de Dieu et de soi même*, ch. 5, *de la Différence entre l'homme et la bête. Bossuet.* Ed. — *Muta animalia* dicit Nost. pro *ratione carentia*. Notum enim ob id ingenii humani vim acerrimam esse quod quæ ingenio cogitata fuerunt voce et verbis mox efferuntur : unde optime Cicero *homo animal rationale quia orationale*. Et τὸ *muta* aliquando invenias sine additamento dictum de feris, ut in hoc Juvenalis : Sat. XV, v. 142 et 143. « .... separat hoc nos A grege *mutorum*.... » Tantam illam vocis potestatem, quam Veteres tantummodo præsenserant, recentiores philosophi omnibus perspectam effecerunt. (Vid. *Condillac, Art de Penser*, passim ; *Langue des Calculs ; De Gérando, Des Signes*, etc.) Ed.

3. *Impulsus*. Quod dicimus *instinct*. Ed.

4. *Providentia* merito recepit Gronov. Mss. et plerisque edd. jubentibus ; est enim Stoicorum πρόνοια, quam latine licere providentiam dicere monuit Cicero, de Natura Deorum, lib. I, cap. 8. Antea enim erat *prudentia*.

5. *Forma humanæ dissimilis est*. Prope eamdem cogitationem concinne et breviter expressit Juvenalis, Satira XV, v. 147, et sqq. « ....Mundi.......... conditor illis Tantum *animas*, nobis *animum* quoque.... » Ed.

palę aliter dictum [1], ut vox est quidem, sed non explanabilis, et perturbata, et verborum inefficax : ut lingua, sed devincta, nec in motus varios soluta; ita [2] ipsum principale parum subtile, parum exactum. Capit [3] ergo visus speciesque rerum [4], quibus ad impetus evocetur, sed turbidas et confusas. Ex eo procursus illarum tumultusque vehementes sunt : metus autem, sollicitudinesque, et tristitia, et ira non sunt; sed his quædam similia. Ideo cito cadunt, mutantur in contrarium : et quum acerrime sævierunt, expaveruntque, pascuntur, et ex fremitu discursuque vesano statim quies soporque sequitur [5].

1 IV. Quid esset Ira, satis explicatum est [6] : quo distet ab iracundia, apparet; quo ebrius ab ebrioso, et timens a timido [7]. Iratus potest non esse iracundus : iracundus

1. *Regium illud et principale aliter dict.* Quod Gronov. in omnibus membranis invenerat, et, Mureti mutationibus temere factis, quas hic enotare nihil attinet, ejectis, reduxerat, amplexus sum. Sensus est : Animalia habent quidem animum (τὸ ἡγεμονικὸν, *regium*, ab aliis Stoicis *principale* appellatum) uti vocem et linguam, quæ tamen verba effingere non possunt; sed parum subtilem, etc. Animum autem Stoici, octo potestatibus constare putantes, quinque sensibus, facultate cupiendi, loquendi et cogitandi, hanc posteriorem τὸ ἡγεμονικὸν appellarunt. Cic. de Nat. D. II, 11.

2. *Ita ipsum principale. Ita* post intercisam orationem repetitioni inservit, ut alias : igitur, etc. qui usus post obss. Gronovii avi ad Liv. II, 1; XXV, 27; XLIV, 40. et Ernesti in Clav. Cic. v. Igitur, I. M. Heusinger. ad Cicer. de Offic. I, 1, p. 6. nunc satis notus est.

3. *Capit.* Supple *principale*, seu *mens*. Ed.

4. *Visus speciesque rerum.* Sunt φαντασίαι λογικαὶ, ἢ τῶν λογικῶν ζώων νοήσεις εἰσὶ, (Chrysipp. ap. Diogen. Laert. VII, 49. sq. 160. ib. Intpp. inpr. Menag.) sive formæ in animo impressio, *Anschauung, perceptions.*

5. *Quum sævierunt.... sopor sequitur.* Prope eadem dixit recentior et clariss. scriptor, *Chateaubriant* : «*Le tigre déchire sa proie, et dort.*» Ed.

IV. Arg. Species iræ breviter perstringit.

6. *Quid esset Ira. ... est.* Hæc pro lemmate hujus capitis habeo; quod postea a margine in textum immigravit : talis enim repetitio præter Senecæ morem, ut præter rem est; neque bene concoquo illud : *quid esset :* quum esse deberet : *quid sit.* A Senecæ manu fuisse videtur; *Ira quo distet*, etc.

7. *Quo distet.... timido.* In ira ab iracundia distinguenda Ciceronem Tusc. Disputatt. IV, 12, 24, habet assentientem : alii tamen aliter distinxerunt, ut est ap. Suet. Claud. 38. Val. Max. 9, 3. Iracundia proprie est ὀργιλότης : cætera Stoici ita discriminant : ὀργὴν, iram; μῖσος, odium,

potest aliquando iratus non esse. Cætera, quæ pluribus 2
apud Græcos nominibus in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, præteribo : etiamsi amarum [1] nos acerbumque dicimus, nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperum : quæ omnia irarum differentiæ sunt. Inter hos morosum ponas 3
licet, delicatum iracundiæ genus. Quædam enim sunt iræ, quæ intra clamorem considant [2]; quædam non minus pertinaces, quam frequentes; quædam sævæ manu [3], verbis parciores; quædam in verborum maledictorumque amaritudinem effusæ; quædam ultra querelas et aversationes [4] non exeunt : quædam altæ gravesque sunt, et introrsus versæ. Mille aliæ species sunt mali multiplicis.

V. Quid esset ira [5] quæsitum est : an in ullum aliud 1

cupiditas quædam ut male sit alteri, cum progressu aliquo et incremento; μῆνις, longa ira, quasi odium, observans odii tempus, nostrum *Groll*, Gallorum *rancune*; φιλονεικία, cupiditas circa opiniones tuendas; θυμὸς, excandescentia, ira incipiens et nascens. Cf. Cic. Tusc. IV, 4.

1. *Amarum*, etc. Latinorum *amarus*, *acerbus*, *stomachosus*, *difficilis* et *morosus* conveniunt Græcorum πικρῷ, ἀκροχόλῳ, χαλεπῷ, δυσαρέστῳ, de quibus adeas Aristotel. Ethic. ad Nicomach. IV, 5. — Has voces non facile in Gallicam linguam vertas, quum sint synonyma verba latino sermoni propria. Itaque *Lagrange* ipsa latina verba in suam versionem bene inseruit. Ed.

2. *Intra clamorem considant.* Alii *concidant*.

3. *Sævæ manu.* Inepte libri ante Lipsium *quædam sede manent*, i. e. sine motu. In quibusdam nostra et Lipsii lectio, ex opt. et vetust. cod. Siculo. Ed.

4. *Aversationes.* Sic omnino scribendum sensus et antiq. codd. imperant. *Adversationes* in quibusd. solemni librariorum permutatione. Ed.

V. Arg. Quum explicasset quid ira sit, et docuisset in hominem tantummodo cadere, accedit ad quæstiones : an secundum naturam hominis sit, et an utilitatem habeat ira ? Hæ duæ quæstiones bene conjunguntur : quæ enim contra hominis naturam sunt, etiam inhonesta sunt, ideoque utilitatem rectam præbere non possunt. Deinde homo est pars naturæ rerum, i. e. Dei. Accedit, quod de viro probo, ideoque bene exculto hic loquatur : alioquin enim tota disputatio male nostro processisset. Instituitur autem contra Peripateticos, in quibus Aristoteles (Ethic. ad Nicom. VII, 6.) et Theophrastus, etc. iræ inter appetitiones naturales (ὀρέξεις φυσικὰς) relatæ minus fœdam incontinentiam, quam aliarum cupiditatum, ideoque venia magis dignam censuerunt.

5. *Quid esset Ira.... species sint:*

animal quam in hominem caderet : quo ab iracundia distaret, et quæ ejus species sint. Nunc quæramus an ira secundum naturam sit, et an utilis, atque ex aliqua
2 parte retinenda. An secundum naturam sit [1], manifestum erit, si hominem inspexerimus : quo quid est mitius [2], dum in recto animi habitu est? quid autem ira crudelius est? Homine quid aliorum amantius? quid ira infestius? Homo in adjutorium mutuum generatus est [3] : ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere : hic prodesse, illa nocere : hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos petere : hic aliorum commodis vel impendere se paratus est, ira in periculum, dummodo
3 deducat, descendere [4]. Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quam qui optimo ejus operi, et emendatissimo [5], hoc ferum ac perniciosum vitium assignat? Ira, ut diximus, avida pœnæ [6] est : cujus cupidinem inesse pacatis-

et hæc pro lemmate habeo, e margine in textum temere intruso. Lipsius hæc mutilata esse, et in partibus parum plena censet.

1. *An secund. nat. sit.* Huic quæstioni locum dat illud Stoicorum præceptum : *sequere naturam.* Ed.

2. *Quo quid est mitius.* Juvenalis. Sat. XV, 131 sqq. «...... Mollissima corda Humano generi dare se natura fatetur, Quæ lacrimas dedit, etc. » Quidam contra philosophi recentiores, inter quos eminet *Hobbes*, hominem natura malum et crudelem esse male docuerunt. Ed.

3. *Homo.... est.* Sæpe hæc sententia præclara occurrit apud Veteres. Quis ignorat Terent. illud, Heaut. I, 1, 25 : « Homo sum : humani nihil a me alienum puto? » Item Juven. Sat. XV, vs. 140, sqq. « quis enim bonus.... Ulla aliena sibi credat mala? » Et paullo infra : « mutuus ut nos affectus petere auxilium, etc. » Quæ multa et pulcherrima adeas et tota legas suadeo. Ad hæc quædam suppeditabit Gataker. ad Antonin. p. 49, 10. — Hoc est quoque fundamentum quo nititur philosophia moralis a *Smith* (*pitié*) et *Ferguson* (*bienveillance*) prolata.

4. *Ira in periculum..... descendere.* Vid. hoc ipso libro, cap. 1, § 1, « ultionis secum ultorem tracturæ » et notam de his verbis. Ed.

5. *Optimo ejus operi et emendatissimo.* J. F. Gronov. recte recepit ex multis codd. Antea erat : *commendatissimo.* Commendatus enim est gratiosus, jucundus : at sensus poscit epitheton, quod perfectionem aliquam designet, de qua emendatus in usu est, e. c. Hor. lib. I, Epist. 16, 30, « Quum pateris sapiens emendatusque » etc.

6. *Avida pœnæ* erat in ed. Gron., sphalmate typogr. a I. M. *Heusinger*, Emendd. p. 228, notato.

simo hominis pectori minime secundum ejus naturam
est [1]. Beneficiis enim humana vita consistit, et concor-
dia : nec terrore, sed mutuo amore, in fœdus auxilium-
que commune constringitur. « Quid ergo? non aliquando 4
» castigatio necessaria est? » Quidni? sed hæc sincera [2],
cum ratione : non enim nocet, sed medetur specie no-
cendi. Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut cor-
rigamus, adurimus, et adactis cuneis, non ut fran-
gamus, sed ut explicemus, elidimus [3] : sic ingenia vitio
prava, dolore corporis animique corrigimus. Nempe me- 5
dicus [4] primo in levibus vitiis [5] tentat non multum ex quo-
tidiana consuetudine inflectere, et cibis, potionibus,
exercitationibus ordinem ponere [6], ac valetudinem tan-

1. *Minime.... est.* Speciosa quidem hæc et quæ vera principio credideris. At memineris « hominem ab stirpe ipsa, neque absolute bonum nec malum nasci, sed ad utrumque proclive ingenium ejus esse, habere quidem semina quædam utrarumque rerum cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina in partem alteram debeant emicare » (Apul. de philos. mor.); et hinc sequi non iram contra hominis naturam esse, sed naturæ pravæ consentaneam, meliori autem contrariam.

2. *Sed hæc sincera.* I. e. cupiditate non admixta, εἰλικρινής.

3. *Quemadmodum......... elidimus.* Sermo est de ligno, quo ad spicula usi sunt, sive de ramo, scil. palo virente, natura vitiove inflexo et curvato (*detorto*), quem, igne adhibito, ut extendatur calore, et inter cuneos compressum explicant, ut *corrigatur*, i. e. rectus fiat, ideoque adminiculo arborum, vitium, etc., idoneus reddatur. Hunc morem et nostri agricolæ et fabri lignarii hodieque bene tenent, Noster Ep. 50 : « Nihil est quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura : robora in rectum quamvis flexa revocabis, curvatas trabes calor explicat, et aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit. »

4. *Nempe medicus*, etc. Familiarem antiquis comparationem medicinæ corporis cum emendatione morum multis exemplis docet Gataker. ad M. Antonin. p. 193, sqq. nostri loci non immemor. Medicus gradatim procedit ægrotis opem ferens : primum diætam disponit generaliorem, deinde specialiorem; tum jejunium indicit, denique urit secatque.

5. *Vitiis.* Corporalibus scilicet; qui quidem sensus, etsi minus frequens, attamen latine, immo et eleganter a Nostro et quibusd. aliis usurpatur. Ed.

6. *Ordinem pon.* Id est, nihil ex cibis prohibere, nihil e potionibus, exercitationibus et assueto vivendi habitu amovere; imperare tamen, ut omnia hæc iisdem horis repetantur et ordine quæque suo fiant. Et is ordo sane ad valetudinem plurimum facit; sed

tum mutata vitæ dispositione firmare. Proximum est [1], ut modus [2] proficiat. Si modus et ordo non proficit, subducit aliqua, et circumcidit [3]: si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, et abstinentia corpus exonerat: si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhærentia nocent, et morbum diffundunt, manus affert: nec ulla dura videtur curatio, cujus salutaris ef-
6 fectus est. Ita legum præsidem, civitatisque rectorem decet, quamdiu potest verbis, et his mollioribus, ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti et æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc et exprobret: novissime ad pœnas, et has adhuc leves et revocabiles decurrat: ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit [4].

ad scientiam Ὑγιείναν, sic vocant recentiores, magis pertinet quam ad medicinam, et eam ob causam leviusculum et in levioribus duntaxat morbis usurpandum Noster esse primum indicavit. Ed.

1. *Proximum.* Hoc est: deinde, secundo loco. Aliquantulum enim ab *ordine modus* discrepat; hic enim indicat minus jam cibi, aut potionum, minusve exercitationum permitti, licet tamen e tribus his nihil damnetur. Et idcirco punctum ego posui pro duobus punctis *firmare* inter et *proximum*. Ed.

2. *Modus.* Vid. quæ modo ad *proximum* notavimus.

3. *Subducit aliqua...... circumcidit.* Nunc medicus non modum tantum in iis quæ supra enumerata iterare inane est, jubet, sed ex iis aliqua prorsus respuit et prohibet. Omnibus nempe, sed modeste, prius uti licuit, nunc quibusdam tantum. Ed.

4. *Pereuntis.* Perire interest, ne in nequitia diutius hæreat: cum acumine hoc dictum esse facile intelliges. — Non tantum cum acumine, et ut argute phrasis desinat, sed quia hæc erat Stoicis approbata opinio: immerito quidem, nam quidquid subtilissime et callidissime disputetur a Seneca et asseclis, nunquam id multis persuadebit etiam morientis interesse mortem. Id tamen quoquomodo demonstrare aggreditur sub libri finem. Ed. — Cæterum jam Plato (de Republ. II, p. 243, sq. 370. Tom. VI, ed. Bip.) ad hanc quæstionem, quam hic Seneca tractat, se hæsisse dixit: cujus disputatio eo redit, esse quidem mansuetudinem et iram sibi prorsus contraria; ideo tamen neque impossibile esse, neque contra naturam, ut hæc opposita vel philosopho insint.

VI. Hoc uno medentibus erit dissimilis, quod illi, quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant: 1
hic [1] damnatum cum dedecore et traductione [2] vita exigit: non quia delectetur ullius pœna (procul est enim a sapiente tam inhumana feritas), sed ut documentum omnium sint; et qui vivi noluerunt prodesse, morte certe eorum respublica utatur. Non est ergo natura hominis 2
pœnæ appetens: et ideo nec ira quidem secundum naturam hominis, quia pœnæ appetens est. Et Platonis argumentum afferam: quid enim prohibet alienis uti, ex parte qua nostra sunt? « Vir bonus [3], inquit, non lædit, » pœna lædit. Bono ergo pœna non convenit: ob hoc nec » ira; quia pœna iræ convenit. » Si vir bonus pœna non gaudet, non gaudebit nec eo quidem affectu cui pœna voluptati est: ergo non est naturalis ira.

VII. Numquid, quamvis non sit naturalis ira, assumenda 1
est, quia utilis sæpe fuit? Extollit animos, et incitat: nec quidquam sine illa magnificum in bello fortitudo ge-

VI. Arg. Pergit in eo demonstrando, quod primum posuerat: iram non secundum naturam esse.

1. *Hic.... vita exigit. Hic*, scilicet *legum præses, civitatumque rector*, de quo supra. *Exigit*, i. e. expellit *ex vita damnatum*, etc.

2. *Traductione*. De publica infamia, quia per theatra et fora traducebantur damnati, ut exemplum ederetur; ideoque de quacunque infamia dicebatur, cf. Ep. 85, init.; de Benef. IV, 32, et Liv. II, 38. Est Græcorum παραδειγματίζειν.

3. *Vir bonus...iræ convenit*, hæc verba argumentationem Platonis continent, ut mihi videtur, ideoque distinxi. Cæterum dictum Platonis hac forma cum Lipsio ignoro. Plato enim iram naturalem quidem esse statuit, sed philosopho inferiorem; v. c. de Republ. II, p. 245, c. tom. VI, ed. Bip. φιλόσοφος δὴ καὶ θυμοειδὴς καὶ ταχὺς καὶ ἰσχυρὸς ἡμῖν τὴν φύσιν ἔσται. — Dubito igitur an Plato huic argumentationi Senecæ assensurus fuisset, qui eum hac parte Stoicis (nostris) annumeravit, cf. Cic. Tusc. Dispp. IV, 17, p. 192, ed. Wolf.

VII. Arg. Nec iram utilem esse docet, nec temperandam modo, verum tollendam. Contra Platonem hic pugnari jam antea monui, et Lipsius locum præclarum ex lib. II de Repub. (p. 242, Tom. VI. Bip.) excitavit, in quo custodem patriæ corpore robustum, animo iracundum cupit: iram enim esse invictum quiddam et insuperabile (ὡς ἄμαχόν τι καὶ ἀνίκητον θυμός). Et contra Aristotelem hæc

rit, nisi hinc flamma subdita est [1], et hic stimulus pera-
2 gitavit, misitque in pericula audaces. Optimum itaque
quidam putant, temperare iram, non tollere [2], eoque
detracto quod exundat, ad salutarem modum cogere [3],
id vero retinere, sine quo languebit actio, et vis ac vigor
3 animi resolvetur [4]. Primum [5], facilius est excludere perni-
ciosa, quam regere, et non admittere, quam admissa
moderari : nam quum se in possessione posuerunt, poten-
4 tiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. Deinde
ratio ipsa, cui freni traduntur [6], tamdiu potens est, quam-
diu diducta [7] est ab affectibus : si miscuit se illis et in-
quinavit, non potest continere quos submovere potuis-
set. Commota enim semel et excussa [8] mens, ei servit a
5 quo impellitur. Quarumdam rerum initia in nostra po-
testate sunt : ulteriora nos sua vi rapiunt, nec regressum
relinquunt. Ut in præceps datis corporibus nullum sui ar-
bitrium est, nec resistere morarive dejecta potuerunt,

dicta sunt, utpote qui iræ utilitatem tuetur III. Ethic. Nicom. c. 8. ὅτι καὶ οἱ ἀνδρεῖοι θυμοειδεῖς· ὁρμητικώτατον γὰρ ὁ θυμὸς πρὸς τοὺς κινδύνους. Conf. Cic. Tusc. Dispp. IV, 15. sqq. Hos tamen philosophos et moderationem iræ præcepisse constat; quis enim nescit temperantiam quasi fundamentum philosophiæ a Socrate traditæ fuisse?

1. *Hinc.... est.* Lipsius mavult legi: *hæc flamma et hic stimulus*, quia ad solam iram referentur : s. hinc stimulus. Ferri tamen potest vulgata: flamma ab ira petita spectat ad fortitudinem, at stimulus ad audaces, qui ipse ira est. De tropo autem diverso noli argutari, quippe proverbialiter adhibito.

2. *Tollere.* Non *extollere*, sed *e medio tollere*, *abolere.*

3. *Eoque detracto....... cogere.* Ducta e fluminibus metaphora. Scilicet quemadmodum exundantem et ultra ripas intumescentem fluvium cohibere solent, et intra alveum revocare, sic effervescentem et omnia invasuram iram aggeribus contineri necessarium, et coactam ad modum quemdam reduci. Ed.

4. *Resolvetur.* Solutus evanescet.

5. *Primum*, etc. Hactenus locuti sunt qui Senecæ adversantur; nunc ipse loquitur, et allata contra diluit.

6. *Cui freni traduntur*, etc. Hoc est, cujus in manu sunt habenæ.

7. *Diducta.* i. e. separata, segregata, seposita, ut seq. cap.

8. *Excussa* reduxi, ab Erasmo jam receptum, et e sex MSS. ap. Gruter. et Ruben. probatum Gronovio. Excutitur autem ex nota loquendi formula auriga equesve equos non amplius regere valens, et ab iis abripi dejici-

sed consilium omne et pœnitentiam irrevocabilis præcipitatio abscidit; et non licet eo non pervenire, quo non ire licuisset : ita animus si in iram, amorem, aliosque se projecit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, et ad imum agat suum pondus [1], et vitiorum natura proclivis.

VIII. Optimum est primum irritamentum iræ protinus 1
spernere, ipsisque repugnare seminibus [2], et dare operam
ne incidamus in iram : nam si cœperit ferre transversos [3],
difficilis ad salutem recursus est; quoniam nihil rationis
est, ubi semel affectus inductus est, jusque illi aliquod
voluntate nostra datum est [4]. Faciet de cætero quantum
volet, non quantum permiseris. In primis, inquam, fini- 2
bus hostis arcendus est; nam quum intravit, et portis se
intulit, modum a captivis non accipit. Neque enim sepositus est animus, et extrinsecus speculatur affectus, ut illos non patiatur ultra quam oportet procedere, sed in affectum ipse mutatur [5] : ideoque non potest utilem illam vim et salutarem, proditam jam infirmatamque, re-

que se passus, quibus nunc servit. Et Græci hac metaphora sæpe utuntur, in nota imagine Platonis de animo, affectus tamquam equos dirigente. Phædr. p. 320 sq. 324, tom. X, ed. Bip. *Excuti* est Græc. ἀναχαιτίζεσθαι, Valckenar. ad Eurip. Hippol. 1233.

1. *Ad imum agat suum pondus.* Non absimili imagine pingit Persius, Sat. III, 34, virum perditum : « alto Demersus, summa rursus non bullit in unda. » Ed.

VIII. Arg. Iram esse tollendam, ne ab ea transversi feramur. Argumenta, quæ hoc capite continentur, non ita firma esse, ut omnibus persuadeant, ipse Lipsius, Stoicorum ille, dum fuit, acerrimus isque doctissimus vindex, ultro confessus est. Cf. ejus Manuduction. ad stoic. philosoph. III, 7. p. 153. sq. (ed. Antwerp. 1610, 4).

2. *Seminibus* cum Lipsio prætuli τῷ *sensibus* : agitur enim de primis iræ ortibus profligandis. Est præceptum scholæ Salernitanæ : « Principiis obsta, sero medicina paratur. »

3. *Cœperit ferre transversos.* Id est, ubi huc illuc arbitrio suo nos agitaverit, et a recto tramite aversos palari jusserit. Ed.

4. *Nihil rationis... datum est.* Nisi integra et sine æmula, nisi sola sit, evanescit ratio ; eam necessarium aut imperare, aut perire.

5. *In primis... sed in affectum ipse mutatur.* Facillimum sit quidquid hic congerit Noster refellere, vel

3 vocare. Non enim, ut dixi, separatas ista sedes suas diductasque habent : sed affectus et ratio in melius pejusque [1] mutatio animi est. Quomodo ergo ratio, occupata et oppressa vitiis, resurget, quæ iræ cessit? aut quemadmodum a confusione [2] se liberabit, in qua pejorum mixtura
4 prævaluit? « Sed quidam, inquit, in ira se continent. » Utrum ergo ita, nihil ut faciant eorum quæ ira dictat; an ut aliquid [3]? Si nihil faciunt [4], apparet non esse ad actiones rerum necessariam iram, quam vos, quasi for-
5 tius aliquid ratione haberet, advocabatis. Denique [5] interrogo, valentior est quam ratio, an infirmior [6]? Si valen-

servata qua utitur et gaudet μεταφορᾷ. Quis enim negaverit posse, difficillime quidem, posse tamen, quum imperii fines jam invaserit, hostem vinci et propulsari? Immo etiam, si urbe potitus sit, et omnia armis teneat, excepta arce, ut Galli Romam et quidquid tunc romanum erat, at non Capitolium; nonne tunc etiam fugari, cædi eum possibile est? Atqui ira, quæ mentem victrix invasit, nondum dominatur, et imperii arcem, rationem non tenet, quæ ex adyto suo victoriam sibi vindicare sufficit, et triumphaturæ simillimam expellere.

1. *In melius pejusque*. Hanc lect. omnes codd. et edd. præferunt, a Lipsio probatam, modo *pejusve* legeris. Explicat autem ita : animus affectum et rationem excipiens mutatur cum illis in melius, rationi mancipatus, in pejus, affectu dominante : laudat Manuduct. III, 7. Sed mihi secus videtur. In antecedentibus dixit Seneca, animum nunquam separari ab affectu, sed in ipsum affectum mutari, ideoque nunquam utilem esse hanc societatem : quod et sequentia docent, et II, 3, illa est ira, quæ rationem transilit, quæ secum rapit. Itaque vox *melius* in mendo cubare videtur : sufficiat indicasse.

2. *Occupata...oppressa...confusione*. Tribus utitur μεταφοραῖς quibus rationis servitium significet. *Occupata*, id est cujus fines, imperium, penetralia invaserit hostis. Mox *oppressa*, quam arce et solio deturbavit, pedibusque calcat et sæva premit tyrannide. Tum *confusione*, id est irruente affectuum turba, non esse jam separatam et distinctam, sed et his et illis sine lege ita misceri, ut ne ipsa semet agnoscat et a circumstrepentibus bene distinguat.

3. *An ut aliquid?* ad hanc quæstionem redit cap. sequent.

4. *Si nihil faciunt*. Dilemma hic incipit, cujus hæc prior pars; *si nihil*; posterior esse deberet, *siquid*, etc. Priorem nunc enuntiat, alteram vero omisit, ut quam evidentem nimis et perspicuam, quam indicasse opus fuit, minime explicare.

5. *Denique* est : *breviter*, *quid multa?* Cf. III, 18, extr. Horat. I, Serm. 1, 106.

6. *Valentior... infirmior*. Alterum dilemma, idem fere etsi aliis vocibus quam illud de quo modo pauca nos monuimus.

tior, quomodo illi modum ratio poterit imponere, quum parere nisi imbecilliora non soleant? Si infirmior est, sine hac per se ad rerum effectus sufficit ratio, nec desiderat imbecillioris auxilium. « At irati quidam constant 6
» sibi, et se continent. » Quomodo? quum jam ira evanescit, et sua sponte decedit, non quum in ipso fervore est : tunc enim potentior est. « Quid ergo? non aliquando » in ira quoque et dimittunt incolumes intactosque quos » oderunt, et a nocendo abstinent? » Faciunt. Quomodo? quum affectus repercussit affectum, et aut metus, aut cupiditas aliquid impetravit; non rationis tunc beneficio quievit, sed affectuum infida et mala pace [1].

IX. Denique nihil habet in se utile, nec acuit animum 1
ad res bellicas : nunquam enim virtus vitio adjuvanda est, se contenta. Quoties impetu opus est, non irascitur, sed exsurgit, et in quantum putavit opus esse, concitatur remittiturque : non aliter, quam quæ tormentis [2] exprimuntur tela, in potestate mittentis sunt, in quantum torqueantur. « Ira, inquit Aristoteles, necessaria est : nec 2
» quidquam sine illa expugnari potest, nisi illa impleat » animum, et spiritum accendat. Utendum autem illa est;

1. *Non rationis...mala pace.* Optime hic Noster; namque de hoc ambigebatur, an admissis affectibus posset ira frangi et refrænari a ratione. Frangi quidem potest, at a cupidinibus, non a ratione; nihil amplius ergo est quod contra ingeri possit. Ed.

IX. Arg. Nec virtus bellica, fortitudo, ira indiget, sed ratione una jubente exsurgit. Locus Aristotelis in deperditis esse videtur, si, quæ Seneca hic attulit, apud eum iisdem verbis lecta sint. Certe quæ in ejus. Ethic. ad Nicom. VII, 6, leguntur, diversam sententiam continent. Cf. Cic. Tusc. Dispp. IV, 19. Nos distinguimus iram ab enthusiasmo, sine quo nihil magnificum aut difficile geri posse recte contendimus : et in hanc partem et Aristotelis Platonisque dicta de ira, ad bellum utili, ut interpretemur necesse esse videtur. Quod discrimen nec Senecæ sagacitas neglexit.

2. *Tormentis.* De ballistis aut catapultis, aliisque machinis bellicis, quæ ut arcus intenduntur ac remittuntur, pro arbitrio dirigentis. Adeas scriptores de Re militari Romanorum, exempli causa, Nastium, post Justum Lipsium, T. III, Opposit 550. sequent.

» non ut duce, sed ut milite. » Quod est falsum; nam si exaudit rationem, et sequitur qua ducitur, jam non est ira, cujus proprium est contumacia. Si vero repugnat, et non ubi jussa est quiescit, sed libidine ferociaque provehitur, tam inutilis animi minister est, quam miles
3 qui signum receptui negligit. Itaque si modum adhibere sibi patitur, alio nomine appellanda est: desinit ira esse, quam effrenatam indomitamque intelligo. Si non patitur, perniciosa est, nec inter auxilia numeranda. Ita aut ira non est, aut inutilis est: nam si quis pœnam exigit, non ipsius pœnæ avidus, sed quia oportet, non est annume-
4 randus iratis. Hic erit utilis miles, qui scit parere consilio. Affectus quidem tam mali ministri, quam duces sunt. Ideo nunquam assumet ratio in adjutorium improvidos et violentos impetus, apud quos nihil ipsa auctoritatis habeat: quos nunquam comprimere possit, nisi pares illis similesque opposuerit, ut iræ metum, inertiæ iram, timori cupiditatem.

1 X. Absit hoc a virtute malum, ut unquam ratio ad vitia confugiat. Non potest hic animus fidele otium capere: quatiatur necesse est, fluctueturque, qui malis suis tutus est, qui fortis esse, nisi irascitur, non potest; industrius, nisi cupit; quietus, nisi timet: in tyrannide illi vivendum est, in alicujus affectus venienti servitutem. Non pudet virtutes in clientelam vitiorum demittere?
2 Deinde desinit quidquam ratio posse, si nihil potest sine affectu, et incipit par illi similisque esse. Quid enim interest, si æque affectus inconsulta res est sine ratione, quam ratio sine affectu inefficax? par utrumque est,

X. Arg. Invehitur in sententiam, vitia virtuti esse debere auxilio: quanquam adversarii affectus temperatos haudquaquam pro vitiis habeant, et ad aliquem usum insitos velint a Deo et Natura: sicut plantæ silvestres cultu meliores fiunt, sicut animalia domantur et docentur.

ubi esse alterum sine altero non potest. Quis autem sustineat affectum exæquari rationi[1]? « Ira, inquit, utilis » affectus est, si modicus est. » Immo si natura utilis est[2], sed si impatiens imperii[3] rationisque est, hoc dumtaxat moderatione consequetur, ut quo minor fuerit, minus noceat. Ergo modicus affectus nihil aliud quam malum modicum est.

XI. « Sed adversus hostes, inquit, necessaria est ira. » 1
Nusquam minus : ubi non effusos esse oportet impetus, sed
temperatos et obedientes. Quid enim est aliud, quod bar-
baros tanto robustiores[4] corporibus, tanto patientiores
laborum comminuat, nisi ira infestissima sibi[5]? Gladia-
tores quoque ars tuetur, ira denudat[6]. Deinde quid opus 2
est ira, quum idem perficiat ratio? An tu putas venato-

1. *Deinde desinit.... quid enim interest?.... exæquari rationi.* Hic patet demum, et remotis nubibus prodit recepta apud Stoicos et celebrata opinio, hominem nempe esse totum in mente, non in corpore; tum mentem totam in ratione, non in affectibus; quippe qui a corpore et corporalibus varii varie deriventur; et hoc quidem ita ut, si licuerit τῶν μαθηματικῶν idiomate aliquandiu eloqui, æquatio sit inter hæc duo, hominem et rationem.

2. *Immo si natura utilis est*; i. e. Tum tantum verum esset iram, quum est modica, utilem esse, si ex natura sua, per se utilis esset.

3. *Impatiens imperii.* Cum Lipsio et Grutero præfero, *impat.*: ex MSS. Erasmus tamen legit, *patiens.* Ait enim: non ideo esse utilem affectum, quod modicus sit, sed si per naturam utilis sit : atqui ira semper nocet, idque minori tantum gradu, si minor sit, moderatione non a ratione imposita, quippe cujus imperio non pareat, sed a re ipsa profecta.

XI. Arg. Refutat objectionem : iram esse necessariam adversus hostes. Nisi consilio et ratione in hostibus debellandis utaris, in exitium vertetur res tua : quod exemplis ex historia Romana petitis demonstrat. Totum hoc discrimen quod inter Platonicos et Peripateticos Nostrumque intercedit, in eo versari videtur, quod diversas de ira notiones ad certamen afferunt : illis de animo elatione quadam incitato, Nostro de affectu, cogitantibus.

4. *Robustiores*, mox, *patientiores.* Subaudi, ut patet, quam romani milites.

5. *Infestissima sibi.* Quæ sibi ipsa plurimum nocet. Vid. inf. hoc eodem capite, notam de his verbis : *quid Cimbrorum*, etc.

6. *Denudat*; quod periculosissimum est : namque isti, quum præliarentur, id maxime curabant, ut sibi perpetuo latus tegerent, quod inerme et nudum ictibus patebat, et idcirco summa vi petebatur.

rem irasci feris? Atqui et venientes excipit, et fugientes persequitur: et omnia illa sine ira facit ratio. Quid Cimbrorum [1], Teutonorumque tot millia superfusa Alpibus ita sustulit, ut tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute? quæ ut aliquando perculit stravitque obvia, ita sæpius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius, quibus innascuntur innutriunturque, quorum unica illis cura est, in alia negligentibus [2]? Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provisa sunt [3], non suffugia [4] adversus perpetuum cæli rigorem.
3 Hos tamen [5] Hispani Gallique, et Asiæ Syriæque molles bello viri, antequam legio visatur,

1. *Quid Cimbrorum*, etc. His exemplis ut declamator utitur: non enim ira, sed ignoratio disciplinæ militaris Cimbros Teutonosque *comminuit*, i. e. delevit, quos, sedibus suis excitos, incertum ubi et qua causa, omnibus quæ obstarent impedimentis superatis, Galliam et Italiam ingressos a C. Mario et Q. Catulo bis; ad Aquas Sextias (anno U. C. 652.) et sequenti anno ad Vercellas, in campis Raudiis, victos et ad internecionem usque cæsos esse constat ex Plutarcho in Mario c. XI, ibiq. Leopold. p. 35, sqq. ut plures testes in re nota omittam.

2. *Quorum unica.... negligentibus*. Tacit. de Mor. Germ. cap. 14 et 15: « Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescant.... Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes, et vulnera mereri; pigrum quinimmo et iners videtur, sudore adquirere, quod possis sanguine parare. Quoties bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura fœminis, senibusque et infirmissimo cuique ex familia, ipsi hebent. »

3. *Non tegumenta.... sunt.* « In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. » Tacit. de Mor. Germ. c. 20.

4. *Suffugia.* Hæc lectio præferenda est haud dubie τῷ *suffragia*, quod tamen Lipsius omnino probum esse putat: occurrit enim in legum libris de auxilio, exempli causa, ætatis suffragio.

5. *Hos tamen.* Syri, Hispani, etc. sub principibus, inter auxilia quæ Romani ex omnibus provinciis colligebant, merentes stipendia ideoque ante legiones pugnam fere ordientes, sæpe Germanos vicerunt.

cædunt; ob nullam rem aliam opportunos [1], quam ob iracundiam. Agedum; illis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opes ignorantibus, da rationem, da disciplinam : ut nihil amplius dicam [2], necesse erit nobis certe
mores Romanos repetere [3]. Quo alio Fabius [4] affectas im- 4
perii vires recreavit, quam quod cunctari, et trahere, et morari scivit, quæ omnia irati nesciunt? Perierat imperium, quod tunc in extremo stabat, si Fabius tantum ausus esset, quantum ira suadebat. Habuit in consilio fortunam publicam [5], et æstimatis viribus, ex quibus jam perire nihil sine universo poterat, dolorem ultionemque seposuit : in unam utilitatem occasionis [6] intentus, iram

1. *Opportunos*, i. e. cædi vincique faciles, obnoxios.

2. *Ne quid amplius dicam*. Innuit, neque perspicue et amoto velo dicere audet, barbarorum multitudinem aliquando per imperium exundaturam. Quod pariter Tacitum altioris ingenii vi et perspicacia attigisse credideris, quum de Mor. Gem. c. 33, postquam Bructerorum LX millia a Chamavis memoravit atque Angrivaris trucidata, his prorumpit : « Maneat, quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui; quando, urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam. »

3. *Mores romanos repetere*. Antiquos nempe et antiquam disciplinam quæ « Regulum et Scauros, animæque magnæ Prodigum Paullum, superante Pœno, Fabriciumque, et incomptis Curium capillis, Utilem bello tulit et Camillum (Horat. lib. I, Od. 12); Et geminos, duo fulmina belli, Scipiadas (Virg. Æneid. VI, 844). » Spectat hic locus ad corruptelam morum, quam sæpe queritur Noster.

4. *Quo alio Fabius*, etc. Nec Q. Fabius Maximus, qui, cum Hannibale bellum gerens, cunctando restituit rem, ut Ennius ap. Cicer. canit, nec Scipiones ira victores fuere, sed virtute et prudentia. Hoc jam Cic. Tusc disput. IV, 23, occupavit : « nescio, ecquid ipsi nos fortiter in republ. fecerimus : si quid fecimus, certe irate non fecimus. » Exempla hæc egregie electa sunt, historia testante. Omnibus his ducibus conditio Reip. anceps ob oculos versabatur : quam unam intuiti sunt, non se suaque, rationem, non iram, secuti.

5. *Habuit..... publicam*. Ennius in fragmentis quæ servavit nobis Cicero : « Non ponebat enim rumores ante salutem. »

6. *In unam utilitatem occ.* Lipsius e cod. suo dedit. Erasmus : *in unam utilitatem et occasioni*. Quam lectionem defendam interpunctione aliter instituta ac nunc est : dolorem ultionemque seposuit in unam utilitatem, et occasioni intentus, iram ante vicit, quam Hannibalem; id est, dolorem et ultionem removit, ut utilis esset, cum utilitate conjunxit. Nihil tamen muto.

5 ante vicit, quam Hannibalem. Quid Scipio [1]? nonne, relicto Hannibale, punico exercitu, omnibusque quibus irascendum erat, bellum in Africam transtulit, tam lentus, ut opinionem luxuriæ segnitiæque malignis daret? Quid alter Scipio [2]? non circa Numantiam multum diuque sedit, et hunc suum publicumque dolorem æquo animo tulit, diutius Numantiam quam Carthaginem vinci? dum circumvallat, et includit hostem, eo compulit, ut ferro ipsi suo caderent [3].

1 XII. Non est itaque utilis, nec in præliis quidem aut in bellis ira. In temeritatem enim prona est, et pericula dum inferre vult, non cavet. Illa certissima est virtus, quæ se diu multumque circumspexit, et texit, et ex lento ac destinato provexit.
2 « Quid ergo? inquit, vir bonus non irascetur, si cædi patrem suum viderit, si rapi matrem? »

1. *Quid Scipio?* Fuere qui eum retinere vellent, ut Q. Fabius, Cato, al. De lento et ne militari quidem cultu P. Scipionis Syracusis commorati, priusquam Africam subigeret, locus egregius exstat ap. Liv. XXIX, 19, sq.

2. *Alter Scipio.* P. Scipio Afric. Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, annum ac tres menses Numantiam obsessit. Vellei. Paterc. II, 4. Flor. II, 18.

3. *Eo compulit... caderent.* Notum excidium urbis celeberrimæ et unanima nobilissimorum civium mors, qui divitias, liberos, conjuges, se denique rogo imposuere, et secum quidquid sibi in pretio et deliciis fuerat, prius concremavere, quam urbe hostis potiretur. Vid. Flori hist. et Plut. in Scip. Æmil. Virum quidem unum superfuisse negat Florus.

XII. Arg. Pergit in utilitate iræ coarguenda. Et hæc contra Peripateticos dicta esse liquet. Theophrastus autem, quem alloquitur, Eresius, Aristotelis discipulus, scripsit multa e quibus pauciora restant. Quæ hic refutantur fortasse in libro ejus nunc deperdito, περὶ παθῶν, legebantur: (cf. Fabricii Biblioth. Græc. vol. III, p. 406. sqq. ed. Harles.) in quo Stoici multa invenisse videntur, quæ, etsi non proprie contra Zenonem, quippe qui post Theophrastum vixit, tamen contra Cynicos ideoque et contra Stoicos disputarentur: quorum placita quum fortiora, i. e. firmiora essent, quam ut dialecticis iisque subtilioribus argumentis vincere posset, publica adhibuit Theophrastus, quæ nos popularia vocare solemus, judice optimo, i. e. ratione, exculta, derelicto, et ad coronam, i. e. multitudinem venit, argumentis suis non ex eo quod esse debet, sed ex opinione sensus communis de hac re repetitis.

Non irascetur, sed vindicabit, sed tuebitur [1]. Quid au-
tem times, ne parum illi magnus stimulus, etiam sine
ira, pietas [2] sit? Aut dic eodem modo : Quid ergo? quum
viderit secari patrem suum, filiumve, vir bonus non fle-
bit, nec linquetur animo? quæ accidere fœminis videmus,
quoties illas levis periculi suspicio perculit. Officia sua 3
vir bonus exsequitur inconfusus, intrepidus : et sic bono
viro digna faciet, ut nihil faciat virum indignum. Pater
cædetur? defendam. Cæsus est? exsequar [3]; quia opor-
tet [4], non quia dolet. Quum hoc dicis [5], Theophraste [6],
quæris invidiam præceptis fortioribus, et, relicto judice,
ad coronam [7] venis. Quia unusquisque in ejusmodi suo-
rum casu irascitur, putas, judicaturos homines id fieri
debere, quod faciunt. Fere enim justum quisque affec-
tum judicat, quem agnoscit. Irascuntur boni viri pro suo- 4
rum injuriis : sed idem faciunt, si calda [8] non bene præ-
betur, si vitreum fractum est, si calceus luto sparsus est.
Non pietas illam iram, sed infirmitas movet : sicut pue-

1. *Vindicabit... tuebitur.* Hoc de matre quam rapi dicunt, illud de patre, quem cæsum jam impossibile est tueri.

2. *Pietas.* Latior vox qua pariter significatur, qua pietate pater liberos, liberi patrem, uxor maritum, ille uxorem, propinqui denique omnes suos, idemque qua subditi imperantem prosequuntur.

3. *Exsequar,* i. e. vindicabo.

4. *Quia oportet.* Idem jam dixit, c. 9, sub finem, ubi : « pœnam exigit, non ipsius pœnæ avidus, sed quia oportet. »

5. *Quum hoc dicis.* Irridendi causa hæc affert. Sunt qui non solum in suorum injuriis, sed etiam in rebus minimis et per delicias irascantur.

6. *Theophraste.* Alloquitur jam et nominat cujus ἀνωνύμου modo dicta diluebat. Theophrastus autem philosophus fuit sub finem 4 sæc. ante Christum celeberrimus, peripateticæ scholæ post mortuum Aristotelem princeps. Nec quam nunc philosophiam vocant duntaxat coluit, sed et physicen et quidquid ad physicen quoquomodo attinet; minor quidam institutore suo (Aristotele) discipulus, vir tamen et magni ingenii et immensæ eruditionis. Illius multa adhuc habemus quorum celebratissimus est liber de characteribus quem imitatus superavit nostras *Labruyère.*

7. *Coronam.* Cœtum audientium.

8. *Calda.* I. e. aqua calefacta interdum et cum vino mixta inprimis inter epulas subministrari solita. Egit fusius de his Romanorum deliciis Lip-

ris [1], qui tam parentibus amissis flebunt, quam nucibus. Irasci pro suis, non est pii animi, sed infirmi. Illud pulchrum dignumque, parentibus, liberis, amicis, civibus prodire defensorem, ipso officio ducente : volentem, ju-
5 dicantem, providentem, non impulsum et rabidum. Nullus enim affectus vindicandi cupidior est quam ira : et ob id ipsum ad vindicandum inhabilis, prærapida et amens : ut omnis fere cupiditas ipsa sibi in id in quod properat opponitur. Itaque nec in pace, nec in bello, unquam bona fuit. Pacem enim similem belli efficit : in armis vero obliviscitur Martem esse communem [2], venitque in
6 alienam potestatem, dum in sua non est. Deinde non ideo vitia in usum recipienda sunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt, nam et febres quædam genera valetudinis levant : nec ideo non ex toto illis caruisse melius est. Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo. Simili modo ira, etiamsi aliquando, ut venenum, et præcipitatio, et naufragium, ex inopinato profuit [3], non ideo salutaris omnino judicanda est [4]; sæpe enim saluti fuere pestifera.

sius Elect. I, 4, et intpp. ad Martial. I, xii, 5; VIII, lxvii, 7. — Pro *calda* alii, ut Erasm. *calida :* sensu non diverso. Sed *calda* est solemnius hac de potione. Vitrum an vitreum legas, nihil refert : posterius tamen Nostro placuisse videtur; intelligas : vas.

1. *Pueris* e cod. Bruxell. reduxi, Lipsio et Gronovio probantibus : hic tamen, ut sermo sit rotundior, delendum putat τὸ *qui*, et retinendum: *pueri*. Sed rotunditas in virtutibus Senecæ non est. Procedit oratio ita : infirmitas (illis) movet iram, ut pueris, qui...

2. *Martem communem*; id est, dimicantium neutri magis favere aut adversari, et diu ancipitem pugnam ante geri, quam aut fortuna aut prudentia certum aliquid decernatur.

3. *Ex inopinato*. Lectio proba, quam tuear contra Gronov. conjecturam : *nec opinato*. Hoc ipso capite occurrunt : *ex toto... ex lento ac destinato*. *Ex opinato* in tribus codd. Gruteri, vitium manifestum librarr.

4. *Venenum... judicanda est*. Hic distinguendum. Tria enim allegantur quæ jungi haud bene est : venenum nempe, præcipitatio, naufragium. E duobus his si quid unquam aut non nocuerit, aut profuerit, forte fortuna id miraculi contigit, et utrumque pe-

XIII. Deinde quæ habenda sunt in bonis, quo majora, 1
eo meliora et optabiliora sunt. Si justitia bonum est, nemo dicet meliorem futuram, si quid detractum [1] ex ea fuerit: si fortitudo bonum est, nemo illam desiderabit ex aliqua parte deminui: ergo et ira quo major, hoc melior. Quis enim ullius boni accessionem recusaverit? atqui augeri illam inutile est: ergo et esse. Non est bonum, quod incremento malum fit. « Utilis, inquit, ira est, quia pug- 2
» naciores facit [2]. » Isto modo et ebrietas: facit enim protervos et audaces [3]; multique meliores ad ferrum fuere male sobrii. Isto modo dic et phrenesim [4] et insaniam viribus necessariam, quia sæpe validiores furor reddit. Quid?

riculosissimum præmonere aut prævidere est. At venenorum bona pars minime habet periculi, si certa quædam et præfixa δόσις ægrotantibus haurienda præbeatur; ergo salutaria dici possunt, modo limitem non excesserit ad quem usque progredi fas est.

XIII. Arg. Iram non esse bonum quid, quia, quo major, eo pejor sit. Etiamsi interdum virtutem bellicam instruunt (viribus augent) ira, ebrietas, etc. nec ideo in bonis haberi possunt. Qui autem iræ quam maximæ obnoxii sunt, ii non fortitudine, sed infirmitate prævalent, ut infantes (secundum Platon. de Republic. IV, pag. 370, t. VI, Bip.), senes, ægri (II, 19.). Contra Peripateticos et Academicos veteres hæc disputantur. Cic. Tusc. disp. IV, 19. Acad. IV, 44: atque illi quidem etiam utiliter a natura dicebant per motiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa, misericordiam, ægritudinemque clementiæ, ipsam iracundiam *fortitudinis* quasi *cotem* esse dicebant. In memoriam revoces dogma Stoicorum: virtutem esse summum bonum et unam veramque felicitatem hominum. Cætera omnia in mediis posuere, et iis fuerunt προηγμένα (præposita, promota) e. c. vita, honor, divitiæ, et ἀποπροηγμένα (remota), ut dolor.

1. *Detractum.* Lipsianus liber habebat *defectum*: at vulgatum Senecæ familiarius.

2. *Utilis... facit.* Iterum an ad bellum strenue gerendum utilitas ex ira quæratur. Non apte quidem; nam non erat hic locus, sed supra, quo, tempore hoc disputatum fuit; bene tamen quod argumentis novis utitur.

3. *Facit.... protervos et audaces.* Quod, ut exempla mille prætercam, unum tamen afferam: Horat. Lib. I, Od. 8: « Centaurea monet Lapithis rixa super mero Debellata. »

4. *Phrenesim.* Monet hic Lipsius scribi semper in codd. *phrenesim* et *phreneticus*, quamvis apud Græcos, quorum de lingua derivatum et hoc et illud patet φρενῖτιν et φρενιτικὸς dictitetur; quæ literæ unius mutatio non magis miranda est quam Ἑκάβης in Hecubam, Ταλάντον in *talentum*, etc. Ed.

non aliquoties metus e contrario fecit audacem [1]? et mor-
3 tis timor etiam inertissimos excitavit in prælium? Sed ira, ebrietas, timor, aliaque ejusmodi, fœda et caduca irritamenta sunt: nec virtutem instruunt, quæ nihil vitiis eget, sed segnem aliquando animum et ignavum paullulum allevant. Nemo irascendo fit fortior, nisi qui fortis sine ira non esset. Ita non in adjutorium virtutis venit, sed in vicem. Quid quod, si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequeretur? atqui iracundissimi infantes, senesque, et ægri sunt; et invalidum omne natura querulum est [2].

1 XIV. « Non potest, inquit Theophrastus, fieri, ut bonus » vir non irascatur malis. » Isto modo, quo melior quisque, hoc iracundior erit? Vide ne contra placidior, solutus-
2 que affectibus, et cui nemo odio sit. Peccantes vero quid habet cur oderit, quum error illos in hujusmodi delicta compellat? non est autem prudentis errantes odisse: alioquin ipse sibi odio erit. Cogitet quam multa contra bonum morem faciat, quam multa ex his quæ egit ve-
3 niam desiderent. Jam irascetur etiam sibi! Neque enim æquus judex aliam de sua, aliam de aliena causa, sententiam fert. Nemo, inquam, invenitur qui se possit absolvere [3]: et innocentem quisque se dicit, respiciens tes-

1. *Metus...audacem.* Naso de Anna, sorore Didonis: « Audacem fecerat ipse timor. »

2. *Invalid... querulum est.* Cf. huic loco Aristotelis Rhetor. lib. II.

XIV. Arg. Neque ad emendationem morum iram adhibendam esse, contra veterem Academiam (Platon. de Legg. V, p. 212. b. sq. t. VIII. Bip.) et Peripateticos docet. Erat hoc decretum Stoicorum, ut « peccata ignorantiam rerum illarum dicerent, quarum scientia virtus sit. » Conf. Lipsii Manuduct. III, 7. p. 154. sq. et Menag. ad Diogen. Laert. VII, 47. p. 284. Hanc eamdem sententiam, quam hic expositam vides, egregie a *Gat.* ad Antonin. pagin. 234, 30; 399, 20, adstructam reperies.

3. *Nemo inquam...absolvere.* Consona hæc Christi verbis ad Synagogæ proceres, quum de adulteræ pœna maligne interrogaretur. Nec raro et Evangelii et apostolicarum Epistolarum in Seneca imitationes notatæ fuerunt; unde haud absurda orta est

tem, non conscientiam [1]. Quanto humanius, mitem et patrium [2] animum præstare peccantibus, et illos non persequi, sed revocare? Errantem per agros ignorantia viæ, melius est ad rectum iter admovere, quam expellere. Corrigendus est itaque qui peccat, et admonitione, et 4
vi, et molliter, et aspere : meliorque tam sibi quam aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim, cui medetur, irascitur?

XV. « At corrigi nequeunt, nihilque in illis lene [3] aut 1
» spei bonæ capax est. » Tollantur e cœtu mortalium,

opinio huic olim philosopho cum pristinis christianis, præcipue cum sancto Apostolo commercium fuisse; quod fuse disputabimus, quum de Senecæ vita et scriptis agetur. Ed.

1. *Et innocentem... conscientiam*; respectu habito eorum qui adfuerint, aut facti sui sint conscii, neglecta tamen conscientia sua, et numine divino. Aliter sensit T. Aristo, de quo Plinius Minor, lib. I, epistol. XXII: « nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert. »

2. *Mitem et patrium*. Hancce scripturam cum Gronovio, qui in tribus codd. MSS. palatt. apud Gruter. invenit, ego recepi. Erasmus habet *paternum*: Lipsius: *placatum*. Patrius hic idem valet quod paternus; quæ enim voces interdum confunduntur.

XV Arg. Qui tamen correctionem in se haudquaquam admittant, ii vero sine ira e medio tollantur, ne pejores fiant, neu pejora committant scelera. Quod hic Socrati tribuitur, Val. Max. IV, 1. Lactant. de Ira Dei, c. 18, alii Archytæ, Tarentino illi, Pythagoreo, assignant. Recte illud laudatur Archytæ, villico suo irati: « Jam te, inquit, cæderem, nisi iratus essem. » Cf. Menag. ad Diog. Laert. III, 39. p. 153; VIII, 82. p. 386. Expositio librorum in antiquitate non vetita, quin Lacedæmone legibus sancita (v. Petiti Legg. att. II, 4. 7.). Res est nota vel ex poetis comicis et tragicis. Hanc sententiam præclaram, non esse lædenti succensendum, sed sine ira commonstrandum errorem, sæpius inculcat, e. c. II, 9; II, 10. De Constant. Sap. 13. De Demonacte, philosopho Cynico s. potius Eclectico, homine egregio, Lucianus (vol. V, p. 235, 7. Opp. Bip. ed.): Οὐδεπώποτε γοῦν ὤφθη κεκραγὼς, ἢ ὑπερδιατεινόμενος, ἢ ἀγανακτῶν, οὐδ' εἰ ἐπιτιμᾷν τῳ δέοι, ἀλλὰ τῶν μὲν ἁμαρτημάτων καθήπτετο, τοῖς δὲ ἁμαρτάνουσι συνεγίγνωσκε, καὶ τὸ παράδειγμα παρὰ τῶν ἰατρῶν ἠξίου λαμβάνειν, τὰ μὲν νοσήματα ἰωμένων, ὀργῇ δὲ πρὸς τοὺς νοσοῦντας οὐ χρωμένος. Cicer. de Offic. I, 25. Prohibenda maxime est ira in puniendo..... add. cap. 38.

3. *Lene*: in textum reduxi : sensu postulante, et Grutero et I. M. *Heusinger*, Emendd. p. 228, probantibus. Antea erat *leve*. *Lene*, i. e. moderatum, mite. Cæterum *lenis* et *levis* in codicibus sæpe inter se confundi, res est nota. Leviores iræ occurrunt, libro II, cap. 19, sed opponuntur gravibus.

facturi pejora quæ contingunt, et quo uno modo pos-
2 sunt, desinant mali esse : sed hoc sine odio. Quid enim est cur oderim[1] eum, cui tum maxime prosum, quum illum sibi eripio? Num quis membra sua odit, tunc quum abscidit? non est illa ira, sed misera curatio. Rabidos effligimus canes, trucem atque immansuetum bovem cædimus, et morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus; portentosos fœtus exstinguimus; liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt,
3 mergimus[2]. Non ira, sed ratio est, a sanis inutilia secernere. Nil minus, quam irasci, punientem decet : quum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si judicio lata est. Inde est, quod Socrates servo ait : « Cæderem te, nisi irascerer. » Admonitionem servi in tempus sanius distulit, illo tempore se admonuit. Cujus erit temperatus affectus, quum Socrates non sit ausus se iræ committere?
4 Ergo ad coercitionem errantium sceleratorumque irato castigatore non opus est : nam quum ira delictum animi sit, non oportet peccata corrigere peccantem.

1. *Quid enim est cur oderim....* Fusius nunc Noster id dicit et demonstrandum aggreditur quod supra, cap. 5 sub finem, notavimus, nempe etiam pereuntis interesse ut pereat. Cæterum et hanc et superioris capitis ultimam phrasim putat Lipsius ad eum Demonactem pertinere, quem memoriæ proditum est nunquam adspectum fuisse aut clamantem, aut immodice contentioni indulgentem, aut indignantem, ne eo quidem temporis articulo quo objurgandus aliquis erat, sed peccata quidem severe reprehendere, peccantibus vero ignoscere; dictitabat enim ille se medentium exemplo uti, qui ægrotantibus non irascerentur, sed opem ferrent.

2. *Liberos.... mergimus.* Portentosi magis mores quam e portentosis fœtibus horridissimum monstrum. Sed is usus, ea consuetudo, invalescebat olim apud Græcos et Romanos; neque ante finem habuit quam purpuram et imperium sibi Christiana religio adsumpsisset. Nec statim tamen recessit : gravissime tandem et acerbissime objurgatum morem sustulere Valentinianus in Oriente, in Occidente Valens et Gratianus. Cæterum, si quis dubitaverit lege sancitum id sævitiæ, en e Tullio, Leg. lib. III, cap. 8, ea ipsa transcribimus, quæ in duodecim tabulis : « Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato. » —*Mergimus*, perperam hanc vocem in codices manu exaratos irrepsisse suspicabatur Lipsius, quan-

XVI. « Quid ergo? non irascar latroni? non irascar ve- 1
» nefico? » Non. Neque enim mihi irascor, quum san-
guinem mitto. Omne pœnæ genus remedii loco admoveo. 2
Tu [1] adhuc in prima parte versaris errorum, nec gravi-
ter laberis, sed frequenter : objurgatio [2] te primum se-
creta, deinde publica emendare tentabit. Tu longius jam
processisti, quam ut possis verbis sanari : ignominia [3]
contineberis [4]. Tibi fortius aliquid, et quod sentias [5], inu-
rendum est [6] : in exsilium, et loca ignota [7] mitteris. In

quam illius verbi loco quid legendum minime indicaret. Sed tuetur Davie-sius vulgatum, et suffragatur Tibullus, lib. II, eleg. v, vs. 80 : « Prodigia indomitis merge sub æquoribus, » et Livius centies. Vid. Vulp. ad hunc locum.

XVI. Arg. Ne in latronem quidem, aut veneficum, aut sceleratum quemcunque ira adhibenda est, sed, ira semota, coercitio eo major, quo inveteratior, et solidior nequitia sit, e. c. exsilium, carcer, mors : nam his pœnis infligendis nihil nisi utilitas et scelerati et reipublicæ quæritur, ideoque nullus iræ locus esse potest. Medicos imitemur, medentes prout morborum genera poscant, et legem, pœnas non iratam imponentem. Sentiet quidem sapiens suspiciones quasdam et umbras affectuum, sed pro armis nunquam habebit. Iræ et rationis discrimen hoc docet, exemplaque permulta subjungit.

1. *Tu*, etc. Delinquentem hic alloquitur, sive latro ille, sive veneficus exstiterit, et pœnæ futuræ commonefacit, ni a sceleribus perpetrandis recesserit.

2. *Objurgatio*, etc. Sex gradus coercitionis constituit: admonitionem privatam, publicam, ignominiam, exsilium, vincula publica, mortem.

3. *Ignominia* publica a censore infligi solita, e senatu ordineque equitum, tribuque rustica in urbanam vel inter ærarios, Cæritesve movendo : e. c. Liv. IV, 24, de Mamerco Æmilio. Est autem *ignominia* vocab. propr. de nota censoria, v. c. Cic. pro Cluent. 42.

4. *Ignominia contineberis*, e libris a Lipsio recepta et a Grutero antea probata lectio. Antea erat : *ignominia non contineberis*, nec sensu malo : est enim objurgatio publica haud dubie et ignominiosa.

5. *Quod sentias*. Quod ultra animum transiliat, quandoquidem in eum nihil valet, et dolore corpus afficiat.

6. *Inurendum est*. Pœna irroganda est. Nempe *inurere* principio et proprie dictum fuit de literis quæ, signa infamiæ nec celanda nec delenda unquam, nocentium humeris inurebantur; mox de opprobrio quolibet; mox de supplicio.

7. *Exsilium et loca ignota*. Deportatio in loca ignota, durum pœnæ genus, amisso jure civitatis et spe reditus in patriam adempta : Tomi, ubi Ovidius exsulabat, Sciathus, Gyarus, Corsica, Seriphus, Cosura, etc. loca propter hoc infamia ; cf. Consol. ad Helv. cap. 6 ; Juvenal. I, 73, etc.

te duriora remedia jam solida[1] nequitia desiderat : et
vincula publica, et carcer adhibebitur. Tibi insanabilis
animus est, et sceleribus scelera contexens ; et jam non
causis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris,
sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare.
Perbibisti nequitiam, et ita visceribus immiscuisti, ut
3 nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quæris[2]!
bene de te merebimur : auferemus tibi istam, qua vexaris,
insaniam ; et per tua alienaque volutato[3] supplicia[4],
id quod unum bonum tibi superest repræsentabimus,
mortem. Quare irascar cui quum maxime prosum ? Interim[5]
optimum misericordiæ genus est, occidere. Si intrassem[6]
valetudinarium[7] exercitatus et sciens, aut domum
divitis[8], non idem imperassem[9] omnibus, per diversa[10]

1. *Solida.* Firma, non facile loco movenda, in melius mutanda, Gallice *solide, inébranlable.* Minus tamen frequenter usitata ea vox est in hoc sensu, quam ut *totus, integer, nulla mixtura vitiatus* (*massif* vel *plein*) significetur. Sic aurum solidum, « solidoque adamante columnæ » (Virg. Æn. VI, 552); cui opponuntur bracteata, vel laminata, nobis, *le plaqué.*

2. *Olim..quæris!* Ergo jamdudum, o miser, supplicium cupis! Annuo, etc.

3. *Volutato.* In cod. Siculo erat *volutate*, quod et facile explicatur, nec inelegans est.

4. *Per tua... supplicia.* Id est, qui te simul atque alios miserum in modum vexavisti, sive conscientiæ stimulis identidem agitatus exstiteris, sive quod plus operæ et laboris in perpetrando malo quam in exsequendo officio impenditur. Unde quidam e recentioribus verissime : « Si quam operam ad excogitandum et struendum et admittendum scelus plurimi insumunt, illius dimidiam partem ad bonas artes transtulerint, jam omnes boni evaserint simul et felices. »

5. *Interim*, i. e. interdum.

6. *Intrassem*, etc. Hac imagine Veteres sæpe in hac re usi sunt, medicina corporis ad medicinam animi translata. Conf. *Gatak.* ad Antonin. p. 192, § 8; locum præclarum Simplicii in Epicteti Enchirid. p. 91, 92, (ed. Lugdun. 1640, 4) addo.

7. *Valetudinarium.* Valetudinarium locus erat ad ægrotos servos et milites curandos destinatus. J. F. Gronov. primus hanc vocis potestatem exposuit ad Senec. Nat. Quæst. I, præf. eoque nomine laudatus a Gesnero in Lexic. rust. h. v.

8. *Domum divitis* Muretus omiserat, contra omnes libros, non assecutus forsan quam ob causam id τῷ *valetudinarium* conjunctum sit. Valetudinaria privata innuit.

9. *Imperassem*, præscripsissem, προστάξαιμι ἄν, συντάξαιμι ἄν.

10. *Per diversa*, i. e. diverso modo, diversis corporis locis et membris.

ægrotantibus. Varia in tot animis vitia video, et civitati
curandæ adhibitus sum : pro cujusque morbo medicina
quæratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio,
hunc dolor, hunc egestas, hunc ferrum. Itaque, etsi per- 4
versa induenda magistratui vestis [1], et convocanda clas-
sico [2] concio est, procedam in tribunal, non furens, nec
infestus, sed vultu legis [3]; et illa solemnia [4] verba, leni
magis gravique, quam rabida voce concipiam [5], et agi
jubebo [6] non iratus, sed severus. Et quum cervicem noxio
præcidi imperabo, et quum parricidam insuam culeo [7],

1. *Perversa..... vestis.* Togam sordidam ac pullatam luctus causa sumptam a prætore et qui judicio capitali præsidebat, prætexta posita (Val. Max. lib. IX, cap. 7), cum Lipsio ego libentius intelligam, quam de veste male ob festinationem ideoque inverse sumpta, cum Schellero in Lexic. h. voc. Epitheton enim perpetuum hac in re fuisse videtur. Cæterum *perversus* respondet τῷ *infaustus*, *adversus*.

2. *Classico* populus convocabatur, ut tristi spectaculo et exemplo interesset : rem illustravit suo more, i. e. accurate et docte, Lipsius, ad Tacit. Annal. cap. II, lib. 32.

3. *Vultu legis.* Alii *vultu leni* substituunt, mera conjectura et MSS. omnibus fere refragantibus. Mox *severa magis* nulli scripti habent, sed *leni* : Lipsius et J. F. Gronovius probant receptam : *leni*.

4. *Solemnia verba*, scilic. *Age, lictor*, s. *Lege age*, s. *Jure age*, i. e. hunc tolle, verbera. Sequuntur pœnarum genera varia : parricidam sacco coriaceo insutum in Tiberim demergi; milites decimatione s. pœna gladii mulctari; proditores a Tarpeia rupe deturbatos esse.

5. *Concipiam.* Usitata sæpius vox, quum vir inducitur qui gravissime, sedatissime, et quasi religiose loquitur. Et sic sacerdos verba *concipit*, sic quilibet e populo vota; unde sane derivatum vocabulum. Namque, ut plurimum, qui illiusmodi lenta, gravia, sacra solemni voce inchoant, diu meditantur et quodammodo præparant quæ mox efferent; et ingenio, cujus proprium est *concipere*, prius allaboratur quam lingua et ore.

6. *Agi jubebo.* Illa quippe erat formula supplicium et cædem imperantium : « Age, » vel « Lege age, lictor » (vid. sup. not. 4), et cavebant ne aspera et tristiora hæc effunderent, cæde, occide, affige, tolle, suspende, etc.

7. *Parricidam...culeo.* Notum enim, qui patris vel propinqui interfecti manifestus, eum, postquam ad sanguinem virgis in foro esset cæsus, culeo insutum cum cane, gallo, simia et serpente, mox mari mersum aut proximo amne : de hoc vide Ciceron. pro Rosc. Amer. II, cap. 25 et 26, et Nostri Clement. cap. 23. — *Militarem* mox ex conj. Lips. recipe, filo sermonis dirigente; antea erat *supplicium militare* : τὸ *supplicium* enim sine subjecto esse nequit. Et in hominem militaris loci justus sine ira ero. — Ita *Ruhkopf* : nos li-

et quum mittam in supplicium militarem, et quum Tarpeio proditorem hostemve publicum imponam; sine ira, eo vultu animoque ero, quo serpentes et animalia vene-
5 nata percutio. « Iracundia [1] opus est ad puniendum. » Quid? tibi [2] videtur lex irasci his quos non novit, quos non vidit, quos non futuros sperat? Illius itaque sumendus est animus, quæ non irascitur, sed constituit. Nam si bono viro ob mala facinora irasci convenit, et ob secundas res malorum hominum invidere conveniet. Quid enim est indignius, quam florere quosdam, et eos indulgentia fortunæ abuti, quibus nulla potest satis mala inveniri fortuna? Sed tam commoda illorum sine invidia videbit, quam
6 scelera sine ira. Bonus judex damnat improbanda; non odit. « Quid ergo [3]? non, quum ejusmodi aliquid sapiens » habebit in manibus, tangetur animus ejus, eritque so- » lito commotior? » Fateor. Sentiet levem quemdam te-
7 nuemque motum. Nam, ut dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam quum vulnus sanatum est, cicatrix

bentius *militare* adoptaremus; nam *militarem* pro *militarem virum*, *militaris loci virum*, nusquam occurrit.

1. *Iracundia*. Non indiget judex ira ad puniendum: legem imitaris; illius mores sumendi sunt. Legi hic personam quasi tribuit, ad modum Platonis, apud quem et Socrates leges ipsum reprehendentes inducit, Criton. Tom. I, p. 115 sqq. Bip. Si autem viro bono liceat irasci, eidemque et licebit invidere: atqui vetitum est posterius, ergo et prius. Cf. et Cic. de Off. I, cap. 25, p. 213, ubi J. M. *Heusinger* nostrum locum non neglexit.

2. *Tibi*. Jampridem desiit nocentem alloqui; nunc sermo est cum adstantibus.

3. *Quid ergo? ... quidem carebit.* Primis tamen affectuum motibus et irritamentis sapiens non carebit, ira ipsa non tangetur. Dictum Zenonis, haud dubie Cittici, auctoris familiæ Stoicæ, (de quo cf. auctores Hist. phil. inprimis *Tiedemann, Geist der spekul. Philos.* II, 427 sqq.) accipio de affectibus e sapientis animo non ita prorsus sublatis deletisque, ut non vestigia eorum interdum compareant. Spectant hæc ad apathiam stoicam, de qua videndus est Noster in Epp. IX et LXXX. Corruptela autem animi per conjunctionem ejus cum corpore coorta, a veteribus philosophis sub imaginibus, ab ulceribus, vulneribus (κηλῖσι, οὐλαῖς, στίγμασι), repetitis expressa, cuique vel ex Virg. Æneid. lib. VI, vs. 735, sqq. ibiq. Heyn. et Exc. XIII, p. 240, tom. III, nost. edit. in recenti memoria erit. Ed.

manet. Sentiet itaque suspiciones quasdam et umbras af-
fectuum : ipsis quidem carebit. Aristoteles ait [1], affectus
quosdam, si quis illis bene utatur, pro armis esse. Quod
verum foret, si velut bellica instrumenta sumi deponique
possent induentis arbitrio. Hæc arma, quæ Aristoteles 8
virtuti dat, ipsa per se pugnant, non exspectant manum :
habent, et non habentur. Nil aliis instrumentis opus est :
satis nos instruxit ratione natura. Hæc dedit telum fir-
mum, perpetuum, obsequens, nec anceps, nec quod in
dominum remitti posset. Non ad providendum tantum,
sed ad res gerendas satis est per se ipsa ratio. Etenim 9
quid est stultius, quam hanc ab iracundia petere præsi-
dium [2] : rem stabilem ab incerta, fidelem ab infida, sanam
ab ægra? Quid, quod ad actiones quoque, in quibus so-
lis opera iracundiæ videtur necessaria, multo per se ratio
fortior est? Nam quum judicavit aliquid faciendum, in 10
eo perseverat. Nihil enim [3] melius inventura est se ipsa,

1. *Aristoteles ait.* Conf. 7, sq. supr. Redit ad quæstionem quam antea posuerat, an ira utilis sit, interruptam aliis quæstiunculis intersertis. Hi affectus *non exspectant*, i. e. non ferunt, tolerant manum; *habent* nos, scil. rationem, *non habentur* ab illa : alludit ad dictum Aristippi Cyrenaici, a Socrate instructi, in antiquitate celebratissimum, quippe qui quum Athenis relictis Æginæ cum Laide, ἑταίρᾳ notissima, familiariter viveret, increpantibus amicis dixisse fertur : ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι, hoc est, habeo, non habeor. Vid. Cic. ad Divers. Ep. IX, 26. Cf. et Diogen. Laert. II, 75, ib. Menag. p. 111, quem tamen locus noster fugit.

2. *Quid est stultius..... præsidium.* Ad illa ipsa revolvitur de quibus pauca nos cap. 10, cujus illud initium est: « Absit hoc malum a virtute, etc.» Istud ergo demonstrare aggreditur, nullam esse posse rationis et affectuum concordiam, nullum fœdus; et more suo per ἀντίθεσιν progreditur, modo agens de animi et rationis natura, modo de affectuum.

3. *Nihil enim..... constitutis.* Idem Stoici dicunt de ratione quod nos de Deo Opt. Max. Et re quidem vera Dei umbram, imaginem quamdam, suadente *Fénélon* (*Exist. de Dieu*), hanc facultatem credideris quæ dotibus Dei pollet altissimis, absoluta, neque ulli variationi obnoxia. Ratio enim, ut Deus, lex est pectori imo insculpta et infixa; ut Deus, quæ bona sunt, cupit imperatque; ut Deus, optima est, nec invenire quidquam potest quod sibi, quod placitis suis anteponat; ergo, ut Deus, iis stat

quo mutetur : ideo stat semel constitutis. Iram sæpe mi-
sericordia retro egit. Habet enim non solidum robur, sed
vanum tumorem : violentisque principiis utitur, non ali-
ter quam qui a terra venti surgunt[1], et fluminibus palu-
dibusque concepti, sine pertinacia vehementes sunt. In-
cipit magno impetu, deinde deficit ante tempus fatigata :
et quæ nihil aliud quam crudelitatem ac nova genera
pœnarum versaverat, quum animadvertendum est, ira
jam fracta[2] lenisque est. Affectus cito cadit : æqualis est
11 ratio. Cæterum, etiam ubi perseveraverit ira, nonnunquam
si plures sunt qui perire meruerunt, post duorum triumve
sanguinem, occidere desinit. Primi ejus ictus acres sunt,
sicut serpentium venena a cubili repentium nocent : in-
noxii dentes sunt[3], quum illos frequens morsus exhausit.
Ergo non paria patiuntur, qui paria commiserant, et sæpe
qui minus commisit, plus patitur, quia recentiori iræ
objectus est. Et in totum inæqualis est : modo ultra quam
oportet, excurrit, modo citerius debito resistit. Sibi enim
indulget, ex libidine[4] judicat, et audire non vult, et
patrocinio non relinquit locum, et ea tenet quæ invasit,
et eripi sibi judicium suum, etiam si pravum est, non
12 sinit. Ratio utrique parti locum dat, et tempus dat;

perpetuum quæ sibi proposuit. Id magnifice Horatius, lib. III, Od. 3: « Justum et tenacem propositi, etc. »

1. *A terra venti surgunt.* De ventis a terra surgentibus, iisque ex aqua provenientibus, vid. Nostr. in Nat. Quæst. lib. V, cap. 8 et 14. et Aristotel. apud Apuleium de Mundo, p. 258, T. II, Bip. ubi de origine venti aquatici, s. Encolpiarum fuse et ad recentiora physices decreta satis apte disputatur.

2. *Ira jam fracta.* Reduxi, scriptt. et edd. antiqq. Erasmi adstipulantibus. Lipsius et Gron. *jam infracta* dederant, ratione mutationis nulla addita : *infracta* esset, valde fracta; cf. Intpp. inprimis Cerdam ad Virg. Æn. XII, 1.

3. *Innoxii dentes sunt.* Jam in antiquitate causam veneni apud serpentes et aspidas exploratam fuisse vel Plin. H. N. lib. XI, c. 62, Bip. docet.

4. *Libidine.* Libido proprie est quod alicui libet, quod placet, veri et æqui posthabita ratione. Quod gallice per hæc optime efferas, *le caprice*, *l'arbitraire*, *le bon plaisir.*

**deinde advocationem [1] etiam sibi petit, ut excutiendæ [2]
spatium veritati habeat : ira festinat. Ratio id judicari
vult, quod æquum est : ira id æquum videri vult, quod
judicavit. Ratio nihil præter ipsum de quo agitur spec-
tat : ira vanis et extra causam obversantibus commovetur.
Vultus illam securior, vox clarior, sermo liberior [3], cul-
tus delicatior [4], advocatio ambitiosior [5], favor popularis
exasperat. Sæpe infesta patrono, reum damnat ; etiamsi** 13
**ingeritur oculis veritas, amat et tuetur errorem ; coargui
non vult, et in male cœptis honestior illi pertinacia vide-
tur quam pœnitentia. Cn. Piso [6] fuit memoria nostra,** 14
**vir a multis vitiis integer, sed pravus [7], et cui placebat
pro constantia rigor. Is quum iratus duci [8] jussisset eum
qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi inter-
fecisset quem non exhibebat [9], roganti tempus aliquod ad**

1. *Advocationem.* Proprie hic posita est advocatio ut verbum judiciale ; qui enim parum instructi ad defendendam causam suam erant, moram et tempus deliberandi advocandique amicos et peritos, i. e. advocationem a judice petiere ; deinde omnem moram et tergiversationem vox illa designavit. Cf. ad Consol. ad Marc. X.

2. *Excutiendæ.* Dispiciendæ, ponderandæ. Excutit quodammodo causam qui omnia ab utroque allegata diu perpendit, et omni a parte rem prius speculatur quam de ea aliquid statuat.

3. *Sermo liberior.* Ultionis, exsilii, mulctæ, necis cupidissima, vix eos loqui patitur quos reos facit et criminatur.

4. *Cultus delicatior.* Sordida et obsoleta veste indui solitos reos, neque ignotum est, et jam notavimus. Quidam tamen, alii superbientes, alii munditiæ et elegantiarum curiosi, candidam togam retinebant, immo et interim splendidiore cultu utebantur.

5. *Advocatio ambitiosior.* Est præsentia amicorum patronorumve, operam suam commodantium, frequentior, splendidior. Vid. not. 1 huj. pag.

6. *Cn. Piso.* Syriæ præfuit sub Tiberio et causa mortis putatur Germanico fuisse. Vid. Tacit. Annal. II, 43, 55, ubi maxime iræ ejus mentio injicitur : coll. lib. III, cap. 17.

7. *Pravus* proprie male distortum designat (Gronov. ad Liv. IV, 26.) mox omnem qui sibi non constat, qui a recta linea recedit ; quam vocis vim hic obtinere sequentia docent.

8. *Duci.* Aliquando invenitur *duci*, subaud. *ad necem, ad carcerem.* Vid. inter alia multa Martialis lib. IX, Epigr. III, vs. 10.

9. *Exhibebat*, i. e. secum referebat : vox ex foro sumpta : *exhibet* qui præstat ejus rei de qua agitur præsentiam. Pandectar. XIII, 6, 5.

conquirendum, non dedit. Damnatus extra vallum ductus
est, et jam cervicem porrigebat, quum subito apparuit
15 ille commilito qui occisus videbatur. Tunc centurio[1]
supplicio præpositus condere gladium speculatorem[2]
jubet : damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni
innocentiam[3]; nam militi fortuna reddiderat. Ingenti
concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno
gaudio castrorum, commilitones. Conscendit tribunal[4]
furens Piso, ac jubet duci utrumque, et eum militem
16 qui non occiderat, et eum qui non perierat[5]. Quid hoc
indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant.
Piso adjecit et tertium. Nam ipsum centurionem, qui
damnatum reduxerat, duci jussit. Constituti sunt in
17 eodem loco perituri tres, ob unius innocentiam. O quam
solers est iracundia ad fingendas causas furoris! Te, inquit, duci jubeo, quia damnatus es; te, quia causa damnationis commilitonis fuisti; te, quia jussus occidere, imperatori non paruisti. Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. Habet, inquam, iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit : clamore,

1. *Centurio.* Honoratissimus post tribunum centurio dimidiam manipuli partem regebat, et variis muneribus fungebatur, quorum unum suppliciis militaribus præesse.

2. *Speculatorem.* Miles rem pœnalem exercens sub præsidio centurionis, s. tribuni. Cf. Intpp. ad Tacit. Hist. I, 24. Annal. XV, 67.

3. *Redditurus Pis. innoc.* Innocentiam quam amiserat, damnando innocentem. Nisi enim militem, qui non simul redierat, concreditum fuisse statuamus fidei alterius, cui Cn. Piso tantopere irascebatur, ne causam quidem rigoris insani inveniemus. Factum autem hoc esse in Syria, nobis vel non monentibus assecutus fueris. — *Mil. fort. redd.* Innocentiam scil. quod modo expressum iterare noluit.

4. *Tribunal.* Locus editus hac in parte castrorum cui nomen *principio*, et Deorum aris, imperantium imaginibus, vexillis decoratus; et hic concionabantur duces, hic jura reddebant tribuni, hic sæpius pœnæ exigebantur.

5. *Et eum qui non perierat.* Verbo tantum monemus, illos duos milites hic intelligi, qui commeatu usi erant; ne quis de speculatore cogitet.

et tumultu, et totius corporis jactatione, quos destinavit[1], insequitur, adjectis conviciis maledictisque. Hoc non 18
facit ratio[2] : sed si ita opus est, silens quietaque, totas
domos funditus tollit, et familias reipublicæ pestilentes
cum conjugibus ac liberis perdit; tecta ipsa diruit, et solo
exæquat; et inimica libertati nomina exstirpat. Hæc non
frendens, nec caput quassans, nec quidquam indecorum
judici faciens, cujus tum maxime placidus esse debet et
in statu vultus, quum magna pronuntiat. Quid opus est,
inquit Hieronymus[3], quum velis cædere aliquem, prius 19
tua labia mordere? Quid si ille vidisset, desilientem de
tribunali proconsulem, et fasces lictori auferentem, et
sua vestimenta[4] scindentem, quia tardius scindebantur
aliena? Quid opus est mensam evertere? quid pocula affligere? quid se in columnas impingere? quid capillos
evellere? femur pectusque percutere? Quantam iram
putas, quæ quia non tam cito in alium quam vult erumpit, in se revertitur! Tenetur itaque a proximis, et roga- 20
tur ut ipse sibi placetur : quorum nihil facit quisquis
vacuus ira, meritam cuique pœnam injungit. Dimittit
sæpe[5] eum cujus peccatum deprehendit, si pœnitentia
facti spem bonam pollicetur, si intelligit non ex alto
venire nequitiam, sed summo, quod aiunt, animo inhæ-

1. *Destinavit*, i. e. petiit, sibi elegit.

2. *Hoc non facit ratio.* Exempla facile inventu. Lipsius laudat recte Sp. Mælium (ex Liv. IV, 16) Manliumque Capitolinum, cujus prænomen (Marcus) posteri vetiti sunt ferre (Liv. VI, 20.). Familiæ pestilentes reip. fuere Tarquinii, etc.

3. *Hieronymus*, Rhodius, Peripateticus, inprimis nobilis (Diog. Laert. V, 68; cf. et loca Cicer. v. in Indice hist. Ernest. h. v.), vixit sub Ptolemæo Philadelpho circ. Olymp. 127. Omnia quæ scripsit, quæ multa fuere, sunt in deperditis, (cf. Fabric. Bibl. Græc. T. III, p. 495, sq.) nec affirmare licet, ubi hæc quæ Noster citat locum habuerint.

4. *Vestimenta* scindere, mensam evertere, pocula affligere (in terram jacere), etc., esse iratorum, quis nescit?

5. *Dimittit sæpe.* Stoicorum dogma, delicta esse paria, hic relinqui a Nostro

rere. Dabit impunitatem, nec accipientibus [1] nocituram,
nec dantibus [2]. Nonnunquam magna scelera levius quam
minora compescet, si illa [3] lapsu, non crudelitate com-
missa sunt, his [4] inest latens, et operta, et inveterata cal-
liditas. Idem delictum in duobus non eodem malo affi-
ciet [5], si alter per negligentiam admisit, alter curavit ut
nocens esset [6]. Hoc semper [7] in omni animadversione ser-
vabit, ut sciat, alteram adhiberi, ut emendet malos, al-
teram, ut tollat. In utroque non præterita, sed futura
21 intuebitur. Nam, ut Plato ait, Nemo prudens punit, quia
peccatum est, sed ne peccetur; revocari enim præterita
non possunt, futura prohibentur: et quos volet nequitiæ
male cedentis [8] exempla fieri, palam occidet, non tantum [9]
22 ut pereant ipsi, sed ut alios pereundo deterreant. Hæc
cui expendenda æstimandaque sunt, vides quam debeat
omni perturbatione liber accedere ad rem summa dili-
gentia tractandam, potestatem vitæ necisque. Male irato
ferrum committitur. Ne illud quidem judicandum est,
aliquid iram ad magnitudinem animi conferre. Non est
23 enim illa magnitudo; tumor est: nec, corporibus [10] copia

et mitigari quivis intelliget. Cf. Cic. Paradox. I, et de finib. IV, 27, 28.

1. *Nec accipientibus*. Quippe qui nihil jam sceleris perpetrarunt; quod perpetrantes sibi ipsi nocent.

2. *Nec dantibus*. Quippe qui nihil jam sceleris patientur.

3. *Illa*. Magna nempe.

4. *His*. Minoribus, et subaud. *si*.

5. *Idem delictum.... eodem malo aff.* Cum Gronov. recepi, scriptis et edd. vett. adstipulantibus: i. e. eadem pœna et damno. Exempla affert Gronov. Antea: *modo*; quod Lips. tuebatur.

6. *Alter curavit ut nocens esset.* Scilicet cui jam sola peccandi causa peccare, ut superius ipse dixit.

7. *Hoc semper*, etc. Platonem expressit de Legg. IX, p. 5. XI, p. 164, 165, Tom. IX, Bip.

8. *Male cedentis*. Id e. scopum suum minime attingentis, in irritum laborantis, sibi, postquam toties aliis nocuit, nocentis, nactæ pro pecunia inopiam, pro alienis cædibus exitium.

9. *Non tantum*. Bene habet hæc lectio: ipsis his peccantibus pereundum est, ut futura mala prohibeantur; sed hæc non sola ratio est; accedit altera, ut exemplo sint aliis. Itaque conject. Lipsii, *non tam*, haud admittenda.

10. *Nec corporibus..... morbus incrementum est*. Negligentius elata, i. e.

vitiosi humoris intensis, morbus incrementum est, sed
pestilens abundantia. Omnes quos vecors animus supra
cogitationes extollit humanas altum quiddam et sublime
spirare se credunt : cæterum nihil solidi subest, sed in
ruinam prona sunt, quæ sine fundamentis crevere. Non 24
habet ira cui insistat [1]; non ex firmo mansuroque oritur,
sed ventosa et inanis est; tantumque abest a magnitudiné
animi, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolen-
tia, ab austeritate tristitia, a severitate crudelitas. Mu-
ltum, inquam, interest inter sublimem animum et super-
bum. Iracundia nihil amplum decorumque molitur. Con- 25
tra, mihi videtur veternosi [2] et infelicis animi, imbecil-
litatis sibi conscii, sæpe indolescere. Ut exulcerata et
ægra corpora ad tactus levissimos gemunt, ita ira mulie-
bre maxime et puerile vitium est [3]. « At incidit et in viros,
nam viris quoque puerilia ac muliebria ingenia sunt. »
« Quid ergo? non aliquæ voces ab iratis emittuntur, quæ 26
» magno emissæ videantur animo, veram ignorantibus
» magnitudinem? qualis illa dira et abominanda : Ode-
» rint, dum metuant [4]. Sullano scias sæculo scriptam. »

aqua intercus, ille morbus, nec incrementum est. Non est incrementum, morbus est, pergere debuisset.

1. *Non habet ira cui insistat.* Hoc est, sine fundamentis crevit, nullam habet basim cui insidat; arenoso solo, non lapide surgit. Hæc jam supra, quum de irascentium levitate et inconstantia ita inchoavit : « Iram sæpe misericordia retro egit; habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem, etc. »

2. *Veternosi*, i. e. vetustate ægri : cf. lib. II, cap. 19. *Ventosi*, quod alii habent, aberratio librarr.

3. *Ut exulcerata.... vitium est.* Ita supra, sub finem cap. 13 : « Iracundissimi infantes senesque et ægri sunt; et invalidum omne natura querulum est. »

4. *Oderint, dum metuant.* Quo dicto nihil tristius apud Veteres. E tragœdia quæ *Atreus* inscripta est, Accii poetæ, qui Sullano sæculo (circ. A. U. 640) vixit, forte id desumptum. Id esse verum arbitratur certe Lipsius; et favet locus Ciceronis, Offic. Lib. I, cap. 28 : « Ut si Æacus aut Minos diceret : *Oderint, dum metuant*, indecorum videretur, quod eos fuisse justos accipimus; at Atreo dicente plausus excitantur. » Et immanis sævitiæ dictum valde mirabatur Caligula (vid. Sueton. Calig. cap. 30.) nec mirum:

Nescio utrum sibi pejus optaverit, ut odio esset, an ut
timori. Oderint! Occurrit illi, futurum ut exsecrentur,
insidientur, opprimant: quid adjicit? Dii illi male fa-
ciant, adeo reperit dignum odio remedium. Oderint!
Quid? dum pareant? non; dum probent? non: quid
ergo? dum timeant. Sic nec amari quidem vellem. Magno
hoc dictum spiritu putas? falleris; nec enim magnitudo
27 ista est, sed immanitas. Non est quod credas irascentium
verbis; quorum strepitus magni, minaces sunt, intus
mens pavidissima [1]. Non est quod existimes verum esse,
quod apud disertissimum virum Livium [2] dicitur: « Vir
» ingenii magni magis quam boni. » Non potest illud se-
parari: aut et bonum erit, aut nec magnum [3]; quia ma-
gnitudinem animi inconcussam intelligo, et introrsus so-
lidam, ab imo parem firmamque, qualis inesse malis
28 ingeniis non potest. Terribilia enim esse, et tumultuosa,
et exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cujus firma-
mentum roburque bonitas est, non habebunt; cæterum
sermone, conatu, et omni extra paratu facient magnitu-
29 dinis fidem. Eloquentur aliquid quod tu magni putes,

quippe qui exclamavit: « Utinam populo Romano unum caput esset, quod uno ego ictu amputarem! » Ed.

1. *Minaces sunt, intus mens pavidissima.* Argutissime dictum; quod de IV consulatu Honorii imitatus Claudianus, quum de malis principibus sic ait v. 291, sqq. « Invideant claris, fortesque trucident; Muniti gladiis vivant, septique venenis; Ancipites habeant artes, trepidique minentur. » Non abest nostras *Chénier*, in eximio dramate:

Tibère à ses genoux voit l'univers trembler;
Et, subissant lui-même un tyrannique empire,
Éprouve en l'ordonnant la frayeur qu'il inspire.

Tibère, act. I, scèn. 1.

2. *Livium.* Livius eo nomine defendendus esse videtur, quod non ut philosophus stoicus, sed ut historicus, cui judicia publica eaque communia hominum, quamvis philosophorum decretis interdum haud consentanea, sequi licet, judicium suum ex ingenii viribus ad consilia exsequenda haud vulgaribus adhibitis eventuque magnitudinem metiens. Cæterum bonitatem ex consiliis ipsis accurate consideratis æstimare debemus; et ubi stricte dicendum est, Senecæ quemcunque assensurum esse putem.

3. *Aut et bonum erit, aut nec magnum.* Hunc lectionis contextum cum Rubenio ego recepi ex libris et

sicut C. Cæsar [1], qui iratus cælo, quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque commissio [2] sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis [3], ad pugnam vocavit Jovem, et quidem sine missione [4], Homericum illum exclamans versum, ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ. Quanta dementia fuit! putavit, aut sibi noceri ne a Jove quidem posse, aut se nocere etiam Jovi posse.
Non puto parum momenti hanc ejus vocem ad incitandas 30
conjuratorum mentes [5] addidisse; ultimæ enim patientiæ
visum est, eum ferre, qui Jovem non ferret. Nihil ergo 31
in ira, ne quum videtur quidem vehemens, Deos hominesque despiciens, magnum, nihil nobile est: aut si videtur alicui magnum animum ira producere [6], videatur et

Lipsius invexerat: aut magnum et bonum erit.

1. *Sicut C. Cæsar*. Caligula nempe qui et post Tiberium et ante Claudium Romæ imperium exercuit. De Caii Cæsaris impietate cf. et Sueton. Calig. cap. 22, ed. II Ernest. (nam in prioribus edd. Suetonii, uti et Senecæ, alia græca leguntur). Versus desumptus ex Hom. Iliad. ψ, 724 (vid. not. 2 infr.) idem sonat ac: « Tolle me, aut ego te. »

2. *Commissio* reduxi, Lipsio non improbante. *Commissatio* antea legebatur: quod et orthographiæ veræ contrarium est (nam *comissatio* a κῶμος scribendum patet), neque hic stare potest; agitur enim de spectaculis, quibus ipse Caligula ut actor interfuerat. — *Committere* tunc proprie dicebatur de iis qui aut aurigas aut gladiatores in ludis publicis simul certare jubebant. Martialis, Spectac. Epigramm. XXVIII: « Augusti laudes fuerant committere classes. »

3. *Fulmina p. p. certis*. Quia ipsum illud scelestum caput non tangerent.

4. *Sine missione*, i. e. ut alter eorum caderet: antiqua lectio. *Sine omiss.* a librario, qui difficiliorem lectionem non intellexisset, invectum esse videtur. Cæterum in versu Homerico variant libri: alii habent: Εἰς γαῖαν Δαναῶν περόω σε; alii: Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος, ex Il. γ, 365. Dio tamen Cassius, LIX, 28, nostram lectionem tuetur, ex Il. ψ, 724. desumptam, quam et Ernesti puriorem putans Suetonio restituit. Sæpe autem talem diversitatem in MSS. occurrere constat, ex inscitia librariorum, qui locum, in quo græca erant, vacuum linquendo posteris ansam dedere explendi ex lubitu profectam. Nostra lectio cæteris præstat ad insaniam Caligulæ ridiculam commonstrandam.

5. *Conjuratorum mentes*. Periit nempe Caius imperator interfectus in palatio a Cherea et optimatum quibusdam quos gravissimis contumeliis insectatus erat, anno quarto circiter postquam imperio fungebatur.

6. *Magnum animum producere*.

luxuria [1]. Ebore sustineri [2] vult, purpura vestiri [3], auro tegi, terras transferre, maria concludere [4], flumina præ-
32 cipitare [5], nemora suspendere [6]. Videatur et avaritia magni animi : acervis auri argentique incubat [7], et provinciarum nominibus [8] agros colit, et sub singulis villicis latiores habet fines, quam quos Consules [9] sortiebantur [10].

Hoc est proferre, in publico aperire et demonstrare animi magnitudinem quæ latebat.

1. *Luxuria.* Ea hic italicæ luxuriæ miracula commemorat, quæ scilicet nullibi et nunquam eo provecta est quo apud romanos proceres. Sed ad hæc quis obstupescet? quum orbis universi, publice Duces, spolia privatim proconsules et præfecti in Urbem, in domos suas rapta cumulaverint. Nam etsi victis multa relinquerent imperatores, quot Verres e provinciis referebant « occulta spolia et plures de pace triumphos !» Hinc Romam confluxere immensæ opes; et jam, vigente tamen republica, dicebat Catilina: «trahunt pecuniam, vexant»; et centum post annis Martialis. lib. IX, Ep. LX: « Hic ubi Roma suas aurea vexat opes. »

2. *Ebore sustineri.* Lecti, sellæ, vehicula, ipsa pavimenta eburnea s. ebore distincta (Ep. CXXII; N. Quæst. I. præf.). Quin aliquando et auro, ut lacunaria (*plafonds*). Cf. Interpp. ad Horat. II, Od. 18, vs. 2. Plin. H. N. XXXIII, 3.

3. *Purpura vestiri.* Horatius, lib. III, Od. 1, stroph. penult. « Purpurarum sidere clarior ..... Usus. » Quanquam et id jam temporis purpuram intexebant tantum vestibus privati, et vetitum purpureo pallio, in quo nil nisi purpura (ὁλοπορφυραῖς ἐσθῆσι), quemquam indui, nisi Augustos et Cæsares.

4. *Terras transferre, maria concludere.* Moris luxuriosorum erat, montes e planis, plana e montibus facere, maria ad piscinas faciendas molibus injectis coarctare, inprimis ad Baias (Intpp. ad Horat. III, Od. 1, 33.) ædificia in mari exstruere ad auram frigidam captandam.

5. *Flumina præcipitare.* Spectat ad artes aquaticas, ut vocant, per quas aqua, croco, vino et balsamo diluta, ex alto, fistularum ope, demissa, spectaculum, murmur et odorem, oculis, auribus, nasoque gratum suppeditaret. Cf. ad N. Quæst. lib. II, cap. 9, et Hemsterhus. ad Lucian. Tom. I, p. 281, Bip.

6. *Nemora suspendere.* Ad silvas pensiles spectat, in ædium tectis planis ut viridaria dispositas, ex more qui hodieque obtinet in terris meridionalibus. Plin. Hist. Nat. lib. XV, cap. 14 « Quoniam in tecta jam silvæ scandunt. »

7. *Acervis auri argentique incubat.* Horatius, lib. I, Sat. 1, 70: « congestis undique saccis Indormis inhians. »

8. *Provinciarum nom.* Innuit latifundia aut prædia, quæ provinciæ appellari possint.

9. *Consules.* Accipiebant per sortem provincias, in quas abirent: res nota.

10. *Sub singulis... sortiebantur.* His satis congruunt Horatiani versus, lib. II, Od. 15: « Jam pauca aratro jugera regiæ Moles relinquent; » et: « Latius Extenta visentur Lucrino Stagna lacu. » Et Martialis de Ne-

Videatur et libido magni animi : transnatat freta [1], puerorum greges castrat, sub gladium mariti venit uxor, morte contempta. Videatur et ambitio magni animi : non est contenta honoribus annuis [2] : si fieri potest, uno nomine occupare fastos vult, per omnem orbem titulos [3] disponere. Omnia ista non refert in quantum procedant extendantque se : angusta sunt, misera, depressa. Sola sublimis et excelsa virtus est : nec quidquam magnum est, nisi quod simul et placidum [4].

ronis domo aurea, Spectacul. libri Epigr. II : « Invidiosa feri radiabant atria regis, Unaque jam tota stabat in urbe domus : Hic ubi miramur, velocia munera, thermas, Abstulerat miseris tecta superbus ager ; Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras, Ultima pars aulæ deficientis erat. »

1. *Transnatat freta.* Videtur de amoribus Leandri et Heronis cogitasse, de quibus eleganter Musæus in notissimo poemate cujus id initium: Εἰπὲ, θεὰ, κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων.

2. *Honoribus annuis.* Consulatu, prætura, ædilitate, etc.

3. *Titulos.* Statuas inscriptionesque.

4. *Nisi quod simul et placidum.* Ea nempe magnitudo vere est quæ perpetuum, quæ usquequaque magnitudinis nomen sibi vindicat. Neque id potest, nisi extra casus et « vices Ludosque fortunæ » (Horat. Lib. II, Od. I.) sita est. Atqui non id libidini, non avaritiæ, non iris competit, quæ modo iis potiuntur quæ concupiscunt, modo nudæ gemunt, modo eriguntur, et quidquid splendidissimum est sibi circumdant, deprimuntur interdum, et cadunt, et sordida induuntur. Ille solus magnus, altus, qui, dum omnia infra se agitantur et strepunt, inconcussus conquiescit, Dei instar. *Lebrun*, Ode sur la *Destruction de Lisbonne.*

Sous ses pieds les tonnerres grondent,
L'air mugit, les enfers répondent
Au tumulte des élémens.
Immobile dans cet orage,
Il voit à ses pieds le naufrage
Des rois, des peuples et du tems.

L. ANNÆI SENECÆ
DE IRA
AD NOVATUM
LIBER II.

ARGUMENTUM LIBRI SECUNDI.

Disquiruntur hoc libro duæ quæstiones : prior de iræ natura atque indole, posterior de remediis, quæ adversus eam adhiberi oportet. Prior quidem pars usque ad cap. XVII pertinet. Ac primum quærit, utrum ira a solo impetu, an a judicio proficiscatur. Respondet, eam nil nisi animo approbante conari, cap. I. Sic pergit deinde ad docendum, quid sit ira, addit ejus initia et gradus, et quomodo distet a crudelitate et furore, II—V. Virtutem itaque tum docet iræ non esse capacem; ideoque nec sapientem (qui nulla ratione vitiis et sceleribus humanis eorumque fœdis effectibus, justo fusius descriptis, admoveri possit), iræ unquam obnoxium se pati, VI — X. Sequuntur quæstiunculæ, a Peripateticis motæ : contra quas monet, ne quisquam iram, quia formidini sit, magnum putet, XI—XII. Et vinci potest ira ad XIV. Si quis dicat, ideo iram generosi quid habere, quod gentes liberæ, ut Germani et Scythæ, iratissimæ prædicantur, is reputet, feritate eas duci, XV. Oratori non iram, sed irati imitationem prodesse. Sic respondit ad objectiones istas Peripateticorum, iræ utilitatem vindicantium, XVII. Posterior pars infit a cap. XVIII, ubi ad iræ remedia accedit. Quorum duas facit partes: prior continet remedia, ne in iram incidamus, usque ad finem libri : posterior pars tertio libro tractatur. A cap. XVIII—XXII, et internæ et externæ causæ ac fontes iræ atque iracundiæ exponuntur, quæ tum habitu et constitutione corporis, ideoque elementis, eorumque potestatibus (temperamenta vocamus) tum institutione puerili (de qua capp. XXI, XXII, præclara monita) occurrunt. A cap. XXIII—XXIV, alia quædam, in quæ ingenia nonnulla interdum proniora esse solent, e. c. suspicio, et conjectura, etc. notantur. A cap. XXV, externæ occasiones iræ et iracundiæ afferuntur vel in nobis sitæ, quæ tamen ex ignoratione ac impudentia oriuntur : vel a Diis immissæ ad XXVIII. Deinde regulæ egregiæ sequuntur : læsus ab aliis consilia agentium respice, maledictus in veritatem inquire, etc. XXIX—XXX. Præcipue fastus est ponendus, et æstimatio sui nimia abjicienda, quæ iracundos et vindictæ cupidos facit. Pati potius decet et dissimulare; a tetro illo affectu optime abstinere possumus, si fœditatem iræ cum sævis effectibus ejus apud animum reputemus, XXXI—XXXVI.

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA

LIBER SECUNDUS.

I. Primus liber, Novate, benigniorem [1] habuit mate- 1
riam; facilis enim in proclivia [2] vitiorum decursus est:
nunc ad exiliora [3] veniendum est. Quærimus enim, utrum
ira judicio, an impetu incipiat, id est, utrum sua sponte
moveatur, an quemadmodum pleraque, quæ intra nos
insciis nobis oriuntur. Debet autem in hæc se demittere 2
disputatio, ut ad illa quoque altiora [4] possit exsurgere.
Nam et in corpore nostro ossa, nervique et articuli, fir-
mamenta totius, et vitalia, minime speciosa visu, prius
ordinantur; deinde hæc, ex quibus omnis in faciem ads-
pectumque decor est; post hæc omnia, qui maxime ocu-
los rapit color, ultimus, perfecto jam corpore, affundi-

I. Arg. Se ad spinosiores quæstiones procedere declarat: Utrum ira in nostra potestate sit, necne, ut nobis sive auctoribus sive insciis exoriatur in nobis. Ab illa vero nihil effici posse, nisi animo approbante, statuit.

1. *Benigniorem.* Uberiorem et faciliorem ad tractandum, quoniam vitia ante te quasi expansa vides, ut in ea perinde ac ex alto descendere animo facillime possis. Spectat Noster ad descriptiones et definitiones et refutationes, quibus primus liber repletus est.

2. *Proclivia.* Proclivitatem, planum: quasi in campo plano vitia sint aperta ex alto despicienti: neutro autem plur. adjectivorum cum gen. casu sæpe pro substantivis utitur Noster.

3. *Exiliora.* Spinosiora, subtiliora: sequentes enim quæstiones magna ex parte ad philosophiam, quam contemplativam vocant, pertinent.

4. *Altiora.* Ea jam innuit, quæ liber tertius complectitur, regulas et remedia ad iram inhibendam tollendamve.

3 tur. Iram [1] quin species oblata injuriæ moveat, non est
dubium : sed utrum speciem ipsam statim sequatur, et,
non accedente animo, excurrat, an illo adsentiente mo-
veatur, quærimus. Nobis placet, nil ipsam per se au-
4 dere, sed animo approbante. Nam speciem capere accep-
tæ injuriæ, et ultionem ejus concupiscere, et utrumque [2]
conjungere, nec lædi se debuisse, et vindicari debere,
non est ejus impetus [3], qui sine voluntate nostra conci-
5 tatur. Ille simplex est : hic compositus, et plura conti-
nens. Intellexit aliquid, indignatus est, damnavit, ulcis-
citur : hæc non possunt fieri, nisi animus eis, quibus
tangebatur, assensus est.

1 II. « Quorsus, inquis, hæc quæstio pertinet? » Ut scia-
mus, quid sit ira. Nam si invitis nobis nascitur, nunquam
2 rationi succumbet. Omnes enim motus [4], qui non volun-
tate nostra fiunt, invicti et inevitabiles sunt; ut, horror [5]
frigida adspersis, ad quosdam ictus [6] adspernatio [7], ad pe-

1. *Iram*. Species oblata, i. e. visum, φαντασία τοῦ ἀδικήματος. *Nobis*, i. e. mihi. Intelligit *Ruhkopf* Stoicis. Erat autem dogma Stoic., visis sapientem non moveri debere ad actionem aliquam, nisi se volente.

2. *Utrumque*. Indicantur ista voce, non τὸ *speciem capere acceptæ injuriæ*, et *ultionem ejus concupiscere*, sed *nec lædi se debuisse*, et *vindicari debere*.

3. *Non est...... impetus*. Idem impetus hanc utramque cogitationem, nec lædi se debuisse, et vindicari debere, in animo nostro efficere, producere potest : hæc duo momenta per eum simplicem impetum, motum (perturbationem) non fiunt, nisi ratio accesserit. Perceptione igitur et sensatione (ut nos loquimur) impetus simplex continetur, cognitione vero et judicio impetus compositus. Visa enim et impetus (φαντασίας καὶ ὁρμὴν) secuta est appetitio, ὄρεξις, secundum Stoicos, ratione accedente et approbante.

II. Arg. Declarat vim hujus quæstionis, et de iræ origine exponit.

4. *Omnes enim motus*. Per visa effectos : impetum simplicem intelligit, *impressiones* nos dicimus. Idem M. Antonin. de rebus suis lib. I, § 26 : πρὸς τὴν αἴσθησιν φυσικὴν οὖσαν οὐ πειρατέον ἀντιβαίνειν.

5. *Horror*. Hoc est, membrorum rigentium subitus tremor.—*Frigida*, subaud. *aqua*. Mart. lib. XIV, Ep. CV : «Frigida non desit, non deerit calda.»

6. *Ictus*. Reduxi ex Erasm. antea *tactus*. Motus enim hos, de quibus sermo est, et mox et cap. 4, *ictus* appellat, quibus violentius quid inest quod hic desideratur, quam τὸ *tactus*.

7. *Adspernatio*. Adspernationes pro-

jores nuntios subriguntur pili, et rubor ad improba verba suffunditur, sequiturque vertigo prærupta cernentes. Quorum quia nihil in nostra potestate est, nulla, quo minus fiant, ratio persuadet. Ira præceptis fugatur. Est 3
enim voluntarium animi vitium, non ex his quæ conditione quadam humanæ sortis eveniunt, ideoque etiam sapientissimis accidunt: inter quæ et primus ille ictus animi [1] ponendus est, qui nos post opinionem injuriæ movet. Hic subit [2] etiam inter ludicra scenæ spectacula, et lectiones rerum vetustarum. Sæpe Clodio Ciceronem ex- 4
pellenti, et Antonio occidenti [3], videmur irasci. Quis non contra Marii arma et contra Sullæ proscriptionem [4] concitatur? Quis non Theodoto et Achillæ et ipsi [5] puero non puerile auso facinus infestus est? Cantus nos nonnunquam et concitata modulatio instigat: Martius quoque ille tubarum sonus movet mentes et atrox pictura,

prie sunt aversiones spontaneæ. Noster, Ep. CXXI, 21: « Naturales a contrariis adspernationes sunt. »

1. *Primus ictus animi*, i. e. perturbatio, qua ad vindictam continuo movemur.

2. *Hic subit.* Dum fabulis agendis intersumus spectatores, dum rerum gestarum ante nos (vetustarum) historiam legimus. Harum rerum auctorem Livium, quem in magno honore habet (lib. I, cap. 16), respexisse videtur: tractaverat autem ille has res in historia sua; de Sulla quidem et Mario, libb. LXXVII — LXXXIX, uti epitomæ docent (nunc adi Plutarch. in vitis Sullæ et Marii, et Freinshem. supplem. ad Liv.), de Cicerone vero, lib. CIII (nunc vid. Plutarch. vit. Cic. et *Middleton's Life of Cicer.*) Narraverat quoque Livius, lib. CXII, Cn. Pompeium Magnum, quum Ægyptum peteret, jussu Ptolemæi regis pupilli (qui et Pt. puer vocatur a Vell. Pat. lib. II, cap. 53), auctore Theodoto præceptore, cujus magna apud regem auctoritas erat, et Photino, occisum esse ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula antequam in terram exiret: nunc cf. Plutarch. vit. Pompeii, capp. 77 et 80; Reisk. tom. III, pag. 863. Sunt hæc exempla sympathiæ, ut solis sensibus a re externa impulsis ad aliquid permoveamur.

3. *Occidenti;* supple, *Ciceronem.*

4. *Marii..... proscriptionem.* Aptissime utraque vox. Nam is postquam urbem victor intrasset, et summam potestatem invasisset, *armis* violenter injurias suas ultus est; Sulla autem *proscriptione*, quam legem credi et dici voluit.

5. *Puero.* Ptolemæo, Auletæ filio, qui Ptolemæorum pæne ultimus in Ægypto regnavit; nam post eum sola

5 et justissimorum suppliciorum tristis adspectus. Inde est quod arridemus ridentibus,[1] et contristat nos turba mœrentium, et effervescimus ad aliena certamina[2]. Quæ non sunt iræ; non magis quam tristitia est quæ ad conspectum mimici naufragii[3] contrahit frontem, non magis quam timor qui, Hannibale[4] post Cannas mœnia circumsidente, lectoris percutit animum: sed omnia ista motus sunt animorum moveri volentium, nec affectus, sed prin-
6 cipia præludentia affectibus. Sic enim militaris viri, in media pace jam togati[5], aures tuba suscitat, equosque castrenses erigit crepitus armorum. Alexandrum aiunt, Xenophanto[6] canente, manum ad arma misisse[7].

1 III. Nihil ex his[8] quæ animum fortuito impellunt, affectus vocari debet: ista, ut ita dicam, patitur magis animus quam facit. Ergo affectus est, non ad oblatas rerum

imperium Cleopatra obtinuit; quacum post Actiacum prælium intercepta regius Lagidarum sanguis exstinctus est, ann. ante Chr. nat. 29. Iste autem ann. 48, Pompeium post Pharsaliæ pugnam in Ægyptum fugientem jusserat interimi, consiliis obsecutus Achillæ et Theodoti. Vid. pag. 53, not. 2.

1. *Inde est........ ridentibus.* Hic quis non reminiscetur illud Horatianum: « Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent Humani vultus », ubi *Bentley* nostrum locum non præterit, ad Art. poet. vs. 101, 102.

2. *Aliena certamina.* Currentium, pugnantium in circo et amphitheatro.

3. *Mimici naufragii.* Quidam *nautici naufr.* sed *mim. naufr.* edit. princ. quod pulcherrimum sens. efficit. *Mimica naufragia* ea sunt quæ in scenis occurrebant repræsentata. Namque in solemnibus ludis, Cæsarum sub imperio, Naumachiæ sæpe exhibebantur, et in Naumachiis interim naufragia.

4. *Hannibale.* Cf. Liv. lib. XXVI, cap. 7. Ann. Urbis C. 525, quinque annis post prælium Cannense, hoc demum evenit.

5. *Jam togati.* Ideoque jam emeriti, demissi.

6. *Alexandrum...Xenophanto.* Diverse hoc narratur: alii enim tradunt de Timotheo, tibicine in antiquitate celeberrimo (conf. Suid. Τιμόθεος; ib. interpp. et Freinshem. Supp. Curt. lib. I, capp. 3 et 26); Antigenides vocatur ap. Plutarch. *de fortitudine Alex.* lib. II, cap. 4.

7. *Manum ad arma misisse.* Diogenes Cynicus, acute, ut multa, quum de hoc sermo incidisset, sese ait multo magis miraturum, si canens Xenophantus Alexandri impetum et ardorem retentasset.

III. Arg. Ira est affectus; quippe qui mentis assensus est. Distinguenda ergo sedulo est a corporis pulsibus.

8. *Nihil ex his,* etc. Distinguit affectum ab impetu simplici, et pro-

species moveri, sed permittere se illis, et hunc fortuitum
motum persequi. Nam si quis pallorem et lacrimas pro- 2
cidentes, et irritationem humoris obscœni, altumve su-
spirium, et oculos subito acriores, aut quid his simile
indicium affectus animique signum putat; fallitur, nec
intelligit hos corporis esse pulsus. Itaque [1] et fortissimus 3
plerumque vir, dum armatur, expalluit [2]; et signo pu-
gnæ dato, ferocissimo militi paullulum genua tremue-
runt [3]; et magno imperatori, antequam inter se acies arie-
tarent [4], cor exsiluit; et oratori eloquentissimo, dum ad
dicendum componitur, summa [5] riguerunt. Ira non mo-
veri tantum, sed excurrere debet. Est enim impetus [6]: 4
nunquam autem impetus sine assensu mentis est; neque
enim fieri potest, ut de ultione et pœna agatur, animo
nesciente. Putavit se aliquis læsum; voluit ulcisci; dis-
suadente aliqua causa, statim resedit. Hanc iram non
voco, sed motum animi, rationi parentem. Illa est ira
quæ rationem transilit, quæ secum rapit. Ergo prima
illa agitatio animi quam species injuriæ incussit, non
magis ira est, quam ipsa injuriæ species; sed ille sequens
impetus qui speciem injuriæ non tantum accepit, sed ap-
probavit. Ira est concitatio animi ad ultionem voluntate 5
et judicio pergentis. Numquid [7] dubium est, quin timor

prie dicto; quem quidem pallor, lacrimæ procidentes, etc. indicant.

1. *Itaque.* Et hi motus, seu impetus simplices sunt.

2. *Expalluit,* i. e. expallescere solet. Nempe Seneca præteritis ἀορίστως uti amat.

3. *Tremuerunt.* Sæpe tremunt. Vid. not. 2. Item mox *exsiluit* et *riguerunt.*

4. *Arietarent,* i. e. congrederentur, concurrerent; verbum Nostro familiare est, lib. III, cap. 4; ad Marc. lib. II; Ep. CIII; Quæst. nat. lib. V, cap. 13. *Gataker,* ad Antonin. p. 232, 20, sqq. docte illustravit.

5. *Summa,* i. e. summæ corporis partes, labia, manus; τὰ ἄκρα (gallice, *les extrémités.*) Walken. Analog. Ling. Græc. p. 64, ed. *de Scheyd.*

6. *Impetus.* Est ille compositus impetus de quo ad cap. 1 diximus, πάθος.

7. *Numquid,* etc. Neque timorem unquam, neque iram sine judicio animi esse probaturus, sic argumentum statuit: Quum timor impellat ad fugam, et ira ad impetum, neque fu-

fugam habeat, ira impetum? Vide ergo [1] an putes aliquid sine assensu mentis aut peti posse, aut caveri.

1 IV. Et ut scias quemadmodum incipiant affectus, aut crescant, aut efferantur [2], est primus motus non voluntarius, quasi præparatio affectus et quædam comminatio. Alter cum voluntate non contumaci, tamquam oporteat me vindicari, quum læsus sim; aut oporteat hunc pœnas dare quum scelus fecerit. Tertius motus est jam impotens [3], qui non, si oportet, ulcisci vult, sed utique, qui ratio-
2 nem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus; sicut ne illa quidem quæ diximus [4] accidere corporibus, ne nos oscitatio aliena sollicitet, ne oculi ad intentationem subitam digitorum comprimantur. Ista non potest ratio vincere; consuetudo fortasse et assidua observatio extenuat. Alter ille motus qui judicio nascitur, judicio tollitur **** [5].

1 V. Illud etiamnum quærendum est. Hi qui vulgo sæviunt et sanguine humano gaudent, an irascantur, quum eos

ga sola, aut solo impetu aliquid petere sit possibile; mentis assensus necessario ad id postulatur.

1. *Vide ergo*, i. e. cave igitur putes, noli putare. Cæterum et Cicer. Tusc. dispp. lib. IV, cap. 31, hanc sententiam tuitus est, Omnes perturbationes (quas πάθη fere semper appellat) esse in nostra potestate, omnes judicio susceptas, omnes voluntarias.

IV. Arg. Progressus affectus : nascitur nobis insciis; crescit assensu mentis, sed obscure; maturescit rationem secum rapiens. Stoici hcs gradus designabant vocibus : ῥοπῇ, εἴξει, συγκαταθέσει, ὀργῇ (propensione per visum, tum admissione et cessione, mox consensione, denique appetitu impetuque). Lipsius, Manud. ad Philos. stoic. lib. III, cap. 7, p. 156, 157.

2. *Crescant aut efferantur*. Ducta μεταφορὰ a fluminibus quæ primum, decidentibus pluviis aut liquescente glacie, crescunt, mox attolluntur et supra ripas exsiliunt.

3. *Impotens*. Non passive illa vox accipitur, ita ut idem sonet cum τῷ *qui non potest tolerari;* sed active, unde sensus : *qui non potest sese cohibere, impôs ipse sui*. Et ex hominibus ad res inanimas quoque mox translata fuit.

4. *Diximus*. Videlicet cap. 2, ubi de motibus non voluntariis egit.

5. *Tollitur*. Lacunam hic esse patet : nam de tertio motu agendum erat. Proinde ἀστερίσκους appingi jussi, et Lipsio suadente.

V. Arg. Distinguit crudelitatem ab ira : origo tamen eadem est.

occidunt a quibus nec acceperunt injuriam, nec acce-
pisse se existimant; qualis fuit Apollodorus aut Phalaris [1].
Hæc non est ira, feritas est : non enim quia accepit in-
juriam, nocet; sed parata est, dum noceat, vel accipere [2]:
nec illi verbera lacerationesque in ultionem petuntur,
sed in voluptatem. Quid ergo? origo hujus mali ab ira 2
est; quæ ubi frequenti exercitatione et satietate in obli-
vionem clementiæ venit, et omne fœdus humanum ejecit
animo, novissime in crudelitatem transit. Vident itaque,
gaudentque et voluptate multa perfruuntur, plurimum-
que ab iratorum vultu absunt, per otium sævi. Hanni-
balem [3] aiunt dixisse, quum fossam sanguine humano ple-
nam vidisset : « O formosum spectaculum! » Quanto pul- 3
chrius illi visum esset, si flumen aliquod lacumque com-
plesset! Quid mirum, si hoc maxime spectaculo caperis,
innatus sanguini, et ab infante cædibus admotus? Sequetur
te fortuna crudelitatis tuæ per viginti annos secunda,
dabitque oculis tuis gratum ubique spectaculum : videbis
istud et circa Trasimenum et circa Cannas, et novissime
circa Carthaginem tuam [4]. Volesus [5] nuper sub Divo Au- 4

1. *Apollodorus....Phalaris.* Apud Ciceronem, de Nat. Deor. lib. III, cap. 33, tamquam tyranni crudelissimi finguntur. Ille tyrannus Cassandriæ, urbis Macedoniæ fuit; de quo cf. Ælian. Var. hist. lib. XIV, c. 41 (ib. Perizon.); Pausan. lib. IV, cap. 5, p. 470, ed. *Faici.* De Phalaride, tyranno Agrigentino, exstat loc. class. Cicer. de Off. lib. III, capp. 6 et 7; Cf. Diod. Sic. lib. XIII, p. 211. Post Bentleii disputationes præclaras nihil est quod amplius addas.

2. *Vel accipere.* Ex conject. Lipsii excepi. Antea erat *velle accipere*, quod stare non poterat antecedente. *parata est*, id est *vult; vel*, i. e. *adeo;* librariis non intellectum, facilem ansam dedit mutationis in *velle*.

3. *Hannibalem.* Inhumanam crudelitatem Hannibalis taxat et Liv. lib. XXI, c. 4, lib. XXIII, c. 5, ubi accusatur milites suos efferasse, pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis, et vesci humanis corporibus docendo. Cæterum de eo omnia nota, vel ex Cornelio Nepote. In Italia degit 17 annis. Pugnæ maximæ ejus cum Romanis narrantur : novissima depugnabatur ad Zamam, quæ quinque dierum iter aberat a Carthagine; Liv. XXX, c. 29.

4. *Carthaginem tuam.* Quum scilicet a Scipione in Zamæ campis, a Carthagine non procul victus esset.

5. *Volesus.* Volesus Messala, pro-

gusto, proconsul Asiæ, quum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, græce proclamavit : « O rem regiam! » Quid hic rex fecisset? Non fuit hæc ira, sed majus malum et insanabile ***.

1 VI. «Virtus, inquit, ut honestis rebus propitia est, ita turpibus irata esse debet.» Quid si dicatur [1], virtutem et humilem et magnam esse debere? Atqui hoc dicit, qui[2] illam extolli vult et deprimi; quoniam lætitia ob recte factum clara magnificaque est, ira ob alienum peccatum sor-
2 dida et angusti pectoris est. Nec unquam committet virtus, ut vitia, dum compescit, imitetur; istam iram castigandam habet, quæ nihilo melior est, sæpe etiam pejor
3 his delictis quibus irascitur. Gaudere lætarique proprium et naturale virtutis est; irasci non est dignitatis ejus, non magis quam mœrere. Atqui iracundiæ tristitia comes est, et in hanc omnis ira vel post pœnitentiam, vel post
4 repulsam revolvitur. Et si sapientis est peccatis irasci, magis irascetur majoribus, et sæpe irascetur : sequitur ut non tantum iratus sit sapiens, sed iracundus. Atqui si nec magnam iram, nec frequentem, in animo sa-

consul Asiæ, sub Augusto damnatus. Tacit. Ann. lib. III, cap. 68.

VI. Arg. Refutat objectionem, virtutem quoque irasci debere turpibus rebus. Viri boni non est, peccatis peccantibusve irasci, quia sapiens semper liber est ab omni affectu. Stoici autem docuere sapientem sibi semper constare, et in perpetuo gaudio esse; voluptatique (τῇ ἡδονῇ) Epicureorum gaudium suum (χαρὰν, εὐφροσύνην, θάρσος) opposuere cum iis digladiantes. Seneca hoc decretum tenaciter defendit, e. c. de Vita beat. capp. 4, 23, 27. Cf. Lipsii Manuduct. in Philos. stoic. lib. III, cap. 5, pag. 144, sqq. et *Gataker* ad Antonin., pag. 513.

1. *Quid si dicatur.* Refellit hic Noster adversarii contra dicentis argumentum duplici ratione : prius quidem quod absurdum summopere sit humilem simul atque altum esse, porro ira humilis est, virtus alta; posterius, quod non aliquoties duntaxat, sed perpetuum irasci sapiens debeat, si irascendum toties est quoties turpiter facta occurrunt.

2. *Atqui hoc dicit qui* ego reposui : est enim conclusio; et scripti suadebant. Antea : *atqui hoc dicit illam*, omisso τῷ *qui* ante *illam*.

pientis locum habere credimus; quid est, quare non ex toto hoc affectu illum liberemus? Modus, inquam, esse
non potest, si pro facto cujusque [1] irascendum est. Nam 5
aut iniquus erit, si æqualiter irascetur delictis inæqualibus; aut iracundissimus, si toties excanduerit [2] quoties iram scelera meruerint; et quid indignius quam sapientis affectum ex aliena pendere nequitia? Desinet [3] ille Socrates posse eumdem vultum domum referre, quem domo extulerat.

VII. Atqui si irasci sapiens debet turpiter factis, et conci- 1
tari tristarique ob scelera, nihil est ærumnosius sapiente: omnis illi per iracundiam mœroremque vita transibit.
Quod enim momentum erit, quo non improbanda videat? 2
quoties processerit domo, per sceleratos illi, avarosque, et prodigos, et impudentes, et ob ista felices, incedendum erit: nusquam oculi ejus flectentur, ut non, quod indignentur, inveniant. Deficiet, si toties a se iram,
quoties causa poscet, exegerit. Hæc tot millia ad forum 3
prima luce properantia, quam turpes lites, quanto tur-

1. *Pro facto cujusque.* Prout in alicujus delicto nequitiæ plus aut minus est, aut aliis verbis, habita ratione, aut modicæ, aut notabilis jam, aut summæ improbitatis; sequente nempe ira leviore culpam, graviore scelus, gravissima nefas et quæ patrata aut Deum ipsum lædunt, aut publico exitio sunt.

2. *Excanduerit.* Vide quam apte et συμμετρικῶς verba conjungat, scribens nempe *irascetur* cum *delictis inæqualibus*, *excanduerit* cum *scelera*: nam *excandescere* est ira maxima intus velli, siquidem irarum incipientium signum rubor est; sed crescentium et summa jam attingentium, pallidus candor.

3. *Desinet.* De Socratis æquabilitate animi, et eodem semper vultu, et eadem fronte, una apud Veteres vox. Cf. *Gataker* ad Antonin. p. 13, 6, qui et nostrum locum exhibuit Add. I. M. Heusing., ad Cicer. de Offic. lib. I, p. 26, 2. Solus contradicit Lucianus qui, in Mortuorum dialogis, Socratem flentem gementemque post mortem introducit, solum Diogenem immotum inconcussumque stetisse affirmans; sed e more illo suo istud εἰρωνικῶς potius quam e veritate.

VII. Arg. Pergit in probatione, quam inceperat: Sapientem turpiter factis irasci non debere; sin ei liceat, in ira sempiterna ei degendum fore. Hac occasione data, vehementer invehitur in vitiositatem sui temporis.

piores [1] advocatos [2] consciscunt [3]. Alius judicia [4] patris accusat, quæ mereri satis fuit [5] : alius cum matre consistit [6] : alius delator venit ejus criminis, cujus manifestior reus est; et judex damnaturus quæ fecit, eligitur : et corona [7] pro mala causa, bona patroni voce [8] corrupta.
4 Quid singula persequor? quum videris Forum multitudine refertum, et Septa [9] concursu omnis frequentiæ plena, et illum Circum [10], in quo maximam sui partem populus ostendit : hoc scito, istic tantumdem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos quos togatos vi-

1. *Turpiores.* Quippe qui et ipsi scelerati, lucrique causa prava aut injusta defendunt.

2. *Advocatos.* Quibus olim Romæ, dum vigeret respublica, eloquentiæ laude insignibus, oratorum nomen impositum erat, illi sub imperatoribus, quum jam raro de iis ageretur quæ ad civitatem pertinerent, causidici, advocati, patroni frequentius appellabantur. Id autem intererat discrepantiæ : causidicos nempe et patronos in foro loqui de omnibus rebus; advocatos autem rarius causam agentes, consilia tantum litigantibus subministrare, et quo modo agendum esset ignaros docere. Sic id erant ferme advocati quod nuncupamus *avocats consultans;* causidici et patroni idem quod *avocats plaidans.*

3. *Consciscunt* prætuli τῷ *habent.* Est enim vox significantior, de re mala. Cf. Gron. ad Liv. lib. XXI, cap. 8, 4 : τὸ *habent* esse videtur glossema. Lipsius probat.

4. *Judicia patris.* Id est, supremam voluntatem patris, in testamento declaratam, adversus filium, qui flagitiis suis, quibus tale judicium patris sibi pepererat, novam hanc adjicit turpitudinem, ut memoria patris inquinata se ipse prostituat, dum in causas istius judicii inquiritur.

5. *Satis fuit.* Id est *fuisset*, ut nos loquimur : Veteres enim amant in tali positu indicativum; ex vett. edd. omnibus et pluribus MSS.; quid? quod sensus postulat. Gronovium secutus reduxi; antea : *satius.*

6. *Alius cum matre consistit.* Alius adversus *matrem* litem agit ipse sceleratus, qui matrem facinorum insimulet.

7. *Corona.* Audientium nempe qui judicia in foro cingebant.

8. *Bona patroni voce corrupta.* Puerilis ἀντίθεσις, dum jocatur Seneca in *bona* et *mala.* Causa *mala* ea est quæ justitiæ contraria est; vox *bona*, ea quæ audientium animos rapit, et causæ seu bonæ, seu malæ dubiam prius atque ancipitem victoriam tradit.

9 *Septa.* Tempore Reipublicæ comitiis populi celebria in campo Martio : quibus sublatis sub principibus, ambulandi causa, uti Circi ludorum causa, frequentabantur.

10. *Circum.* De Circo Maximo sermo est, qui inter Aventinum et Palatinum a Tarquinio inchoatus est : minor enim Circus Flaminius, quam cui sequentia conveniant; et Titianus

des, nulla pax est : alter in alterius exitium levi com-
pendio [1] ducitur.

VIII. Nulli nisi ex alterius damno quæstus est : felicem 1
oderunt, infelicem contemnunt; majore [2] gravantur, mi-
nori graves sunt; diversis stimulantur cupiditatibus;
omnia perdita ob levem voluptatem prædamque cupiunt.
Non alia [3] quam in ludo gladiatorio [4] vita est, cum iis- 2
dem viventium pugnantiumque. Ferarum iste conventus
est : nisi quod illæ inter se placidæ [5] sunt, morsuque
similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur. Hoc 3
uno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansue-
scunt alentibus, horum rabies ipsos, a quibus est nu-
trita, depascitur. Nunquam irasci desinet sapiens, si
semel cœperit. Omnia sceleribus ac vitiis plena sunt;
plus committitur, quam quod possit coercitione sanari.
Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine [6] : major 4
quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia [7] est.

post mortuum Senecam absolutus est.

1. *Levi compendio*. Lucro, quæstu.

VIII. Arg. Vitiositas temporis sui.

2. *Majore*, antiqua lectio : moneo ne Lipsio assentiaris, qui mavult *majorem*, i. e. gravate et ægre ferunt. Est enim bonus sensus : urgentur a *majore*, ipsi urgent minorem.

3. *Non alia*. Inter homines scilicet, in communi vita.

4. *In ludo gladiatorio*. Gladiatores simul habitant et aluntur; mox pugnaturi secum et se mutuo cæsuri.

5. *Placidæ*. Hæc comparatio in simili re sæpe occurrit apud Veteres. Vid. inter alios, Horat. Epod. VII, vss. 12 et 13. Quem locum in re admodum pari sic imitatus est lyricus noster *J.-B. Rousseau*, lib. II, Od. 16:

> Monstres plus acharnés que le lion sauvage,
> Qui, malgré sa férocité,
> Dans un autre lion respectant son image,
> Dépouille pour lui sa fierté.

Eadem vehementer quoque expressit *Boileau*, Sat. VIII :

> Voit-on les loups brigands comme nous inhumains,
> Pour détrousser les loups courir les grands chemins?
> . . . .
> L'ours a-t-il dans les bois la guerre avec les ours?
> Le vautour dans les airs fond-il sur les vautours?

6. *Certatur nequitiæ*, etc. En publicæ impudicitiæ amarissima descriptio; quam cave ne ὑπερβολικὴν putes, quales sæpe in Annæo nostro occurrunt. Iis enim temporibus eo nequitiæ et infamiæ Urbis et orbis mores devenerant, ut jam ultra remedium siti Romanæ molis ruinam instantem prænuntiarent.

7. *Verecundia*. Id est apud Romanos *verecundia* quod apud Nos-

Expulso melioris æquiorisque respectu, quocunque visum est, libido se impingit; nec furtiva jam scelera sunt: præter oculos eunt; adeoque in publicum missa nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique [1], velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

.... Non hospes [2] ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida [3] terribiles miscent [4] aconita [5] novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit [6] in annos.

trates *pudeur*. Quæ etiam, quum deliqueris, sæpe manet, ne iterum delinquas aliquantulum moratura, aut certe turpitudini tuæ velamen honestum prætendens; illa autem, si cum ipsa pudicitia sublata est et evanuit, nil jam impedit quin per fas et nefas temet usque et usque projicias, ad meliora nunquam rediturus. Civitas si qua conditur, civium in ea ut plurimum pudicitia est, quam sequitur sæpe verecundia; ubi autem res publica adolevit, pudicitiæ minor vis est, et frequentior lapsus, salva tamen verecundia; at quum ingentissimæ opes et potentia in immensum patens procerum simul et populi mores inquinavere, verecundiam quoque ipsam obliviscuntur, aversantur. Quod tunc Romæ videre fuit; et vivide sic expressit Nostras *Chénier* (*Essai sur la Satire*), Juvenalem laudans, qui, instar Senecæ, suorum civium scelera et vitia acriter insectatur:

Voyez....
Les épouses, souillant la couche nuptiale,
Afficher leur opprobre et lutter de scandale.

1. *Undique*. Quasi diceret *omnes*, quod τοῖν *singuli*, et *pauci*, quæ in proxim. phras. κατ' ἀντίθεσιν referas.

2. *Non hospes*, etc. Versus sunt ex Ovid. Metamor. lib. I, v. 144 sqq. deprompti, in quibus ferrea ætas describitur, moribus Romanorum corruptis, per prolepsin expressis.

3. *Lurida*. Hoc est, ait *Ruhkopf*, cæruleus. Quidni, luteus vel fuscus? Nam croceum potius colorem quam cæruleum *luridus* significat. Sed ridicule vel hic vel ille a Seneca exclusive et expresse indicaretur color. Nil aliud hic *luridus* est, quam livens, ater, maculosus, dirum quiddam et ferale portendens.

4. *Miscent*. Hoc est, infundunt, vel, stricte magis, parant: quæ vox apud Veteres in usu, immo in deliciis fuit, ut potionum præparatio indicaretur; aptissime quidem, quum e compluribus et variis fere semper liquoribus potiones, et inprimis pharmaceuticæ potiones, constarent, quæ scientiæ chymicæ ope miscebantur. Sic apud Græcos κεράννυμι et κρᾶσις.

5. *Aconita*. Aconitum est herba venenosa, ex Ponto in Italiam advecta, haud absimilis trifolio pratensi (ἀγρώστιδι; Schol. ad Nicandr. Alexiph. pag. 31; et Schneid.) Cf. et Voss. ad Virgil., Georg. lib. II, vs. 152.

6. *Inquirit*. Hoc est: De patris vita, de patris morte astrologos et sagas

Et quota pars ista scelerum est[1]? non descripsit castra 6
ex una parte contraria, parentum liberorumque sacramenta diversa, subjectam patriæ civis manu flammam, et agmina infestorum equitum ad conquirendas proscriptorum latebras circumvolitantia; et violatos fontes venenis[2], et pestilentiam manu factam[3]; et præductam obsessis parentibus fossam, plenos carceres, et incendia totas urbes concremantia, dominationesque funestas, et regnorum publicorumque exitiorum clandestina consilia; et pro gloria habita[4], quæ, quamdiu opprimi possunt, scelera sunt; raptus ac stupra, et ne os quidem libidini exceptum[5].

IX. Adde nunc publica perjuria gentium, et rupta fœ- 1

interrogat. Quod infandæ superstitionis genus nemo nescit quam tunc fama celebraretur, quali veneratione coleretur. Cæterum τὸ *ante diem* patet idem esse, ac *ante diem fixum*, *ante diem justum*, et de patre nondum sene, nondum eo ætatis provecto ut merito mori videatur, juvenem inquirere.

1. *Et quota pars.... scelerum est?* Exiguam scelerum partem tantum attigit poeta, bello civili omisso, in quo parentes contra liberos pugnarunt, et civis unus (Sulla nempe; vid. Plutarch. vit. Sullæ) ædificia succendi jussit, proscripsit. Omisit poeta alias crudelitates.

2. *Violatos fontes venenis*. M. Aquilius, legatus in Asiam missus, ann. U. C. 664, 665, ant. Chr. nat. 89, 88, fontes quarumdam urbium Asiaticarum, ut ad deditionem illæ cogerentur, veneno violavit. Ad. et cf. Florus, lib. II, cap. 20, et Appian. bell. Mithrid. pag. 305, sq.

3. *Pestilentiam manu factam*. Id est, fraude item et venenis, aut maleficiis arcessitam, ut Lipsius bene explicat: hæc locutio est Nostro familiaris. Vid. Consol. ad Marc. cap. 19.

4. *Pro gloria habita*. Hoc est, claris gestis annumerata et virtutum titulo decorata, quæ, si tristem eventum nacta essent, scelera appellarentur. Hæc enim bene gesta vulgus nuncupat quæ bonis auspiciis gesta sunt, et victoriæ nunquam a victoribus ratio exigitur. Ecquis enim exigeret? Victa gens forsan? an spectantes minus validi?

5. *Ne os quidem libidini exceptum*. Infamiæ et spurcitiæ, omnibus jam voluptatis ludis et modis fessæ, et nova utcumque et undecumque advocantis, portentosum genus; quod Senecæ temporibus usitatissimum fuit, usitatius tamen posthac. Neque nos quidem has nequitias quæ sint clarius significabimus; sed ad Martialem remittemus, lib. II, Epigr. XXXIII, L, LXXIII, LXXXIX, lib. III, Epigr. LXXXV, XCVI, et passim, ad Juvenal. Sat. IX, vs. 3, et al.

IX. Arg. Accedit, quod peccata nil

dera, et in prædam validioris, quidquid non resistebat[1], abductum; circumscriptiones[2], furta, fraudes, infitiationes[3], quibus trina non sufficiunt fora[4]. Si tantum irasci vis sapientem, quantum scelerum indignitas exigit, non
2 irascendum illi, sed insaniendum est. Illud potius cogitabis, non esse irascendum erroribus; quid enim si quis irascatur in tenebris parum vestigia certa ponentibus? quid si quis surdis, imperia non exaudientibus? quid si pueris, quod neglecto dispectu officiorum, ad lusus et ineptos æqualium jocos spectent? quid si illis irasci velis, qui ægrotant, senescunt, fatigantur? Inter cætera mortalitatis incommoda, et hæc est caligo mentium: nec tantum necessitas errandi, sed errorum amor. Ne singulis irascaris, universis ignoscendum:
3 generi humano venia tribuenda est. Si irasceris juvenibus senibusque, quod peccant; irascere infantibus, quod peccaturi sunt. Num quis irascitur pueris, quorum ætas nondum novit rerum discrimina? major est excusatio et justior, hominem esse, quam puerum[5]. Hac conditione nati sumus animalia obnoxia non paucioribus animi, quam corporis morbis: non quidem obtusa nec tarda, sed acumine nostro male utentia, alter alteri vitiorum
4 exempla. Quisque sequitur priores, male iter ingressos:

nisi errores sint, quibus ignoscendum est.

1. *Resistebat*. Non poterat resistere, seu male resistebat, ut infirmior.

2. *Circumscriptiones*. Defraudationes.

3. *Infitiationes*. Hoc est, denegationes debiti, depositi.

4. *Trina fora* sunt Romanum (antiquissimum omnium), Cæsaris, Augusti. Martialis, lib. VIII, Epigram. XLIV: « Foroque triplici sparsus ante equos omnes. » Deinceps quartum forum Nerva Trajanus adjecit, magnitudine et magnificentia longe magis spectabile.

5. *Major excusatio est*, etc. Hoc est, delicto suo veniam concedi justius quærit homo, dum hoc dicit, *homo sum* (nempe, infirmus mente, pronus in culpam, errori obnoxius, errorumque amans), quam si hanc excusationem protulerit, *sum puer* hoc est, homo mox futurus, rationis

quidni habeant excusationem quum publica via erraverint?

X. In singulos severitas imperatoris distringitur: at ne- 1
cessaria venia est, ubi totus deseruit[1] exercitus. Quid tollit iram sapientis? turba peccantium. Intelligit quam et iniquum sit et periculosum, irasci publico vitio. He- 2
raclitus[2] quoties prodierat, et tantum circa se male viventium, immo male pereuntium viderat, flebat, miserebatur omnium, qui sibi[3] læti felicesque occurrebant: miti animo, sed nimis imbecillo; et ipse inter deplorandos erat. Democritum contra aiunt nunquam sine 3
risu in publico fuisse; adeo nihil illi videbatur serium eorum quæ serio gerebantur. Ubi istic iræ locus est? aut ridenda omnia, aut flenda sunt. Non irascetur sapiens peccantibus. Quare? quia scit neminem nasci sapientem, sed fieri; scit paucissimos omni ævo sapientes evadere, quia conditionem humanæ vitæ perspectam habet: nemo autem naturæ sanus irascitur. Quid enim 4
si mirari velit non in silvestribus dumis poma pendere? quid si miretur spineta sentesque non utili aliqua fruge compleri? Nemo irascitur, ubi vitium natura defendit. Placidus itaque sapiens et æquus erroribus, non hostis, sed correptor peccantium, hoc quotidie procedit[4] animo:

particeps, vitio inimicus, et verum facile despiciens a falso, a malo bonum.

X. Arg. Ob tot tantaque peccantes sapiens iram comprimere debet.

1. *Deseruit.* Aliquot codd. *desævit*, *delevit*: unde Lipsius fecit *deliquit*; Gruter. *descivit.* Nostram lectionem præstant optimi libri et MSS. J. F. Gronov. recte docuit, τὸ *deserere* in usu esse de militibus ducem signaque delinquentibus.

2. *Heraclitus*, etc. De Heraclito et Democrito, illo Ephesio, qui σκοτεινὸς (obscurus) dictus, hoc Abderita, utroque philosopho physico, omnia nota. Qui tamen de iis doceri velit, adeat Meiners *Geschichte der Wissenschaften* (*Hist. des sciences*), lib I, pag. 619, sqq. 690, sqq. sive Tiedemann, *Geist der spekul. Phil.* (*Esprit de la philosophie spéculative*). Plin. lib. I, p. 194, sq. 263, sq.

3. *Sibi.* Hanc voc. refer, non ad *læt. fel.* quasi diceret: qui lætos se et felices existimabant, sed ad τὸ *occurreb.*

4. *Hoc.... procedit animo.* Hæc

multi mihi occurrent vino dediti, multi libidinosi, multi ingrati, multi avari, multi furiis ambitionis agitati.
5 Omnia ista tam propitius adspiciet [1], quam ægros suos medicus [2]. Numquid ille cujus navigium multam, undique laxatis compagibus, aquam trahit, nautis ipsique navigio irascitur? occurrit potius, et aliam excludit undam, aliam egerit [3], manifesta foramina præcludit, latentibus et ex occulto sentinam ducentibus [4] labore continuo resistit: nec ideo intermittit, quia, quantum
6 exhaustum est, subnascitur. Lento adjutorio opus est contra mala continua et fœcunda, non ut desinant, sed ne vincant.

1 XI. « Utilis est, inquit, ira, quia contemptum effugit,
2 « quia malos terret. » Primum ira, si quantum minatur, valet, ob hoc ipsum quod terribilis est, et invisa est. Periculosius est autem timeri, quam despici. Si vero sine viribus est, magis exposita contemptui est, et derisum non effugit; quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? Deinde non ideo quædam,
3

sentit, his se ipse intus alloquitur. Quæ enim sequuntur et huic φράσει finis sunt, hæc sapientis ad se ipsum verba continent.

1. *Adspiciet.* Ne a sapiente ista quoque prolata verba videantur, distinxi. Lips. emend. *adspiciam.*

2. *Quam ægros suos medicus.* Idem sentit, idem docet optimus ille, non nomine quidem, sed re philosophus *Molière*, per totam illam fabulam quæ inscribitur *le Misanthrope;* et præsertim expressit his versiculis:

Oui, je vois ces défauts, dont votre ame murmure,
Comme vices unis à l'humaine nature;
Et mon esprit enfin n'est pas plus offensé
De voir un homme fourbe, injuste, intéressé,
Que de voir des vautours affamés de carnage,
Des singes malfaisans, et des loups pleins de rage.

3. *Excludit..... egerit.* Eam *excludit*, quæ nondum ratem invasit, manifesta foramina præcludens; eam *egerit*, quæ jam navim supergressa est, dum latentibus rimis continuo labore resistit.

4. *Sentinam ducentibus.* Hoc est, sentinam in ima detrahentibus, dum etiam atque etiam aquæ pondus augescit. Sentina vero ima est pars navis, gallice *fond de cale.*

XI. Arg. Hoc et sequenti capite alia quæstio discutitur, nempe an ira aliquid habeat in se utilitatis, quod malos terreat, ideoque a contemptu nos tutos faciat. Negatur, quia ira et odium parit et contemptum cum derisu: deinde id, quod timetur, non ideo bono viro est optabile.

quia terribiliora, potiora sunt; nec hoc sapientis dici
velim, quod feræ quoque telum est, timeri [1]. Quid?
non timetur febris, podagra, ulcus malum? numquid
ideo quidquam in istis boni est? an contra, omnia de-
specta et fœda et turpia, ipso quod timentur [2], sunt? Ira
per se deformis est, et minime metuenda: at timetur a
pluribus, sicut deformis persona ab infantibus. Quid, 4
quod semper in auctores redundat timor, nec quisquam
metuitur, ipse securus? Occurrat hoc loco [3] tibi Labe-
rianus ille versus, qui medio civili bello in theatro dictus,
totum in se populum non aliter convertit, quam si missa
esset vox publici affectus:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Ita natura constituit, ut quod alieno metu magnum est, 5
a suo non vacet. Leoni quam pavida sunt ad leves sonos
pectora [4]! Acerrimas feras umbra [5], vox, et odor inso-
litus exagitat; quidquid terret, et trepidat. Non est ergo,
quare concupiscat quisquam sapiens timeri.

1. *Nec hoc..... timeri.* Nec velim, ut timor eodem modo velut telum detur et prædicetur, uti est telum, quo feræ se defendunt.

2. *Ipso quod timentur.* Hanc scripturam cum Gronov. e scriptis Gruteri reduxi. Antea in editis erat: *ipso quo tim.— Ipso quod timentur.* Id est, ob hoc ipsum quod timorem incutiunt.

3. *Occurrat hoc loco,* etc. Dec. Laberius, eques rom. poeta clarus et mordax: scripsit is mimos, quos Jul. Cæsare jubente ipse egit: mimi autem fuere dramata non unius generis: argumentum eorum e vita communi petitum, mores eosque ridiculos repræsentantium, atque jocis ac salibus repletorum, sæpe lascivis. Laberius inprimis nobilis scriptor in hoc genere quod arte tractare cœpit. Cf. Ziegler. de Mimis Romanorum (1788, Golting.). Egit autem Laberius mimum Jul. Cæsaris ludis, ann. ant. Chr. nat. 47. Cæterum hoc dictum jam antea Ennius extulerat. Cf. Cic., de Offic. lib. 2, cap. 7: « Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expetit. »

4. *Ad leves sonos pectora.* Lectio debetur Rubenio, probata a Gronov. Antea, *levissimos strepitus:* at *strepitus* in nullo cod. comparet: omnes scripti dant: *levissimos ictus;* alii, *levissimos pectora tactus;* alii, *levissimos pectora. Leves soni* seq. cap. explicantur. Cf. et de Benef. lib. IV, cap. 26. « Natura etiam ad leves sonos pavidus. »

5. *Umbra.* Vid. quæ ipse infra subjunxit lib. III, cap. 30.

1 XII. Nec ideo iram magnum quisquam putet, quia for-
midini est: quoniam quædam etiam contemptissima timen-
2 tur; venena, et ossa[1] mortifera, et morsus. Nec est mi-
rum, quum maximos ferarum greges linea[2] pennis distincta
contineat, et insidias agat; ab ipso effectu dicta formido.
Vanis enim vana terrori sunt. Curriculi[3] motus, rotarum-
que versata facies, leones redigit in caveam: elephantes
porcina vox terret. Sic itaque ira metuitur, quomodo
umbra ab infantibus, a feris rubens pinna[4]; non ipsa
in se quidquam habet firmum aut forte, sed vanos ani-
3 mos movet. « Nequitia[5], inquit, de rerum natura tol-
« lenda est, si velis iram tollere: neutrum autem potest
4 « fieri. » Primum, potest aliquis non algere, quamvis
ex rerum natura hiems sit, et non æstuare, quamvis
menses æstivi sint: aut loci beneficio adversus intempe-
riem anni tutus est, aut patientia corporis sensum utrius-
5 que pervincit. Deinde verte istud: necesse est prius
virtutem ex animo tollas, quam iracundiam recipias,

XII. Arg. Contra eos disputat, qui iram naturæ humanæ necessario conjunctam putarent.

1. *Ossa.* Antiqua lectio, immutata a Mureto in *offa.* De ossibus piscium et vulneratorum hominum loquitur Noster. Si *offa* legas, idem erit quod venena. Proinde reduxi *ossa.* — *Ossa mortifera.* Num vere de piscium et vulneratorum hominum ossibus hic loquitur? Quidni enim de anguium dentibus? namque Veteres etiam perspectum habuere, non e lingua serpentum venena fluere, iidem tamen e tumore quodam gingivis et dentibus vicino hæc stillare ignoravere; ita ut a vera simul et a vulgari opinione recedentes doctiores viri in ipsis dentibus latere, ex ipsis dentibus fundi virus arbitrarentur.

2. *Linea pennis distincta.* Id est, funiculi extensi, quibus variarum avium, inprimis cycni et vulturis pennæ intextæ erant ad feras in retia coercendas.

3. *Curriculi.* Hæc et sequentia de leone et elephante confirmant omnes rerum naturalium conditores. Plin., lib. VIII, cap. 19, Ælian. Histor. anim., lib. XVI, cap. 36.

4. *Rubens pinna.* Rubentem vocat, utpote sandice, aut rubro tingi solitæ (μήρινθος). Multi Veteres ad hanc formidinem (sic enim illa linea nominabatur) alludunt, v. c. Epictet. ap. Arrian. lib. II, cap. 1. Cf. quoque de Clem. lib. I, cap. 12.

5. *Nequitia.* Repugnat adversarius, et rerum naturæ congruam, immo necessariam esse iram conten-

quoniam cum virtutibus vitia non coeunt. Nec magis
quisquam eodem tempore et iratus potest esse, et vir
bonus, quam æger et sanus. « Non potest [1], inquit, om- 6
« nis ex animo ira tolli : nec hoc hominis natura patitur. »
Atqui [2] nihil est tam difficile et arduum, quod non hu-
mana mens vincat, et in familiaritatem perducat assidua
meditatio; nullique sunt tam feri et sui juris affectus,
ut non disciplina perdomentur. Quodcunque sibi impe- 7
ravit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent,
consecuti sunt [3] : vino quidam, alii Venere [4], quidam
omni humore interdixere [5] corporibus. Alius contentus
brevi somno vigiliam [6] indefatigabilem extendit [7] : didi-
cerunt [8] tenuissimis et adversis [9] funibus currere, et in-

dit ; quod confutat philosophus.

1. *Non potest*. Instat adversarius, sed vano argumento et futili. Nota tamen in priori sententia de rerum natura eum verba fecisse, at nunc de hominis natura agi. Quæ, ut quamdam habent inter se similitudinem, ita tamen aliquid discrepantiæ præ se ferunt ; et ut disceptationis ordinem et processum bene assequaris, animadvertenda tibi erant.

2. *Atqui* reposui : est enim vox refutantis. Antea, *atque*.

3. *Quidam.......... consecuti sunt*. Exemplo est Crassus, ἀγέλαστος Græcis dictus, prætor ann. U. C. 648. (Cic. Benef. et Mal. lib. V, cap. 30; Plin. lib. VII, cap. 18) avus M. Crassi, in Parthis ann. U. C. 700, interempti.

4. *Alii Venere*. De Xenocrate Academico hoc Veteres tradidere, et de aliis præterea, sed minoris famæ, viris. Zenonem pariter semel per totam vitam rem cum fœmina dicunt habuisse, ne fœmineum genus odisse immerito videretur. Deinceps quidem, postquam in terris principatum christiana religio obtinuit, pervulgatum hoc cælibis virtutis genus, quod Antiqui mirabantur, nemo nescit.

5. *Humore*; in metu intercutis.

6. *Vigiliam*. Ne cogites de Mæcenatis vigilia, Plin. lib. VII, cap. 52, fuit enim morbus : at h. l. sermo est de vigilia, quæ adhibetur, ut famam factis extendamus. Mox de funambulis et urinatoribus Nostrum loqui patet.

7. *Extendit*, usque in auroram.

8. *Didicerunt*, optimorum librr. et codd. lectio a Gron. probata ; *didicerunt alii* dederat Muret. Sunt qui *didicerint* : alii et similia a vett. sæpe omittuntur, quem usum exemplis probat Gronov. Immo elegantissimum est, postquam ter aut quater dicta sunt, *alii*, *quidam*, *ille*, *hic*, τοῦ *alii* ellipsim facere ante verbum perfecti temporis.

9. *Adversis*. Indicatur ista voce funambulum ita in tenui lino ambulare, ut pedis tota longitudo, non pars media, funi insistat ; quod ut servata ἰσοῤῥοπία fiat difficillimum est. —

gentia, vixque humanis toleranda viribus onera portare,
et in immensam altitudinem mergi, ac sine ulla respi-
randi vice perpeti maria.
1 XIII. Mille sunt alia, in quibus pertinacia impedimen-
tum omne transcendit, ostenditque nihil esse difficile, cu-
jus sibi ipsa mens patientiam indiceret [1]. Istis quos paulo
ante retuli, aut nulla tam pertinacis studii, aut non digna
2 merces fuit. Quid enim magnificum consequitur ille, qui
meditatus est [2] per intensos funes ire? qui sarcinæ in-
genti cervices supponere? qui somno non submittere
oculos? qui penetrare in imum mare? Et tamen ad finem
operis, non magno auctoramento [3], labor pervenit. Nos
non advocabimus patientiam, quos tantum præmium ex-
3 spectat [4], felicis animi immota tranquillitas [5]? Quantum
est, effugere maximum malum iram, et cum illa rabiem,
sævitiam, crudelitatem, furorem, et alios comites ejus
affectus! Non est, quod patrocinium nobis quæramus et
excusatam licentiam [6], dicentes: aut utile id esse, aut
inevitabile; cui enim tandem vitio advocatus defuit? non
est quod dicas, excidi non posse: sanabilibus ægrotamus
malis, ipsaque nos in rectum genitos natura, si emendari

Adversis dictum est, ut adverso flumine navigare: hanc sententiam multi executi sunt. Cf. Gataker. ad Anton. pag. 424, ubi nostrum hunc locum non neglexit: Stobæi Florileg. Serm. XXVII, p. 299: Musenii Rufi (Fabric. Bibl. Gr. T. III, pag. 566; Harl.) præclarum fragmentum.

XIII. Arg. Magnum præmium expositum esse ei, qui iram totam dimittat: nec ita difficile hoc esse.

1. *Cujus sibi.... indiceret*; quod mens sibi imperaret perferendum.

2. *Meditatus est.* Id est, exercuit se.

3. *Auctoramento.* Id est, mercede.

4. *Exspectat.* Cic. et Virg. tempore omnis auctor, sive is soluta, seu poetica dicendi ratione usus esset, scripsisset *manet*. Audacius tunc adhibuit Annæus τὸ *exspectat*, quasi de viro et animante quolibet ageretur. Id autem poetici spiritus est, animam quodam modo inanimis dare.

5. *Nos non.... tranquillitas.* Idem suadet Horatius quum libri I Epist. 2, sic exclamat: « Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones: Ut te ipsum serves, non expergisceris? »

6. *Excusatam licentiam.* Id est, quæ excusari potest.

velimus, juvat[1]. Nec ut quibusdam[2] visum est[3], arduum
in virtutes et asperum iter est : plano adeuntur. Non 4
vanæ vobis auctor rei venio : facilis est ad beatam vitam
via; inite modo bonis auspiciis, ipsisque diis bene juvantibus.
Multo difficilius est, facere ista quæ facitis[4]; quid
enim quiete otiosius animi? quid ira laboriosius? quid
clementia remissius? quid crudelitate negotiosius? Vacat
pudicitia, libido occupatissima est; omnium denique virtutum
tutela facilior est : vitia magno coluntur. Debet 5
ira removeri? hoc ex parte fatentur etiam, qui dicunt
esse minuendam. Tota dimittatur : nihil profutura est;
sine illa facilius rectiusque[5] scelera tollentur, mali punientur,
et traducentur in melius.

XIV. Omnia quæ debet[6] sapiens, sine ullius malæ rei 1
ministerio efficiet; nihilque admiscebit, cujus modum

1. *Sanabilibus........juvat.* Alta et præclara sententia, at vix notata olim perlegentibus, celeberrima nunc ex quo die eam ἐπιγραφῆς loco præfecit Nostras *J. J. Rousseau* insigni libro, cui titulus *Émile*.

2. *Nec, ut quibusdam.* Est dictum antiquissimum, ap. Hesiod. Ἔργ. καὶ ἡμ. 287, sq., et multos alios obvium. Vid. et cf. Stobæum, serm. XXVII; Pindar. Pyth. XII, vers. 49; Ruhnken. ad Xenoph. Memorab. lib. II, cap. 2, 20. Cum Nostro facit M. Antonin., lib. V, § 9; ib. Gatak., p. 198, loco nostro non præterito. Jactare solebant Cynici, quos quidem Stoici magna ex parte sequuti sunt, brevissimam ad felicitatem viam se reperisse. Gatak. ad Anton., pag. 182.

3. *Visum* ante Lipsium legebatur, qui dedit *dictum*, ad Hesiodum respexisse Senecam putans. *Visum* tamen in simili re ponere solet Noster.

4. *Multo difficilius.....facitis.* Παράδοξος, at vera et ab optimi ingenii viris deinceps recepta opinio; vitium nempe pluris semper constitisse quam virtutem, et in servanda justitia minus impendi laboris et sudoris quam in delinquenda vulgo insumitur.

5. *Facilius rectiusque :* aberratio librarr.; *facilius potiusque*, e quo fecit Gron. *tutiusque*. At vulg. bene habet.

XIV. Arg. Sapiens nihil efficit ministerio ullius rei malæ : interdum tamen iram simulare juvabit. Conf. Cicer. de Offic. lib. I, cap. 38, ubi Jac. Fr. Heusinger Nostrum contulit.

6. *Omnia quæ debet*, etc. *Quæ debet*, suppl. *efficere* aut *exsequi*; συνώνυμον ergo τὸ *Quæ debet* cum τῷ *Officia*. Unde sensus is exoritur : Nunquam mali quidquam sapiens aget, ut bona denuo efficiat; nunquam ad bonum finem evasurus, per malam viam sapiens gradietur.

2 sollicitus observet [1]. Nunquam itaque iracundia admit-
tenda est; aliquando simulanda, si segnes audientium ani-
mi concitandi sunt, sicut [2] tarde consurgentes ad cursum
3 equos stimulis, facibusque [3] subditis, excitamus. Ali-
quando incutiendus est his metus, apud quos ratio non
proficit. Irasci quidem non magis utile est, quam mœ-
4 rere, quam metuere. « Quid ergo? non incidunt causæ,
« quæ iram lacessant? » Sed tunc maxime illi opponendæ
manus sunt: nec est difficile, vincere animum: quum
athletæ quoque in vilissima sui parte occupati, tamen
ictus doloresque patiantur, ut vires cædentis exhauriant;
5 nec quum ira suadet, feriunt, sed quum occasio. Pyr-
rhum [4] maximum præceptorem certaminis gymnici, soli-
tum aiunt his, quos exercebat, præcipere, ne irasce-
rentur. Ira enim perturbat artem: et qua noceat tantum,
non qua caveat, adspicit. Sæpe itaque ratio patientiam
suadet, ira vindictam: et qui primis defungi malis po-
tuimus, in majora devolvimur. Quosdam unius verbi
contumelia, non æquo animo lata, in exsilium projecit;

1. *Cujus modum..... observet.* Pertimescendum enim vehementer est, ne modum, h. e. limitem id transiliat; et minor sane difficultas sæpe erit, ut rem totam amoveas, quam ut admissam aliquo modo coerceas. Quibus rebus abstinendum facile vides; quatenus vero abstinendum, minime. Et ubi lapis statuendus qui limitem faciat, operosissimum simul et delicatissimum est. Quos enim affectus mali sollicitant, hi « Fas atque nefas exiguo fine libidinum Discernunt avidi ». (Horat. lib. II, od. XVIII, vss. 10 et 11.)

2. *Sicut*, etc. Rustici aratores stimulis aut ignibus aliisque tormentis boves equosve, ignave se gerentes, afficere ideoque irritare solebant. Columell., lib. VI, cap. 2: « Est etiam post domituram mollioris generis bos qui decumbit in sulco: eum non sævitia, sed ratione censeo emendandum; nam qui stimulis aut *ignibus* aliisque tormentis id vitium eximi melius judicant, veræ rationis ignari sunt. » Item Pallad. Martis, tit. 120: « Si post domituram decumbit in sulco, non afficiatur *igne* vel verbere, etc. » Solin., pag. 45, ait: « Nonnulli equi etiam accensis facibus ad cursus provocantur. »

3. *Facibus.* Lipsius conj. *calcibus*; *facibusque* habet edit. princeps, et bonum esse satis multa probant. Vid. not. sup.

4. *Pyrrhum.* Hic Pyrrhus quis sit, et quo loco natus, ignoramus.

et qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt; indignatique aliquid ex plenissima libertate deminui, servile in sese attraxerunt jugum.

XV. « Ut scias, inquit, iram habere in se generosi ali- 1
« quid, liberas videbis gentes, quæ iracundissimæ sunt, ut
« Germanos et Scythas. » Quod evenit [1], quia fortiora so-
lidaque [2] natura ingenia, antequam disciplina molliantur,
prona in iram sunt. Quædam [3] enim non nisi melioribus 2
innascuntur ingeniis: sicut valida arbusta [4] et læta quam-
vis neglecta tellus creat; alia fœcundi soli silva est. Ita-
que et ingenia natura fortia iracundiam ferunt, nihilque
tenue et exile capiunt, ignea et fervida [5]: sed imper-
fectus ille vigor est, ut omnibus quæ sine arte, ipsius
tantum naturæ bono, exsurgunt; sed nisi cito domita
sunt, quæ fortitudini apta erant, audaciæ temeritatique
consuescunt. Quid? non mitioribus animis vitia leniora 3
conjuncta sunt, ut misericordia [6], amor, et verecundia?

XV. Arg. Sunt quidem illi in iram proni, qui generosi quid in se habent; sed ille vigor imperfectus est.

1. *Quod evenit.* Hinc sequitur, esse naturæ non alienam iram: quod tamen in antecedentibus operose refutaverat.

2. *Solidaque.* Hoc est, constantes animos, et earum rerum quæ semel statuere tenacissimos. Sic Horatius, lib. III, Od. III: « Nec civium ardor prava jubentium, Nec vultus instantis tyranni Mente quatit *solida*. »

3. *Quædam.* Hoc est, quidam affectus, quædam vitia.

4. *Arbusta*, etc. Id est, arbores, vel culturæ omnino expertes, validæ aliquando et lætæ esse possunt; meliores tamen brevi tempore illæ redduntur, et pulchrior multo silva exsurgit, ubi naturæ vim agricolæ manus adjuverit.

5. *Nihilque.....fervida.* Parum concinna ἀντίθεσις, quum hinc *tenue* et *exile*, hinc *ignea* et *fervida*. Aptius quidem et mori suo fidelior scripsisset Annæus, vel prius, *frigidum et pallens*, vel posterius, *ingentia et prægrandia*.

6. *Ut misericordia*, etc. Attendat, qui sectarum ingenium et dogmata nosse operæ pretium ducit, ad stoicam contumaciam; quæ, quum rationis unius imperium aut potius tyrannidem laudet, humanæ mentis sanctissimum et optimum affectum vitiis annumerat, misericordiam nempe, cujus altare dum maneret et coleretur, gladiatorias pugnas Athenæ ignoravere, cujus ad vocem et nutum christiana religio tot nosocomia (*hôpitaux*) condidit, et tot publicas ædes in quibus cibum inveniunt ac medelam egeni et ægrotantes.

Itaque tibi sæpe bonam indolem a malis[1] quoque suis ostendam; sed non ideo vitia non sunt, si naturæ me-
4 lioris indicia sunt. Deinde omnes istæ feritate liberæ gentes, leonum[2] luporumque ritu, ut servire non possunt, ita nec imperare. Non enim humani vim ingenii, sed feri et intractabilis habent : nemo autem regere potest, nisi qui et regi.

1 XVI. Fere[3] itaque imperia penes eos fuere populos, qui mitiore cœlo utuntur[4] : in frigora septentrionemque vergentibus immansueta ingenia sunt, ut ait poeta,

........suoque simillima cælo[5].

« Animalia, inquit, generosissima habentur, quibus » multum inest iræ. » Errat, qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione est impetus : homini pro impetu ratio est. Sed nec illis quidem omnibus idem

1. *Indolem a malis.* Lipsio suadente recepi (nam sensus magis congruit prioribus : Et e vitiis quibusdam bonam indolem conjicimus). Antea : *indolem malis*, sine τὸ *a*.

2. *Leonum.* Leones tamen et curribus junctos esse, ideoque serviisse, constat. Ipse Noster, sui parum memor, dixit, cap. 31, ursorum leonumque ora placida tractantibus.

XVI. Arg. Neque animalia iracundiora eademque generosiora in exemplum hominis adduci possunt, neque simplices appellandi sunt iracundi.

3. *Fere.* Aliquid supplendum patet, ut *semper*, aut *ubique*, aut id genus verba.

4. *Fere itaque..... cælo utuntur.* Verum quidem est, apud eos populos imperia prima fuisse, qui mitiore cælo uterentur : sed diversa ex causa. Mitius cælum haud dubie potissimum in causa fuit, cur, qui eo uterentur, maturiore humanitatis cultu vigerent, institutisque florerent iis, quibus animi atque ingenia ad eam culturam per artes litterasque evehi potuerint, qua dominatio comparatur. Argumentationis cupido Nostrum eo perduxit, ut, omni experientia prætermissa, qua quidem docemur calidioribus terris magis propriam esse iracundiam quam frigoribus septemtrionis, feritatem cum ira confunderet. Neque aliud quidquam Poeta indicare voluit.

5. *Suoque simillima cælo.* Et hoc non de iis solum gentibus quæ in frigora et septemtrionem vergunt vere dixeris, sed de populo quolibet. Recentioribus temporibus, primus ante omnes *Bodin* in libro *de Republica*, postea, omnium plausu, celeberrimus *Montesquieu*, in opere selectissimo *l'Esprit des Lois* (lib. XIV, cap. 1, 2, seqq.), id demonstravit.

prodest. Iracundia leones adjuvat, pavor cervos[1], accipitrem impetus, columbam fuga. Quid, quod ne illud 3
quidem verum est, optima animalia esse iracundissima? Feras putem, quibus ex raptu alimenta sunt, meliores, quo iratiores: patientiam laudaverim boum, et equorum frænos sequentium[2]. Quid autem est, cur homi- 4
nem ad tam infelicia exempla revoces, quum habeas mundum, Deumque, quem ex omnibus animalibus, ut solus imitetur, solus intelligit? « Simplicissimi[3], inquit, » omnium habentur iracundi. » Fraudulentis enim et versutis comparantur; et simplices videntur, quia expositi sunt[4]: quos quidem non simplices dixerim, sed incautos. Stultis, luxuriosis, nepotibusque[5] hoc nomen[6] imponimus, et omnibus vitiis parum callidis.

XVII. « Orator, inquit, iratus aliquando melior est. » 1
Immo imitatus iratum; nam et histriones[7] in pronun-

1. *Iracundia.... cervos....* etc. Quis hic rei litterariæ et græcarum elegantiarum amans non meminerit Anacreontis suavissimos versiculos (Carm. II), ferarum armaturam nativam ita explicantis: « Φύσις κέρατα ταύροις.... ἔδωκεν.... Ποδωκίην λαγωοῖς, Λέουσι χάσμ' ὀδόντων, » etc.

2. *Feras putem..... sequentium.* E codd. recte recepit Gronov. sublato *ne* post *feras* et interrogandi signo.

3. *Simplicissimi.* Id est, honestissimi, candidissimi, qui iram in promptu habent, nec recondunt. Cf. Cic. de Offic. lib. I, capp. 19, 30.

4. *Expositi sunt.* Absolute, ut in gallica lingua, *ils sont exposés;* et idem valet, ac si scriptum legeretur: Injuriis et fraudibus obnoxii sunt, patent, aperiunt latus.

5. *Nepotibus.* Hoc est, prodigis. Vid. Horat. epod. I, vs. 34.

6. *Hoc nomen.* Τῷ *hoc* sæpius vox posterior indicatur, τῷ *illud* prior. At hic contrarium fit, et *hoc* priorem significat, nempe *simplices.* Unde totius sententiæ is tenor est: Simplex non est vir iracundus, incautus est; simplicem voca qui stolidus, qui vane sui laudator, qui luxuriæ amans, qui in spem irritam pronus, qui ganeo, etc.

XVII. Arg. Simulatio iræ sæpius prodest, sed non sine vi aliqua. Etiam hic Nostro rem cum Peripateticis esse, ex iis, quæ supra jam adducta sunt, liquet. Cf. Cic. Tusc. Disp. lib. IV, cap. 19.

7. *Histriones.* Idem adhibuit Sotion, apud Stobæum, serm. XVIII, pag. 159. Florileg. (in nova ed. Schowii, quæ nuper prodiit in publicum, p. 381): Ὑποκριταῖς μὲν οὖν, καὶ μὴ ὀργιζομένοις, ὑποκριναμένοις ὀργὴν συνήνεγκεν· οἱ δὲ σπουδαῖοι ἄνδρες, οὐδ' ἐὰν ὡς ἀληθῶς ὀργίζωνται,

tiando non irati populum movent, sed iratum bene agentes. Et apud judices itaque, et in concione, et ubicumque alieni animi ad nostrum arbitrium agendi sunt, modo iram, modo metum, modo misericordiam, ut aliis incutiamus, ipsi simulabimus : et sæpe id quod veri af-
2 fectus non effecissent, effecit imitatio affectuum. « Languidus, inquit, animus est, qui ira caret. » Verum est, si nihil habet ira valentius. Nec latronem oportet esse, nec prædam; nec misericordem, nec crudelem [1] : illius nimis mollis animus, hujus nimis durus est. Temperatus sit sapiens : et ad res fortius agendas non iram, sed vim adhibeat.

1 XVIII. Quoniam quæ de ira quæruntur, tractavimus,
2 accedamus ad remedia ejus. Duo autem, ut opinor, sunt: ne incidamus in iram, et ne in ira peccemus. Ut in corporum cura, alia de tuenda valetudine, alia de restituenda [2], præcepta sunt : ita aliter iram debemus repel-
3 lere, aliter compescere, ut vincamus. Quædam ad universam vitam pertinentia præcipientur : ea in educationem [3], et in sequentia tempora dividentur. Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desi-

οὕτω χρῶνται τῷ σχήματι. Vereor tamen, ut dogma Stoicum, « sola bona quæ honesta, nec, nisi honestum, quidquam utile esse, » purum illibatumque maneat.

1. *Nec latronem..... nec crudelem.* Quasi dicat : Mediam viam tenere decet, et ab utroque margine æque distantem; neque latrocinii auctor, neque victima sis; neque injuriam inferas, nec patiare, etc.

XVIII. Arg. Sequitur secunda libri pars, quæ primo præscripto continetur, ne in iram incidamus. Quædam præmittuntur de animis, ad iram plus minus pronis, cognoscendis : ideoque primum lineæ quasi doctrinæ de temperamentis, ut vocant, ducuntur, quam maxime ex Hippocratis præceptis de hac re.

2. *Alia de tuenda valetudine, alia de restituenda.* Duplex enim medicina est: alia nimirum qua valetudo mala, ubi ingruerit, amovetur; alia, quam immerito negligunt, facilem licet atque utilem, qua bona cavetur, ne fugiat. Hanc ὑγιεινὴν vocant (gallice *hygiène*), a græca voce ὑγιὴς, *sanus*.

3. *Educationem.* Designat tempus h. l. quod sub educatoribus et magistris transigi solet. Sic *ludis*, i. e.,

derat; facile est enim teneros adhuc animos componere,
difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.
Opportunissima ad iracundiam fervidi animi natura est[1]: 4
nam quum elementa sint quatuor, ignis, aqua, aer,
et terra; potestates[2] pares his sunt, frigida, fervida,
arida atque humida. Et locorum itaque, et animalium,
et corporum, et morum varietates, mixtura elementorum facit, et proinde in aliquos[3] magis incumbunt ingenia, prout alicujus elementi major vis abundavit. Inde quasdam humidas vocamus, aridasque regiones, et calidas, et frigidas. Eadem animalium et hominum discrimina sunt.

XIX. Refert quantum quisque humidi in se calidique 1
contineat: cujus in illo elementi portio prævalebit, inde
mores erunt[4]. Iracundos fervidi mixtura faciet: est enim
actuosus et pertinax ignis. Frigidi mixtura timidos facit: 2
pigrum est enim contractumque frigus. Volunt itaque
quidam ex nostris[5] iram in pectore moveri, efferves-

ludorum tempore, occurrit; v. c. apud Suetonium.

1. *Opportunissima.* Vid. supra, cap. 15: « Ingenia natura fortissima, etc. »

2. *Potestates.* Sunt temperamenta quæ dicimus.

3. *Aliquos.* Lipsius conj. *aliquas*, sc. potestates vel varietates. Mox *incumbunt ingenia*, ubi Lipsio τὸ *ingenia* rejiciendum esse videtur: una editio Rom. hoc sprevit. — *In aliquos*, sc. mores.

XIX. Arg. De temperamentis quatuor, quibus Stoici accuratius usi sunt, quam antea fiebat, ad momentum corporis in animum et ipsum corporalem, declarandum, notissima hic adduxit, prætermissa vi nervorum ad totam hanc doctrinam, etc. Ex diversa elementorum mixtura diversi hominum mores proficiscuntur.

4. *Cujus in illo...... erunt.* En hic disceptatio incipit physiologica de corporum et morum similitudinibus. Quam ut subtilem et ingeniosam fateare, cave tamen ne in omnibus veram credas et accipias: puerilia quædam, falsa multa, sine fundamento omnia. Tum istiusmodi argumentis non erat hic locus; nam, iram aut vitare aut cohibere volenti, quæ necessitas in corporis nostri elementa diligentissime inquirere?

5. *Quidam ex nostris.* Stoicis. Cf. Diog. Laert., lib. VII, cap. 159; Plutarch., de Placit. Philos., lib. IV, cap. 5; Cic. Tuscul. dispp. lib. I, cap. 10. Claud. Paneg. in IV consul. Honor. 241: « Iram sanguinei

3 cente circa cor sanguine. Causa cur hic potissimum as-
signetur iræ locus, non alia est, quam quod in toto
corpore calidissimum pectus est. Quibus humidi [1] plus
inest, eorum paulatim crescit ira, quia non est paratus
4 illis calor, sed motu acquiritur. Itaque puerorum fœmi-
narumque iræ acres magis, quam graves sunt, levioresque
que dum incipiunt: siccis ætatibus [2] vehemens robusta-
que ira est, sed sine incremento, non multum sibi
adjiciens, quia inclinatum calorem [3] frigus insequitur.
5 Senes difficiles et queruli sunt, ut ægri et convalescen-
tes, et quorum aut lassitudine, aut detractione sangui-
nis [4] exhaustus est calor. In eadem causa sunt siti fameque
rabidi, et quibus exsangue corpus est, maligneque alitur
et deficit. Vinum incendit iram, quia calorem auget pro
cujusque natura.

1 XX. Quidam ebrii effervescunt, quidam *** saucii [5]
sunt. Neque ulla alia causa est, cur iracundissimi sint
flavi rubentesque, quibus talis natura color est, qualis
fieri cæteris inter iram solet; mobilis enim illis agita-
2 tusque sanguis est. Sed quemadmodum natura quosdam
proclives in iram facit; ita multæ incidunt causæ, quæ
idem possint quod natura. Alios morbus, aut injuria cor-

regio sub pectore cordis Protegit, imbutam flammis avidamque nocendi ». Neque Horatius multum differt, lib. I, Od. XVI: « Et insani leonis Vim stomacho apposuisse nostro. »

1. *Humidi*. Hanc corporum dispositionem Noster innuit, quam hodie vocant medici *tempérament lymphatique*. Quæ fœminarum fere omnium, et infantium, et flavorum virorum magis propria est.

2. *Siccis ætatibus*. Oppos. *humidis*. Ut senes ægri.

3. *Calorem inclinatum*. Id est, deminutum, attritum.

4. *Detractione sanguinis*. Id est, deminutione. Cf. lib. I, cap. 13. Aristotel., Rhetor., lib. II, cap. 2, hæc eadem tangit.

XX. Arg. Accedunt aliæ causæ ad iram excitandam.

5. *Saucii*. Locum hunc corruptum esse, et MSS. et sequentia arguunt. Præterea var. lect. est, pro *saucii*, *saucii sunt*. Muretus ex ingenio dedit *sicci*. Gronov. conj. *Quidam sobrii effervescunt, quidam saucii* (i. e.

porum [1] in hoc perduxit, alios labor, et continua pervigilia, noctesque sollicitæ [2], et desideria, amoresque; et quidquid aliud aut corpori nocuit, aut animo, ægram mentem in querelas parat. Sed ista omnia initia causæque sunt: plurimumque potest consuetudo; quæ, si gravis [3] est, alit vitium. Naturam quidem mutare difficile 3
est, nec licet semel mixta nascentium elementa convertere. Sed in hoc nosse profuit [4], ut calentibus ingeniis subtrahas vinum, quod pueris Plato [5] negandum putat, et ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt; distendentur enim corpora, et animi cum corpore tumescent. Labor illos citra lassitudinem [6] exerceat, ut 4
minuatur, non ut consumatur calor, nimiusque ille fervor despumet. Lusus quoque proderunt; modica enim voluptas laxat animos et temperat. Humidioribus, siccioribus et frigidis non est ab ira periculum: sed majora vitia metuenda sunt, pavor, difficultas [7], et desperatio, et suspiciones.

XXI. Mollienda itaque, fovendaque talia ingenia, et 1

ebrii, οἰνοπλῆγες). Et hoc sensu ea vox sæpe apud Latinos. Mart. lib. III, epig. LXVIII, vss. 5 et 6: « Hic, jam deposito post vina rosasque pudore, Quid dicat nescit saucia Terpsichore. » Vid. quoque Just. libb. I et II, et Apul. Metam. libb. VII et IX. Ego tamen defectus notas apponi jussi.

1. *Injuria corporum.* Galliones scil., multaque id genus, unde corporis quasdam partes deformitas, aut infirmitas in perpetuum invadit.

2. *Sollicitæ.* Quas libidines, alea, ambitio, conscii animi morsus implent; et hoc partim explicant duæ voces quæ sequuntur.

3. *Consuetudo....... gravis.* Id est, prava: ut Lipsii emendatione supersedeamus.

4. *Profuit.* Id est, profuerit, ex more Senecæ.

5. *Plato.* De Legibus, lib. II.

6. *Labor. .... citra lassitudinem.* Cui nempe finis ante imponatur quam finem lassitudo imperaverit; quem limites coerceant citra lassitudinem siti. Quasi duas in partes laboris imperium scinderetur, quarum alia exercitatio esset, alia lassitudo.

7. *Difficultas.* Id est, ea ignavi animi vitiosa propensio qua in id usque impellimur, ut operosa omnia atque difficillima falso judicemus.

XXI. Arg. Diligenter ingenia sunt observanda, et remedia diversa adhibenda. Quæ hic de educatione monentur, præclara esse, per se patet. Utile erit monita Platonis, Quinti-

in lætitiam evocanda sunt. Et quia aliis contra iram, aliis contra tristitiam remediis utendum est, nec dissimilibus tantum ista [1], sed contrariis curanda sunt; semper ei occurremus quod increverit [2]. Plurimum, inquam,
2 proderit pueros statim salubriter institui. Difficile autem regimen est, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus [3]. Diligenti observatione res indiget. Utrumque enim et quod extollendum, et quod deprimendum est [4] similibus alitur: facile autem etiam attendentem similia decipiunt. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur: assurgit, si laudatur, et in spem sui bonam adducitur; sed eadem
3 ista insolentiam et iracundiam generant. Sic itaque inter utrumque regendus est, ut modo frænis utamur, modo stimulis. Nihil humile, nihil servile patiatur: nunquam illi necesse sit rogare suppliciter, nec prosit rogasse; potius causæ suæ, et prioribus factis, et bonis in futurum promissis donetur [5]. In certaminibus æqualium nec vinci illum patiamur, nec irasci [6]: demus operam, ut familiaris sit his, cum quibus contendere solet, ut in certamine assuescat non nocere velle, sed vincere [7]. Quo-

liani et acerrimi *J.-J. Rousseau* cum hisce comparasse. Brevitatis autem nostræ non esset, hæc fusius persequi.

1. *Ista*. Suppl. *vitia*, vel intellige: Mentis affectus ad pravitatem facile tracturi incautum.

2. *Ei...... increverit*. Illud ante omnia aggredi et impugnare nostri officii est, quod jam adolevit et ferme dominatur.

3. *Ne aut iram........ retundamus*. Utrumque cavendum est: ne, vim animo infundentes, iram quoque suscitemus; neu, dum iram supprimimus, vim indolis aut minorem faciamus, aut omnino nullam.

4. *Extollendum.... deprimendum*. Hoc perspicue interpretatur *Lagrange*: « Les vertus qu'il faut cultiver et les vices qu'il faut étouffer » se nourrissent souvent des mêmes » alimens. »

5. *Causæ.... donetur*. Si quid concesseris, hoc concedatur, *donetur* causæ suæ, justæ (id est, hoc causam suam habeat, justam nempe) et prioribus factis, et futuris quoque potius quam precibus.

6. *Nec irasci*. Quia victus ab adversario fuerit.

7. *Non nocere velle, sed vincere*. Nam hoc æmulatio, illud invidia est.

ties superaverit, et dignum aliquid laude fecerit, attolli, non gestire patiamur; gaudium enim exsultatio, exsultationem tumor, et nimia æstimatio sui sequitur[1]. Dabimus aliquod laxamentum; in desidiam vero 4
otiumque non resolvemus, et procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis facit iracundos, quam educatio mollis et blanda; ideo unicis[2], quo plus indulgetur, pupillisque, quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit, cui de pædagogo[3] satisfactum est. Non vides, ut majorem quamque 5
fortunam major ira comitetur? In divitibus nobilibusque et magistratibus præcipue apparet, quum quidquid leve et inane in animo erat secunda se aura sustulit[4]. Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures superbas assentatorum turba circumstetit. Tibi enim respondeat[5]; Non pro fastigio te tuo metiris; ipse te projicis[6]; et alia, quibus vix sanæ et ab initio bene fundatæ mentes restiterint. Longe itaque ab assentatione pueritia removenda 6
est: audiat verum, et timeat interim, vereatur[7] semper; majoribus assurgat[8], nihil per iracundiam exoret. Quod flenti negatum fuerat, quieto offeratur; et divi-

1. *Exsultationem tumor...sequitur.* Aliquid Flaccus habet non absonum, quum libr. I, od. XVIII, vss. 13, sqq. « Sæva, *ait*, tene cum Berecynthio Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui, Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem. »

2. *Unicis.* Nimirum filiis.

3. *Cui de pædagogo.* Servum litteratum hic intelligas et ipsum educatorem magistrumque, de quo puer questus erat apud parentes. Principio tamen nil aliud muneris habuit quam pueros ducere (παῖδας ἄγειν) ad gymnasium; et hinc ei nomen.

4. *Se...sustulit.* Hoc est, auctum est.

5. *Tibi enim respondeat.* Hæc turba tibi dicere solet, et sicut echo iterat et quodammodo *respondet*.

6. *Ipse te projicis.* Hoc est, a gradu tuo sponte descendis, fastigium tuum linquis. Gallice, *vous vous compromettez*.

7. *Vereatur.* Hoc est, timeat simul et veneretur, comitante metum reverentia.

8. *Majoribus assurgat.* Id est, e sede surgat coram natu majoribus.

tias parentum in conspectu habeat, non in usu. Exprobrentur illi perperam facta.

1 XXII. Pertinebit ad rem, præceptores[1] pædagogosque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne quod tenerum est[2], et in eorum similitudinem crescit : nutricum et pædagogorum retulere mox in adolescentia[3] mores.
2 Apud Platonem educatus puer, quum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem : « Nunquam, inquit, » hoc apud Platonem vidi. » Non dubito[4] quin citius pa-
3 trem imitatus sit, quam Platonem. Tenuis[5] ante omnia victus, et non pretiosa vestis, et similis cultus cum æqualibus. Non irascetur aliquem sibi comparari, quem ab initio multis parem feceris[6]. Sed hæc ad liberos nos-

XXII. Arg. Redit ad ea quæ c. 18 posuerat : præcepta hæc esse dividenda in educationem et in sequentia tempora. Contra primas iracundiæ causas pugnandum est; ac primum, cave ne putes te læsum esse, sed excutias rem. Ne sint aures criminantibus faciles.

1. *Præceptores pædagogosque.* Hinc patet non eadem fuisse præceptoribus et pædagogis munera adimplenda. Præceptoris erat discipulos artes et disciplinas edocere; pædagogi, illorum vitam et agendi rationem inspicere, moresque curare. Idem ergo propemodum erat apud Veteres pædagogus, quod apud nos *gouverneur*. Vid. et pag. 81, not. 3.

2. *Proximis..... tenerum est.* Sic Nostras *Lagrange* vertit : *L'âge tendre s'attache à tous les êtres qui l'environnent, et se règle sur leurs exemples.*

3. *Adolescentia.* Antiqua lectio, a Lipsio et Grutero mutata in *adolescentiam.* Perperam; nam credidere hic viri docti *referre* idem ac *ferre*, *portare*. At *referre* sæpe est *exprimere, imitari.* Plin. lib. V, ep. XVI, 9 : Filiam, quæ mores ejus referebat, etc. Hanc ipsam sententiam et a J. M. Heusingero, in Emendd. laudatis, confirmatam video, qui potestatem verbi *referre*, nunc satis notam, multis exemplis probavit. Sensus ergo is est : Exprimere solent mox adolescentes factis eos mores, quos a nutricibus et pædagogis acceperunt.

4. *Non dubito* quin, apud patrem educatus, ejus mores citius expressisset et imitatus esset pravos, quam placidos et expolitos Platonis.

5. *Tenuis......* Forte legendum est : *Tenuis ante omnia victus sit, non pretiosa vestis et similis cultus......* certe intelligas τὸ sit.

6. *Non irascetur.... parem feceris.* Simplicem illum vel ipsos principum filios educandi typum, a philosophia tam sæpe, sed plerumque frustra commendatum, nunc ab Eminentissimo Principe felicissime adhibitum omnes norunt; et libet sperare et licet nobis eos fructus quos tali insti-

tros pertinent. In nobis siquidem sors nascendi et educatio nec vitii locum, nec jam præcepti habet, sequentia ordinanda sunt[1]. Contra primas itaque causas pugnare 4
debemus. Causa iracundiæ, opinio injuriæ est, cui non facile credendum est; nec apertis quidem manifestisque statim accedendum. Quædam enim falsa veri speciem ferunt. Dandum semper est tempus : veritatem dies aperit. 5
Ne sint aures criminantibus faciles; hoc humanæ[2] naturæ vitium suspectum notumque nobis sit, quod, quæ inviti audimus, libenter credimus, et antequam judicemus, irascimur.

XXIII. Quid, quod non criminationibus tantum, sed 1
suspicionibus impellimur, et ex vultu risuque alieno pejora interpretati, innocentibus irascimur? Itaque agenda est contra se causa absentis, et in suspenso ira retinenda : potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.
Notus est ille tyrannicida[3], qui imperfecto opere[4] com- 2
prehensus, et ab Hippia[5] tortus, ut conscios indicaret,

tutionis modo gignendos spondet philosophus Noster, reipsa, mox neque spe tantum vana, percepturum iri.

1. *In nobis siquidem... ordinanda sunt*. Hæc sunt transitio ex iis quæ pueros adolescentesque spectant ad ea quæ maturæ ætati propria sunt. Sensus est : Nos quum jam seniores simus, vel nobiliore loco orti, quam ut sit turpibus vitio locus, vel educatio præcepta adhuc offerre possit, sequentia tempora, sequens ætas est ordinanda, sive monitis dirigenda.

2. *Hoc humanæ naturæ*. De iis hominibus hoc intelligam, qui natura suspiciosi, infirmi, sibi culpæ alicujus conscii sunt, qui cupidine aliqua vehementiore exagitantur, ideoque non satis sibi constant. Jul. vero Cæsaris illud : Quod volumus et credimus libenter, ratione opposita explices. Utrumque itaque verum est, modo res accurate animo complexus fueris, quæ his sententiis originem dederint.

XXIII. Arg. Neque criminationibus, neque suspicionibus ad iram perpellamur.

3. *Tyrannicida*. Unus ex iis Atheniensibus quibuscum Harmodius et Aristogiton · « τὸν τύραννον κτανέτην ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην. » (Callistr.)

4. *Imperfecto opere*. Quod, Pisistrati filios duos interfecturi, unum tantum interfecerant, et effugerat gladium Hippias.

5. *Hippia*. Hippias et Hipparchus, filii Pisistrati, Athenarum tyranni. Videtur hic Annæus et tempora et

circumstantes amicos tyranni nominavit, quibus quam maxime caram salutem ejus sciebat, et quum ille singulos, ut nominati erant, occidi jussisset, interrogavit, ecquis superesset? « Tu, inquit, solus : neminem enim alium, » cui carus esses, reliqui. » Effecit ira, ut tyrannus tyrannicidæ manus commodaret, et præsidia sua gladio suo
3 cæderet. Quanto animosius Alexander [1], qui, quum legisset epistolam matris, qua admonebatur ut a veneno Philippi medici caveret, acceptam potionem non deterritus bibit! Plus sibi de amico suo credidit : dignus fuit

res miscuisse. Neque enim id Harmodius vel Aristogiton unquam admisere, vel ex conjuratis alius quispiam, sed Eleates Zeno, qui patriam suam Eleam, non Athenas, in libertatem vindicare aggressus est, et tyrannum Nearchum, vel, ut nominant alii, Demylum, deturbare. Cæterum, ut persuasum tibi fiat id facinus, si tale quidquam a Zenone perpetratum fuit, ad Pisistratidas minime pertinere, satis erit tempora comparasse. Hipparchus interfectus est anno trigesimo quarto dominationis ab Harmodio et Aristogitone, Hippias Athenis ejectus, Ol. LXVI ann. 4. Cf. Meursii Pisistrat. cap. 20. Zeno autem longe post Pisistratidas vixit : natus enim est is, Parmenidis discipulus, circ. Ol. LXXI, ergo ann. ant. Chr. nat. 496. Tum si alia ratione confutandus Noster, et hic sequimur *Petr. Bayle*, in *Dictionn. hist. et crit.* tom. IV, *Art. Zénon d'Élée*, pagin. 538. C. minime credendum est tale quidquam admissum esse ab uno ex iis qui, Hippiæ post Hipparchi mortem insidiis frustra structis, comprehensus pœnas dederit. Sed quis unquam legit relatum, Simonidem, Anacreontem, etc. quos quidem Hippiæ familiares fuisse constat, ab eo interemptos esse? Neque vero historici aliique auctores Græci, qui hunc Hippiam memorant, de hac re exposuere. Facilis itaque est conclusio, Nostrum, alias quoque in historia parum curiosum, id quod de Zenone Eleata traditum vel legisset, vel audisset, in tyrannum celebriorem transtulisse. Fuit autem usitatum in scholis rhethorum institutum, ut casus quidam celebriores discipulis ad themata proposita exornanda, amplificanda, probanda, etc., plerumque ex historia deprompta suppeditarentur a magistris. Cf. Cic. Tuscc. Disputt. lib. I, cap. 47. Deorum immortalium judicia solent in scholis proferre de morte, Herodoto auctore. Facile jam intellectu est quantopere hæc exempla immutata ac deflexa sensim fuerint, et quam exigua veritatis in his adhibendis sit ratio habita, modo effectus declamationis appareret. Hinc explicem incuriam, qua Noster in historiis adducendis liberari non potest.

1. *Quanto animosius Alexander.* De hac confidentia Alexandri, quum Tarsi ad fluvium Cydnum morbo laboraret, omnia nota sunt, vel ex Nostratis *Rousseau* eximio et jam laudato opere *Émile*, lib. II. Histo-

qui innocentem haberet, dignus qui faceret. Hoc eo
magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ
fuit [1]; quo rarior autem moderatio in regibus, hoc lau-
danda magis est. Fecit hoc et C. Cæsar [2], ille qui victoria 4
civili clementissime usus est. Quum scrinia deprehen-
disset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis qui vi-
debantur aut in diversis [3], aut in neutris fuisse partibus,
combussit; quamvis moderate soleret irasci, maluit ta-
men non posse. Gratissimum putavit genus veniæ, nescire
quid quisque peccasset. Plurimum mali credulitas facit:
sæpe ne audiendum quidem est, quoniam in quibusdam
rebus satius est decipi, quam diffidere.

XXIV. Tollenda ex animo suspicio et conjectura, fal- 1
lacissima irritamenta. Ille me parum humane salutavit,
ille osculo meo non adhæsit, ille inchoatum sermonem
cito abrupit, ille ad cœnam non vocavit, illius vultus
aversior visus est. Non deerit suspicioni argumentatio; 2
simplicitate [4] opus est, et benigna rerum æstimatione.
Nihil nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit,
credamus; et quoties suspicio nostra vana apparuerit,

rici qui hoc tradunt, omnes Parmenionis, qui tum prope aberat, epistolam, non matris produnt. Et veri similius est, hanc epistolam a Parmenione vicino, quam a matre Olympiade, qui Peræ in Macedonia vivebat, allatam esse, quæ de periculo imminente admonebat. Q. Curt. III, 6, edit. nost. T. I, p. 128. Ed.

1. *Obnoxius iræ fuit.* Postea quidem obnoxius fuit; at tunc et modestus et sapiens, et Aristotelis præcepta nondum oblitus, sui perpetuum compos erat, neque iracundus.

2. *C. Cæsar.* Confirmat et Dio. Cass. lib. XLI, cap. 63, fin. ubi vid. Interpp. Item Plinius, Nat. Hist. lib. VII, cap. 26. Illa enim fuit vere incomparabilis invicti animi et inanes injurias parum curantis sublimitas: captis apud Pharsaliam Pompeii Magni scriniis epistolarum, iterumque apud Thapsum Scipionis, fertur concremasse ea optima fide, atque non legisse.

3. *Diversis:* omn. codd. Id est, adversis. Sed Muretus *adversis* dederat.

XXIV. Arg. Et conjectura, et inquisitio vitanda est.

4. *Simplicitate.* Bonitate animi, καθαριότητι (cf. cap. 16): quum id solum sequaris, quod verum atque bonum sit, neque omnia in malam partem interpreteris.

objurgemus credulitatem. Hæc enim castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi.

1 XXV. Inde et illud sequitur, ut minimis sordidisque rebus non exacerbemur. Parum agilis est puer [1], aut tepidior aqua potui [2], aut turbatus [3] torus [4], aut mensa negligentius posita : ad ista concitari, insania est; æger et infelicis valetudinis est, quem levis aura [5] contraxit; affecti oculi, quos candida vestis obturbat; dissolutus
2 deliciis, cujus latus alieno labore condoluit. Myndiridem [6] aiunt fuisse ex Sybaritarum civitate; qui quum vidisset fodientem, et altius rastrum allevantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo fa-
3 cere. Idem vibicem habere [7] sæpius questus est, quod

XXV. Arg. Neque rebus minimis sordidisque ad iram concitemur; servis potissimum negligentius se gerentibus.

1. *Parum agilis puer...... aqua.* Servis, neglecto dispectu officiorum (cap. 9), non exacerbemur. Ne intelligas vero de calda negligentius præbita, sed de aqua potui ministrata male nive diluta; docente hoc ipso capite extremo. Aqua autem gelida atque nive vinum dilutum esse olim hodieque dilui in terris meridionalibus, res nota. Cf. ep. 78: « quia non vino nivem diluit. » Vid. seq. not. 2.

2. *Aqua potui* E codd. bonis restituit Lipsius, probante Gronovio. Antea, *aqua potui erogata*. *Aqua potui* dicitur, ut vestis indutui, signum receptui, olea esui (Varro, lib. I, de R. R. 60), etc. quod et J. F. Gronovius docuit.

3. *Turbatus torus.* Præfero diversæ lectioni *turpatus*; loquitur enim de causis iracundiæ levioribus. *Turbatus est torus*, quando culcitræ pulvinive nondum a servo compositi atque in ordinem redacti sunt.

4. *Torus* convivalis, nostrum *sofa*.

5. *Levis aura*, sc. gelida, strinxit, ut in frigore.

6. *Myndiridem.* Græcis appellatur Σμυνδιρίδης : luxuria famosissimus in antiquitate, vixit Solonis tempore; obvius et ap. Herodot., lib. VI, cap. 127, qui addit, ad extrema deliciarum hunc venisse. Et tota Sybaritarum civitas ob delicatos mores et mollitiem incolarum infamis, ut mensæ, incessus, luxus eorum in proverbium abierint. Athen., lib. XII, pag. 518, sqq. Heynii opuscc. acad. lib. II, pag. 126, sqq. Ælian. quoque, V. H. lib. IX, c. 24, meminit hanc a Nostro traditam rem; adi ib. Perizon.

7. *Vibicem habere.* Antea erat: *idem bilem habere sæpius questus est*, codd. nonnullis et Tarvis. atque Erasmica edd. adstipulantibus : aliis tamen τὸ *bilem habere* prætermittentibus. Lipsio placebat *bilem habere* (bile aut febricula se laborare), et J. F. Gronovio, eodem sensu : at usum hujus locutionis non docue-

foliis rosæ duplicatis incubuisset. Ubi animum simul et
corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur :
non quia dura, sed quia molles patimur. Quid[1] enim 4
est, cur tussis alicujus, aut sternutamentum, aut musca
parum curiose[2] fugata, nos in rabiem agat, aut obver-
satus canis[3], aut clavis negligentis servi manibus elapsa?
Feret iste æquo animo civile convicium, et ingesta in
concione curiave maledicta, cujus aures tracti[4] subsellii
stridor offendit? Perpetietur hic famem, et æstivæ ex-
peditionis sitim, qui puero male diluenti nivem[5] irascitur?

runt, quod in viris his doctissimis iisque prudentissimis merito mireris. Rubenius, Gronovii familiaris idemque eruditissimus juvenis, conj. *bullam*, i. e. papulam, nec ipso vim vocis probante. Hac difficultate motus, aliam proposuit lectionem medicus ille κριτικώτατος Trillerus (Obss. crit., pag. 138. Francof. ad Mœn., 1742): *vibicem habere*. A literarum ductu propius abest, et sensui egregie congruit. Significat enim tumorem callosum a plagis ortum, exprimitque bene querelam delicatuli hominis, se quasi pugnis male mulcatum et contusum esse. J. M. *Heusinger* tamen hanc lectionem rejiciendam duxit, quia non tumorem illum, sed vocem hic φλυκταίνην (ap. Ælian. var. Hist., lib. IX, cap. 24, ubi hæc fabula narratur), expressam a Nostro sibi persuasit: ideoque putavit legendum esse: *papulam habere*. Præfero Trillerianam rationem, quamquam Heusingeri conjecturæ eximie faveo.

1. *Quid enim*. Intelligo de negligentia servorum, qui silentium interpellarent, muscam (ut muscarii servi) non bene fugarent, quominus domino molestiam crearent.

2. *Curiose*. Hoc est, sedulo. Flabellis pavoninis et ventilabris muscæ apud lautiores tunc abigi solebant, ut testantur Martialis hi scazontes, lib. III, epigr. LXXXII, vss. 10, sqq. « Et æstuanti tenue ventilat frigus Supina prasino concubina flabello, Fugatque muscas myrtea puer virga; » itemque hoc distichon, lib. XIV, epigr. LXVII: « Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas, Alitis eximiæ causa superba fuit. »

3. *Obversatus*. E codd. et libb. reduxit Lipsius. Ante erat *observatus canis;* quod idem epist. XLVII, de omine scævo intelligit. Pincianus dederat, e conjectura forsan, *versus calix;* quod etiam hic bene suum locum obtinere posset.

4. *Tracti*. Cum strepitu loco moti.

5. *Male diluenti nivem*. Colabatur vinum apud lautiores in conviviis, et hoc in deliciis Veteres habuere. Colum vero nivarium, quod et qualum dixere, vas erat quo aqua ex nivibus colari solebat; quod tali modo fiebat: nives in colum injiciebantur, dein vinum infundebatur, quod, per nives dum flueret, frigus inducebat, secumque trahebat: quo pacto lac aliaque colabantur.

1 XXVI. Nulla itaque res magis iracundiam alit, quam luxuria intemperans et impatiens. Dure tractandus ani-
2 mus est, ut ictum non sentiat, nisi gravem. Irascimur aut his, a quibus nec accipere injuriam potuimus, aut his a quibus accipere potuimus. Ex prioribus quædam sine sensu sunt : ut librum, quem minutioribus literis scriptum sæpe projecimus et mendosum laceravimus; ut vestimenta, quæ [1] quia displicebant, scidimus. His irasci quam stultum est, quæ iram nostram nec merue-
3 runt, nec sentiunt! « Sed nos offendunt videlicet, qui » illa fecerunt. » Primum, sæpe antequam hoc apud nos distinguamus, irascimur : deinde fortasse ipsi quoque artifices excusationes justas afferent. Alius non potuit melius facere, quam fecit, nec ad tuam contumeliam parum didicit; alius non in hoc, ut te offenderet, fecit. Ad ultimum, quid est dementius, quam bilem in ho-
4 mines collectam in res effundere? Atqui ut his irasci dementis est, quæ anima carent, sic mutis animalibus, quæ nullam injuriam nobis faciunt, quia velle non possunt : non est enim injuria nisi [2] a consilio profecta.
5 Nocere itaque nobis possunt, ut ferrum, aut lapis; injuriam quidem facere non possunt. Atqui contemni se quidam putant, ubi equi iidem obsequentes alteri equiti,

XXVI. ARG. Iis, qui injuriam inferre neque potuere, neque voluere, non irascendum est.

1. *Librum quem....... vestimenta, quæ......* Hic hæsit magnus Gronovius, et ejecit τὸ *quem* et τὸ *quæ*; omnibus codd. et libris refragantibus. Relativa enim sibi persuaserat sæpe iniquo loco a librariis interposita esse. Quod non negaverim. Nostrum tamen locum bene habere putem, virgula post *projecimus* sublata, et post *mendosum* translata : deinde, *ut*, *vestimenta* explices : exempli gratia *vestimenta*; nec ulla difficultas te morabitur, *ut*, *librum quem mendosum laceravimus : ut*, *vestimenta*, *quæ quia*, etc. Ita optimus interpres *Ruhkopf*; a quo tamen recedentes, virgulas duas tantum passi sumus, hanc post *librum*, hanc post *vestimenta*.

2. *Quæ nullam.... injuria nisi....* Reduxi, Gronovio auctore, lectionem hanc codd. bonæ notæ, tum sensu et sermone Senecæ postulanti-

alteri contumaces sunt; tanquam judicio, non consuetudine, et arte tractandi, quædam quibusdam subjectiora sint.

XXVII. Atqui ut his irasci stultum est, ita pueris, et 1
non multum a puerorum prudentia distantibus. Omnia
enim ista peccata, apud æquum judicem, pro innocentia
habent imprudentiam [1]. Quædam sunt [2], quæ nocere non 2
possunt, nullamque vim nisi beneficam et salutarem habent; ut Dii immortales [3], qui nec volunt obesse, nec
possunt: natura enim illis mitis et placida est, tam longe
remota ab aliena injuria, quam a sua [4]. Dementes ita- 3
que et ignari veritatis illis imputant sævitiam maris, immodicos imbres, pertinaciam hiemis; quum interim nihil horum, quæ nobis nocent prosuntve, ad nos proprie dirigatur. Non enim nos causa Mundo [5] sumus hiemem æstatemque referendi [6]; suas ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur [7]. Nihil

bus. Antea legebatur: *sic mutis animalibus: quia nulla est injuria, nisi .....*

XXVII. Arg. Pergit in iis, quæ priori capite posita sunt, et pluribus explicat.

1. *Omnia...... imprudentiam.* Imprudentia est, qua suam sibi innocentiam vindicent; loco innocentiæ est iis imprudentia. Gataker. ad Antonin. lib. VII, pag. 63; *Tiedemann, Geist der spekul. Phil.* lib. II. pag. 530, seqq.

2. *Quædam sunt.* Quam superiori capite divisionem indicaverat, dicens: *Irascimur aut his*, etc. tum *Ex prioribus*, scilicet ex iis a quibus injuriam accipere non possumus, *quædam sunt sine sensu......* hanc rursus arripit et persequitur; et nunc ad alteram divisionis partem pergit, de illis nempe rebus quæ non sunt *sine sensu*.

3. *Ut Dii immortales.* Dogma Stoicum et Academicis commune est. Cic. de Off. lib. III, cap. 28; ibiq. interpp. Cf. et Lipsii Physiol. lib. I, cap. 10.

4. *A sua.* Ipsi injurias pati non possunt.

5. *Mundo.* I. e. Deo, naturæ rerum.

6. *Hiemem æstatemque referendi.* Quare hiemis æstatisque vices perpetuo renoventur.

7. *Nimis nos suspicimus.* Hæc contra Stoicorum dogma: Mundum Deorum et hominum causa conditum esse, disputata esse, patet e Cic., de Nat. Deor., lib. II, cap. 14, 53, 60. de Finib., lib. III, cap. 20 de Offic., lib. I, cap. 7; et Plin. N. H. lib. VII,

ergo horum in nostram injuriam fit; immo contra, nihil
4 non ad salutem. Quædam esse diximus, quæ nocere non possunt; quædam, quæ nolunt. In his erunt boni magistratus, parentesque, et præceptores, et judices: quorum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, et abstinentia, et alia quæ profutura torquent. Affecti sumus pœna? succurrat [1], non tantum quid patiamur, sed quid fecerimus: in consilium [2] de vita nostra mittamur; si verum ipsi dicere nobis voluerimus, pluris litem
5 nostram æstimabimus [3]. Si volumus æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur, Nihil peccavi, Nihil feci. Immo nihil fateris [4]. Indignamur aliqua admonitione aut coercitione nos castigatos: quum illo ipso tempore peccemus, quo adjicimus

procem. s. 1: « Hominis causa videtur cuncta alia genuisse natura. » Explicat tamen de Benef., lib. VI, cap. 20: « Sed quum in hoc moveantur (sol et luna), ut universa conservent, et pro me moventur; universorum enim pars sum. Academici aliique Philosophi quum multa eaque merito contra hoc dogma Stoicorum monuissent, Noster his monitis ad mitigationem hujus doctrinæ perductus esse videtur. Cf. de Benef., lib. IV, capp. 4, 5, 13, lib. VI, cap. 23; Lipsius, in Physiol., lib. II, cap. 8. Hanc hominis arrogantiam omnia in rerum natura ad seipsum referentis, plurimi recentiores philosophi et poetæ acriter et maligne perstrinxerunt. *Montaigne* pro homine anserem introducit eadem, quæ homo jactare solet, jactantem. *Boileau*, sat. VIII, initio:

Lui seul de la nature est le maître et l'appui;
Et le dixième ciel ne tourne que pour lui.

1. *Succurrat*. Hoc est, menti occurrat atque obversetur, non illius quod perpetimur supplicii cogitatio, sed earum quas aliis intulimus injuriarum recordatio.

2. *In consilium*. Phrasis judicialis: in consilium judices mittuntur, ut, causa audita et cognita, potestate a quæsitore facta, deliberent et tabellis acceptis finiant. Sententiam igitur de nobis feramus.

3. *Pluris litem nostram æstimabimus*. Nostram pœnam, mulctamve majorem esse indicabimus. Res et locutio e foro Attico petitæ: in causa parum obvia alioquin, legibusque non satis clare pronuntiantibus pœnam, judices mulctam (τίμημα, litem) æstimabant, constituebant, ab accusatore propositam, quod τιμᾶν dicitur; tum reus minuit, ἀντιτιμᾷ; post accusator προστιμᾷ: hinc denique judices per suffragia pœnam constituebant. Cic. de Orat. lib. I, cap. 54. Ernesti Clav. ad *Æstimatio*.

4. *Immo... fateris*. Hæc respondet philosophus homini se excusanti.

malefactis arrogantiam et contumaciam. Quis est iste, 6
qui se profitetur omnibus legibus innocentem[1]? Ut hoc
ita sit[2], quam angusta innocentia est, ad legem bonum
esse? quanto latius officiorum[3] patet quam juris regula?
quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides
exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas[4] sunt[5]?

XXVIII. Sed ne ad illam quidem arctissimam inno- 1
centiæ formulam[6] præstare nos possumus. Alia fecimus,
alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus[7], in qui-
busdam innocentes sumus, quia non successit[8]. Hoc co- 2
gitantes, æquiores simus delinquentibus, cedamus ob-
jurgantibus: utique nobis ne irascamur (cui enim non,
si nobis quoque?); minime Diis. Non enim illorum,

1. *Omnibus legibus innocentem.* *Lagrange* perspicue: *Quel est l'homme qui puisse se dire innocent d'après toutes les lois?*

2. *Ut hoc ita sit.* Id est, te innocentem omnibus legibus esse concedo. *Ut* ergo hoc in loco idem valet ac *quanquam, etiamsi.*

3. *Officiorum.* Stoicos Officiis singularem locum et partem in divisione Ethices dedisse primos, ex Diogene Laert. lib. VII, cap. 108, Senec. epist. LXXXIX, Cic. de Fin. lib. III, cap. 22, patet. Officium (τὸ καθῆκον) dicunt, quod cur factum sit, probabilis ratio reddi possit. Ergo Officium valde latius quam Lex patet, quum omne id significet, quod nobis ratio imperat.

4. *Tabulas.* Scilicet legum, publice propositas et affixas.

5. *Quanto latius....... sunt.* Quam parum scriptæ leges ad perfectam justitiam et virtutem sufficiant, plerique recentiores qui quidem de scientia morali egerunt, et apprime norunt et fuse docuere; inter quos eminet Anglus *Palty*, quem vide optimo libro, *Principles of moral and political philosophy*, lib. I, cap. 3.

XXVIII. Arg. Nosce te ipsum, ut æquior fias in alios, nec statim irascaris.

6. *Arctissimam formulam.* Id est angustam, circumscriptam juris formulam, qua innocentiam metiri possumus. *Formula* vero ex jure romano petita vox est: censoribus, judicibus formula, id est, regula, censendi, cognoscendi dabatur, ad quam administrationem officiorum attemperarent. Cf. Ernesti Clav. Cic. *Arctissima* dicitur, quoniam neque omnes cogitationes, neque omnes actiones dirigit, atque complectitur. Officium opponitur.

7. *Aliis favimus.* Hoc est, alia si non ipsi perpetravimus, ab aliis perpetrata esse gavisi sumus.

8. *In quibusdam......... successit.* Quædam non bona tentavimus, at non perfecimus, quod obstitere multi et multa. Ergo culpæ innocentes ea tantum ratione sumus quod non adjuvabat fortuna nocentes; libuit vetitum scelus admittere, non licuit.

ergo horum in nostram injuriam fit; immo contra, nihil
4 non ad salutem. Quædam esse diximus, quæ nocere non possunt; quædam, quæ nolunt. In his erunt boni magistratus, parentesque, et præceptores, et judices: quorum castigatio sic accipienda est, quomodo scalpellum, et abstinentia, et alia quæ profutura torquent. Affecti sumus pœna? succurrat [1], non tantum quid patiamur, sed quid fecerimus: in consilium [2] de vita nostra mittamur; si verum ipsi dicere nobis voluerimus, pluris litem
5 nostram æstimabimus [3]. Si volumus æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. Hinc enim maxima indignatio oritur, Nihil peccavi, Nihil feci. Immo nihil fateris [4]. Indignamur aliqua admonitione aut coercitione nos castigatos: quum illo ipso tempore peccemus, quo adjicimus

procem. s. 1: « Hominis causa videtur cuncta alia genuisse natura. » Explicat tamen de Benef., lib. VI, cap. 20: « Sed quum in hoc moveantur (sol et luna), ut universa conservent, et pro me moventur; universorum enim pars sum. Academici aliique Philosophi quum multa eaque merito contra hoc dogma Stoicorum monuissent, Noster his monitis ad mitigationem hujus doctrinæ perductus esse videtur. Cf. de Benef., lib. IV, capp. 4, 5, 13, lib. VI, cap. 23; Lipsius, in Physiol., lib. II, cap. 8. Hanc hominis arrogantiam omnia in rerum natura ad seipsum referentis, plurimi recentiores philosophi et poetæ acriter et maligne perstrinxerunt. *Montaigne* pro homine anserem introducit eadem, quæ homo jactare solet, jactantem. *Boileau*, sat. VIII, initio:

Lui seul de la nature est le maître et l'[illegible]
Et le dixième ciel ne tourne que [illegible]

1. *Succurrat.* Hoc est [illegible] currat atque obve[illegible]

quod perpetimur supplicii cogitatio, sed earum quas aliis intulimus injuriarum recordatio.

2. *In consilium.* Phrasis judicialis: in consilium judices mittuntur, ut, causa audita et cognita, potestate a quæsitore facta, deliberent et tabellis acceptis finiant. Sententiam igitur de nobis feramus.

3. *Pluris litem nostram æstimabimus.* Nostram pœnam, [illegible] majorem esse indicabimus [illegible] locutio e foro [illegible] parum obvia [illegible] non satis cla[illegible] nam, judice[illegible] æstimab[illegible] satore [illegible] tum [illegible]

malefactis arrog[redacted] aliena est, idem qui se profitetur [redacted] errimus exactor, ita sit[2], quam ang[redacted], ipse perjurus; esse? quanto latius [illegible] r patitur. Pudi- quam multa pietas, [illegible] n vult, qui non exigunt, quæ omnia [illegible] abemus; a tergo 6
[illegible]

XXVIII. Sed ne ad [illegible] a[2] filii convivia centiæ formulam[6] [illegible] luxuriæ ignoscit, alia cogitavimus, alia [illegible] rannus irascitur; busdam innocentes [illegible] ominum est, quæ 7
gitantes, æquiores [illegible] s. Faciet nos mo- jurgantibus: utique [illegible] erimus nos: Num- si nobis quoque?); [illegible] us? Numquid sic [illegible] mnari? Maximum 8
[illegible] lla pete initio, ut [illegible] exspectat: nec uni- [illegible] aves habet impetus [illegible] s carpitur.

[illegible] t, alia renuntiantur 1
[illegible] nus. His quæ narrata [illegible]

1. *Omnibus legibus innocen*[illegible] *Lagrange* perspicue: *Quel est l'hom*[illegible] *me qui puisse se dire innocent d'a*[illegible] *près toutes les lois?*

2. *Ut hoc ita sit.* Id est, te inno[illegible] centem omnibus legibus esse con[illegible] cedo. *Ut* ergo hoc in loco idem val[illegible] ac *quanquam*, *etiamsi.*

3. *Officiorum.* Stoicos Offici[illegible] gularem locum et partem in divi[illegible] Ethices dedisse primos, ex Diog[illegible] Laert. lib. VII, cap. 108, Sen[illegible] epist. LXXXIX, Cic. de Fin. lib. II[illegible] cap. 22, patet. Officium [illegible] dicunt, quod cur factum sit, pr[illegible] bilis ratio reddi possit. Ergo Off[illegible] valde latius quam Lex patet [illegible] omne id significet, quod n[illegible] imperat.

4. *Tabulas.* Scilicet leg[illegible] propositas et affixas.

5. *Quanto latius*[illegible] [illegible] scriptæ leg[illegible] justitiam [illegible]

[illegible] um, cap. 6, futilem hancce [illegible] ionem, et ubicumque olim [illegible] ur *intempestiva convivia*, le- [illegible] *tempestiva.* Cujus e nota [illegible] ntum excipimus: « Quid enim? [illegible] tempestiva convivia, ut tem- [illegible] finiri, sic et serius finiri de[illegible] fuit? Adeo quidem, ut etiam [illegible] ultam noctem protraherentur, [illegible] que ad galli cantum. Ita mos [illegible] in istis festorum hominum di[illegible] que epulis, et temporius discum- [illegible] di, et nonnisi multa jam nocte convivio surgendi. »

XXIX. ARG. Differas iræ explen- [illegible] e tempus, et prius judices, quæ affe- [illegible] ntur, quam ultionem repetas.

sed lege mortalitatis patimur, quidquid incommodi ac-
cidit. At morbi doloresque incurrunt. Utique aliqua fu-
3 giendum [1] est domicilium putre sortitis. Dicetur aliquis
male de te locutus ; cogita an prior feceris, cogita de
quam multis loquaris. Cogitemus, inquam, alios non
facere injuriam, sed reponere, alios pronos facere [2], alios
coactos facere, alios ignorantes ; etiam eos qui volentes
scientesque faciunt, ex injuria nostra [3] non ipsam inju-
4 riam [4] petere. Aut dulcedine urbanitatis prolapsus est,
aut fecit aliquid, non ut nobis obesset, sed quia conse-
qui ipse non poterat, nisi nos repulisset. Sæpe adulatio,
dum blanditur, offendit. Quisquis ad se retulerit, quo-
ties ipse in suspicionem falsam inciderit, quam multis
officiis suis fortuna speciem injuriæ induerit [5], quam
multos post odium amare cœperit, poterit non statim
irasci : utique si sibi tacitus ad singula quibus offenditur,
dixerit ; Hæc et ipse commisi. Sed ubi tam æquum judi-
5 cem invenies ? Is qui nullius non uxorem concupiscit, et

1. *Utique aliqua fugiendum.* Var. lect. *ad aliquid. aliquo frigidum.* Hinc Lipsius fecit : *aliqua defugiendum.* Gronovius : *aliqua fungendum* ; id est, patienda sunt hæc onera. Lipsius de suicidio explicasse videtur ; quod cur Gronovio displicuerit, non video, qui ait : « Quidquid agas, haud expresseris sensum. » Non cogitasse dicendus est de sententia Stoicorum, licere homini sponte sua sibi mortem consciscere. Nisi exciderint nonnulla, ut puto, de hoc dogmate hic sermo est. Cf. infr. lib. III, cap. 15. *Aliqua* (supple, *via*) tibi exitum ex hoc domicilio putri, quod tute tibi non dedisti, sed datum accepisti, parabis.

2. *Alios pronos facere. Alios per nos pro nobis*, a Gronovio probatum est. Perperam : nam hic de injuria agitur, qua nos afficimur, non de ea, quam nos inferimus. Alii injuriam reponunt, alii impetu proprio abripiuntur, alii vi et persuasione aliorum ideoque coacti, alii ignorantes, nobis ipsis injuriam inferri. *Pronos* itaque non erat sollicitandum. — *Pronos*. Proclives in iram, aliquo iræ impetu abreptos : vel incautos, impetu aliquo abreptos facere injurias, non consilio certo ductos.

3. *Ex injuria nostra*. Nobis facta.

4. *Non ipsam*. Non injuriam reputantes, quam faciunt, sed reponentes, se vindictam appetentes.

5. *Quam multis....induerit*. Quam multoties, dum alios adjuvare tentat, imprudens videtur lædere ! quam frequenter officium conferentem injuriam facere aut meditari arbitramur !

satis justam causam putat amandi, quod aliena est, idem
uxorem suam adspici non vult; et fidei acerrimus exactor,
est perfidus; et mendacia persequitur, ipse perjurus;
et litem sibi inferri ægerrime calumniator patitur. Pudi-
citiam servulorum suorum attentari non vult, qui non
pepercit suæ. Aliena vitia [1] in oculis habemus; a tergo 6
nostra sunt. Inde est, quod tempestiva [2] filii convivia
pater deterior filio castigat. Nihil alienæ luxuriæ ignoscit,
qui nihil suæ negavit; et homicidæ tyrannus irascitur;
et punit furta sacrilegus. Magna pars hominum est, quæ 7
non peccatis irascitur, sed peccantibus. Faciet nos mo-
deratiores respectus nostri, si consuluerimus nos: Num-
quid et ipsi aliquid tale commisimus? Numquid sic
erravimus? Expeditne nobis ista damnari? Maximum 8
remedium est iræ, mora. Nec ab illa pete initio, ut
ignoscat, sed ut judicet; desinet, si exspectat: nec uni-
versam illam tentaveris tollere; graves habet impetus
primos; tota vincetur, dum partibus carpitur.

XXIX. Ex his quæ nos offendunt, alia renuntiantur 1
nobis, alia ipsi audimus, aut videmus. His quæ narrata

1. *Aliena vitia.* Nota fabula ex Æsopo et Catull. Carm. XXII, vs. 21: « Sed non videmus manticæ quod in tergo est. » Et Phædr. lib. IV, fab. x, narravit, qui tamen Nostro notus non fuit.

2. *Tempestiva.* Quæ ante tempus diei solitum inire solebant: de medio potare die est apud Horat. lib. II, Sat. VIII, 3. Cf. Lips. Exc. IV, ad Taciti Annal. XIV, cap. II, editionis hujus nostræ, T. IV, p. 518. Distinguebantur olim a doctissimis viris *tempestiva* convivia ab *intempestivis*, ita ut tempestiva diurna fuerint, intempestiva autem nocturna. At demonstravit fuse Salmasius ad Vopisci Florianum, cap. 6, futilem hancce distinctionem, et ubicumque olim legebatur *intempestiva convivia*, legendum *tempestiva*. Cujus e nota illa tantum excipimus: « Quid enim? annon tempestiva convivia, ut temporius finiri, sic et serius finiri de more fuit? Adeo quidem, ut etiam in multam noctem protraherentur, et usque ad galli cantum. Ita mos enim in istis festorum hominum divumque epulis, et temporius discumbendi, et nonnisi multa jam nocte de convivio surgendi. »

XXIX. Arg. Differas iræ explendæ tempus, et prius judices, quæ afferantur, quam ultionem repetas.

sunt, non debemus cito credere. Multi ementiuntur, ut decipiant; multi, quia decepti sunt. Alius criminatione gratiam captat, et fingit injuriam, ut videatur doluisse
2 factam. Est aliquis malignus, et qui amicitias cohærentes diducere velit; est suspicax [2]; et qui spectare ludos cupiat, ut ex longinquo tutoque speculetur, quos collisit. De parvula summa judicaturo, tibi res sine teste non probaretur; testis, sine jurejurando non valeret; utrique parti dares advocationem, dares tempus, nec semel audires: magis enim veritas elucet, quo sæpius ad ma-
3 num venit. Amicum condemnas de præsentibus [3], antequam audias, antequam interroges? illi, antequam aut accusatorem suum nosse liceat aut crimen, irasceris? Jam verum, jam utrimque quid diceretur, audisti? Hic ipse qui ad te detulit, desinet dicere, si probare de-

1. *Est suspicax*. Quum hæc vox nihil ad sequentem affectum attineat, quem exprimat, fuisse putat Lipsius, *subprocax*: quod excidisse nollem viro præstantissimo. Difficultas hæc pravæ interpunctioni originem debet. Omnia autem clara sunt, modo interpungas post *velit* et *suspicax*, sic: *velit; et suspicax, et*. Refero autem τὸ *est suspicax* ad τὸ *et qui amicitias.... velit*. Hoc enim scriptoribus hujus ætatis familiare est, ut, particulas causales et transitus omittendo, pulchritudinem nescio quam suo sermoni affundant, Ciceroni et optimo cuique auctori incognitam, quippe perspicuitati officientem. Hic dicere debuisset, *est enim pertinax*, et omnia perspicua fuissent. — *Est suspicax*. Suspicione ductus, amicitias diducere, immo tollere studet, ne sibi molestiam creent. Lipsius ad sequentia retulit, ideoque coactus est ad conjecturam confugere aliquando contortiorem, quam ut admitti possit; vid. supr. Est malignus aliquis, qui *et* suspicionis causa, *et* ut ludos sibi faciat, amicitias disjungat.

3. *De præsentibus*. Id est, Gronovio interprete, statim, præsenti opera, nulla interposita mora, qua rem cognoscas. Senecæ propria est hæc loquendi ratio, atque apud eum solummodo occurrit: de Beneficiis, lib. II, cap. 35, ep. XCVIII. Translatio facta videtur ab iis, qui satisfaciunt, emunt, solvunt, donant de præsentibus nummis: quod quia statim et prompte fiebat, inde dicebatur, facere aliquid de præsentibus, id est, ex continenti.

3. *Jam verum, jam utrimque quid.... audisti?* Ex codd. ap. Grut. recte recepit Gronov. Signum interrogationis apponi jussi, tenore sermonis poscente. *Verum*, id est, justum. Cf. Ernesti Clavem Ciceronianam, sub voc. *Veritas*; et exemp. adi.

buerit. Non est, inquit, quod me protrahas [1]; ego productus negabo; alioqui nihil unquam tibi dicam. Eodem tempore et instigat [2]; et ipse se certamini et pugnæ subtrahit. Qui dicere tibi nisi clam non vult, pæne non dicit. Quid est iniquius, quam secreto credere, palam irasci?

XXX. Quorumdam ipsi testes sumus. In his naturam 1
excutiemus voluntatemque facientium. Puer est? ætati
donetur [3]; nescit an peccet. Pater est? aut tantum pro-
fuit, ut illi etiam injuriæ jus sit [4]; aut fortassis ipsum
hoc meritum ejus est, quo offendimur. Mulier est?
errat. Jussus est [5]? necessitati quis, nisi iniquus, suc-
censet? Læsus est? non est injuria, pati quod prior
feceris. Judex est? plus illius credas sententiæ, quam
tuæ. Rex est? si nocentem punit, cede justitiæ; si in-
nocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile
muto? imitaris illud, si irasceris. Morbus est, aut cala-
mitas? levius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis
operam, quum illi irasceris, quam quum illum alteri pre-
caris iratum [6]. Bonus vir est qui injuriam fecit? noli
credere. Malus? noli mirari: dabit pœnas alteri, quas
debet tibi: et jam sibi dedit [7], qui peccavit. Duo sunt, ut 2

1. *Protrahas.* Subaud. *in judicium*, et me cogas id palam deferre, palam asseverare, quod secretus in aurem tibi obmurmuravi.

2. *Instigat.* Ad certamen nempe et pugnam.

XXX. Arg. Natura et voluntas facientium injurias excutiendæ sunt. Transit ad eam causam iræ, quam secundo loco posuerat, cap. 25, sqq. nos et irasci solere, si inique accepisse injuriam videmur.

3. *Donetur.* Hoc est, aliquid concedatur; detur indulgentiæ aliquantulum tenellulæ huic ætati, et bonum a malo nondum secernenti.

4. *Injuriæ jus sit.* Liceat semel injustus esse: aut fortasse est beneficium, quod nobis injuria videtur.

5. *Jussus est?* Jussu alterius injuriam fecit, aut antea læsus tibi injuriam reponit.

6. *Tam perdis.....precaris iratum.* Stoicorum opinionem rursus adverte, qui Deum volebant rerum humanarum minime curiosum, preces nostras, et deprecationes, et imprecationes aure surda audire. Quod jam notavimus cap. 27, ad hæc verba: « Ut Dii immortales, etc. »

7. *Et jam sibi dedit.* Quoniam animus sibi culpæ conscius se torquet.

dixi, quæ iracundiam concitant; primum, si injuriam videmur accepisse; de hoc satis dictum est. Deinde, si
3 inique accepisse; de hoc dicendum est. Iniqua quædam judicant homines, quia pati non debuerint; quædam, quia non speraverint. Indigna putamus, quæ inopinata sunt. Itaque maxime commovent, quæ contra spem exspectationemque evenerunt. Nec aliud est, quare in domesticis minima offendant, in amicis, injuriam vocemus negligentiam.

1 XXXI. « Quomodo ergo, inquit, inimicorum nos » injuriæ movent? » Quia non exspectavimus[2] illas, aut certe non tantas. Hoc efficit amor nostri nimius; inviolatos nos etiam inimicis judicamus esse debere. Regis
2 quisque intra se animum habet, ut licentiam sibi dari velit, in se nolit[3]. Aut ignorantia nos itaque rerum, aut insolentia[4] iracundos facit. Ignorantia: quid enim mirum est, malos mala facinora edere? Quid novi est, si inimicus nocet, amicus offendit, filius labitur, servus peccat? Turpissimam aiebat Fabius[5] imperatori excusationem esse: Non putavi; ego turpissimam homini puto. Omnia puta, exspecta: etiam in bonis moribus aliquid
3 exsistet asperius. Fert humana natura insidiosos amicos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios. Quum de moribus unius judicabis, de publicis cogita: ubi maxime gau-

1. *Itaque maxime commovent*, etc. Ut illa maxime felicitas intimum animum delectat, quæ insperata inexspectataque evenit

XXXI. Arg. Inimicorum injuriæ ferendæ, quoniam ignorantia eas genuit.

2. *Quia non exspectavimus*, etc. Falsa sane responsio, si eam ad singulas et universas retuleris injurias: vera, si ad quasdam. At videtur hic Annæus Noster universim sumpsisse.

3. *Licentiam...... nolit*. Velit licere sibi contra alios omnia, aliis contra se nihil; jura sibi omnia asserat.

4. *Insolentia*. Non hoc verbo superbum virum aut fastosum indicat, sed cui et res et homines non quidem omnino ignorantur, sed parum innotuere: a *solere*, ut patet.

5. *Fabius*. Quint. Fabius Maximus. Cf. Cic. de Offic. lib. I, cap. 23.

debis, maxime metues; ubi tranquilla tibi omnia viden-
tur, ibi nocitura non desunt, sed quiescunt; semper
futurum aliquid, quod te offendat, existima. Gubernator 4
nunquam ita totos sinus [1] explicuit securus, ut non ex-
pedita ad contrahendum armamenta disponeret. Illud
ante omnia cogita [2], fœdam esse et exsecrabilem vim no-
cendi, et alienissimam homini, cujus beneficio etiam
sæva mansuescunt. Adspice [3] elephantorum jugo colla 5
submissa, taurorum pueris pariter ac fœminis persul-
tantibus terga impune calcata [4], et repentes inter pocula
sinusque innoxio lapsu dracones [5], et intra domum [6] ur-
sorum leonumque ora placida tractantibus, adulantesque
dominum feras: pudebit cum animalibus permutasse
mores. Nefas est nocere patriæ; ergo civi quoque: nam 6
hic pars patriæ est; sanctæ partes sunt, si universum
venerabile est: ergo et homini [7]; nam hic in majore tibi

1. *Sinus*. Vela quæ ventis flantibus curvantur et sinus faciunt: vox technica in re nautica. Armamenta sunt antennæ et funes nautici.

2. *Illud ante omnia cogita*. Hæc argumenta et mox: *quid si nocere velint manus ped........* ex objurgatione, qua Socrates duos dissidentes fratres conciliare studet, desumpta esse videntur. Cf. Xenoph. Memor. II, 3, 18. Gat. ad Anton. p. 264, 12.

3. *Adspice*. Qui plura legere de his cupiat, is adeat Meierottonem (*Sitten und Lebensart der Rœmer*, II, 190—195); post Nostrum, Epistol. LXXXV; item Martial. lib. I, Ep. CV; lib. V, Epigr. XXXII, etc.

4. *Taurorum..... calcata*. Exhibebantur hæc aliaque id genus in spectaculis publicis, quæ modo Imperatores ad ostendendam magnificentiam, interdum proceres, Imperatorum tempore, dum captabant aucupabanturque nescio quam famam, edebant.

5. *Repentes......... dracones*. Inter mensas et pocula angues sæpe, non venenosi quidem eos generis, amaverunt Romani ambulare. Immo fœminæ collo angues istos alligabant, torquium loco, ut amabile frigus sibi et humorem circumdarent; quod in calidissimis regionibus, in Italia inprimis, placuisse haud mirum est. Ad hunc usum respiciens Martialis, libr. VII, Epigram. LXXXVII, ait: « Si gelidum collo nectat Glacilla draconem. »

6. *Intra domum*. Cur hic *intra damnum* legendum sit, non intelligo cum Gronovio, quum præcedebat: *impune..... et placida: pueris et fœminis..... tractantibus ora placid.* Nonne idem dixisse Noster putandus esset? Cf. Ep. LXXXV.

7. *Ergo et homini*. Nefas est no-

urbe civis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi?
7 Ut omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cœtum geniti sumus [1]; salva autem esse societas nisi amore et custodia partium non potest. Ne viperas quidem et natrices [2], et si qua morsu aut ictu nocent, effligeremus, si ut reliqua mansuefacere possemus,
8 aut efficere, ne nobis aliisve periculo essent. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccavit, sed ne peccet: nec unquam ad præteritum, sed ad futurum pœna refertur; non enim irascitur, sed cavet. Nam si puniendus est, cuicumque pravum maleficumque ingenium est, pœna neminem excipiet.

1 XXXII. « At enim ira habet aliquam voluptatem, et » dulce est dolorem reddere. » Minime; non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita injurias [3] injuriis: illic, vinci turpe est; hic, vincere.
2 Inhumanum verbum est, ut quidem pro justo receptum,

cere, nam hic mundanus est, qualem Socrates se esse dixit. Cic. Tusc. Dispp. V, 37. Ad communitatem spectat, qua, ut Stoici docebant, Dii hominesque cives ejusdem civitatis sunt. Cf. Arium Didymum ap. Euseb. Præp. Evang. XV, cap. 15: ὅτι ὁ κόσμος οἱονεὶ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν καὶ ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν τὴν ἡγεμονίαν ἐχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων. Lipsio Physiol. Stoic. II, 7, hunc locum debeo.

1. *Quia ad cœtum geniti sumus.* Eadem sententia occurrit de Clement. lib. I, cap 3, 2.

2. *Natrices.* Id est nomen aquatili serpenti datum cujus subtilissimum virus. Forsan a *natando*, quasi diceretur *vipera natatrix.*

XXXII. Arg. Negat iram habere aliquam voluptatem. Contra Platonem et Aristotelem disputat: ambo autem hoc testimonio homerico, Il. Σ, vs. 107, sqq. usi sunt ad firmandum hunc locum: ille in Philebo, tom. IV, p. 283. Opp. Bip. hic Rhetoricæ, I, 11, p. 121, Tom. IV. Opp. Bip.

3. *Ita injurias.* Jam Pindarus hanc sententiam de animo erga inimicos benevolo in loco præclaro extulerat Pyth. IX, 169, Tom. II. Beck. pag. 208; et Plato præcepit: neminem læsum injurias reponere debere (in Criton. p. 113, 114, Tom. I, Bip.) οὔτε ἄρα ἀνταδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐδ' ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ' αὐτῶν. Plutarch., de capienda ex hostibus Utilitate, p. 281, tom. 7, ed. Hutten. Cf. et Gatak. ad Antonin. VI, 6, pag. 220, sq.

Ultio; et talio non multum differt [1], nisi ordine [2]: qui
dolorem regerit, tantum excusatius peccat. M. Catonem
in balneo ignorans [3] quidam percussit imprudens; quis
enim illi sciens faceret injuriam? Postea satisfacienti
Cato: « Non memini, inquit, percussum me. » Melius
putavit, non agnoscere, quam vindicare [4]. Nihil, inquis, 3
post tantam petulantiam mali factum est? Immo multum
boni; cœpit Catonem nosse. Magni animi est injurias
despicere; ultionis contumeliosissimum genus est, non
esse visum dignum, ex quo peteretur ultio [5]. Multi leves 4
injurias altius sibi demisere [6], dum vindicant; ille magnus
et nobilis est, qui, more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus exaudit. « Minus [7], inquit, contem-
» nemur, si vindicaverimus injuriam. » Si tanquam ad
remedium venimus, sine ira veniamus; non quasi dulce

1. *Differt*. Ab injuria nempe, non ab ultione. Ultio enim et talio quodam sensu unum et idem esse dici possunt; quanquam ea est differentia, aliud nihil esse talionem quam ultionis genus quoddam, ita ut omnis talio ultio sit, at non omnis ultio, talio.

2. *Et talio non multum differt nisi ordine*, libri omnes præstant. Gronov. *Ultio, et a vi non multum differt*. Sed lectio, quam recepi, bonum sensum promit. *Ultio* est vox generalior, *talio* ad injurias reponendas proprie spectat. *Ut quidem*, i. e. quanquam. Uncis includi jussi τὰ *ut quidem..... receptum*, Gronovio suadente, in cæteris dicto ei non audiens. Antea: *Ultio et a contumelia non differt*, pravo sensu.

3. *In balneo ignorans* præstant omnes libri. Sensus: Neque novit Catonem, neque sponte sua M. Catonem percussit. Antea: *in balneo quidam percussit imprudens*, ejecto τῷ *ignorans*. Duritiem tamen sentio, et abesset illa vellem: Lipsio pariter displicuit, qui proinde fuisse hic contendit, *in ore*.

4. *Vindicare*. Omnes libri et scripti agnoscunt: Muretus autem immutavit: *ignoscere*.

5. *Ultionis contumeliosissimum.... ultio*. Nihil hic dubitationis inest, et hoc intime sentit quisquis haud angustum humilemque animum gerit. Quam enim generositatem vocamus, hæc est altæ mentis conscientia, quæ lædente sese majorem putat, ita ut levissima sit læsio, neque digna de qua pœnæ reposcantur.

6. *Altius sibi demisere*. Hoc est, intimis animis eum dolorem insculpsere, qui summa cordis levissime offenderat; vel quæ parum famæ nocuerat, contumeliam gravem fecere...

7. *Minus*, etc. Cf. supr. cap. 11, ubi hæc jam tractavit.

sit vindicari, sed quasi utile: sæpe autem satius fuit dissimulare [1], quam ulcisci.

1 XXXIII. Potentiorum injuriæ hilari vultu, non patienter tantum ferendæ sunt; facient iterum, si se fecisse crediderint. Hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos læserunt, et oderunt [2]. Notissima vox
2 est ejus [3], qui in cultu regum consenuerat. Quum illum quidam interrogaret: Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? « Injurias, inquit, acci- » piendo, et gratias agendo. » Sæpe adeo injuriam vin-
3 dicari non expedit, ut ne fateri quidem expediat. C. Cæsar Pastoris splendidi equitis romani filium quum in custodia habuisset, munditiis [4] ejus et cultioribus capillis offensus, rogante patre, ut salutem sibi filii concederet, quasi de supplicio ejus admonitus, duci protinus jussit. Ne tamen omnia inhumane faceret adversum patrem, ad cœnam [5] illum invitavit eo die; venit Pastor, nihil vultu expro-
4 brante. Propinavit illi Cæsar heminam [6], et posuit illi custodem; perduravit miser, non aliter quam si filii sanguinem biberet. Unguentum et coronas [7] misit, et obser-

1. *Dissimulare.* Non ultionis cupidine speciem circumdare tranquillæ et sedatæ mentis, et oblivionem injuriæ simulare, mox vindicaturus; sed injuriæ nescium se fingere.

XXXIII. Arg. Iram dissimulare sæpe utile est.

2. *Quos læserunt et oderunt.* Idem fere et iisdem verbis Tacitus, Agricolæ cap. 42: « Proprium humani ingenii est odisse quem læseris. » Verius Seneca, quia strictius, neque omnes istius vitii incusat, quod non omnium est. Cæterum nota id superbiæ genus non malis viris solum inesse, sed et optimis aliquando. Eam nempe injuriam obliviscuntur quam passi sunt, quam intulerunt, minime; neque iis tacite irascuntur quorum causa doluere, sed ob quos erubescendi necessitas est.

3. *Ejus.* Cujus aut ubi, ignoro cum Lipsio: nam de Aristippo (Diog. Laert. II, 67, 78, cum nott. Menag.) non cogitaverim. *Un parfait Courtisan doit être sans honneur, et sans humeur,* aiebat vir apud nos famosus.

4. *Munditiis.* Pulchros omnes et comatos oderat. Sueton. Calig. c. 35.

5. *Ad cœnam.* Cf. Sueton. cap. 27, de crudelitate Caligulæ.

6. *Heminam;* Vas 9 uncias vini seu dimidium sextarium capiens.

7. *Unguentum et coronas.* Hæc

vare jussit an sumeret; sumpsit. Eo die, quo filium ex-
tulerat[1], immo quo non extulerat, jacebat conviva cen-
tesimus, et potiones vix honestas natalibus liberorum,
podagricus senex hauriebat; quum interim non lacrimas
emisit, non dolorem aliquo signo erumpere passus est:
cœnavit, tanquam pro filio exorasset. Quæris, quare?
habebat alterum[2]. Quid ille Priamus[3]? non dissimulavit 5
iram, et regis genua complexus est? funestam perfusam-
que cruore filii manum[4] ad os suum retulit, et cœnavit;
sed tamen sine unguento, sine coronis: et illum hostis
sævissimus multis solatiis, ut cibum caperet, hortatus
est, non ut pocula ingentia, super caput posito custode,
siccaret. Contempsisset trojanum patrem[5], si sibi timuis- 6

apud mensas lautiores aut in opiparis conviviis tantum usurpabantur. Horatius, lib. II, Od 3, stroph. 4: « Huc vina et *unguenta* et nimium breves *Flores* amœnæ ferre jube *rosæ*. » Et Martialis, lib. X, Epigram. XIX, vss. 1, et 20: « Hæc hora est tua, quum furit Lyæus, Quum regnat rosa, quum madent capilli. »

1. *Extulerat.* Vox propria in exsequiis: extulerat nempe ad rogum et tumulum.

2. *Alterum.* Alterum sc. filium, quem servare voluit.

3. *Quid ille Priamus?* Ex Homero, Il. Ω, notissima hæc. Hectore autem ab Achille interfecto, Priamus rex Trojæ Achillem adiit, filium redempturus: cui hic perquam benignum se præstitit.

4. *Manum.* Scilicet Achillis; moneo ne de manu filii cogites. Sunt hæc expressa ex Il. Ω, vss. 477, 478: Ἄγχι δ' ἄρα στὰς Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πόλεας κτάνον υἷας: Mox, vs. 601: Νῦν δὲ μνησώμεθα δόρπου.

5. *Contempsisset trojanum patrem.* Omnes libri *romanum patrem*; unde Muretus fecit: *pastorem*. Lipsius: *contempsisset et romanus pater*. Sed sensus et nexus huic lectioni male congruunt. Facile enim est ad intelligendum, hic neque de Pastore, neque de Caligula sermonem esse. Pastor enim procul dubio sibi timuit; iram non ostendit, ut quæ repressa est timore, ne ipse et filius interficerentur: nec Caligulæ iram pietas compescuit, qui Pastorem lacessivisse mox dicitur. Itaque *romanum patrem* hic stare non posse putem. Refero potius ad Priamum, qui sibi non timuit, et ad Achillem, cujus iràm pietas, quam senex Priamus sapienter in Pelidæ animo excitaverat, compescuit. Proinde dignus fuit Priamus, etc. Quæ omnia egregie conveniunt cum iis, quæ Homerus l. c. cecinit. Ipsa ratio grammatica cogit, ut cogitemus de Achille, cujus mentio proxime antecedit. Legendum itaque censeo *trojanum patrem*, i. e. Priamum, qui post convivium, Hectore suo redempto et accepto, Trojam rediit, ut ossa corpore combusto de

set : nunc iram compescuit pietas : dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere. Ne hoc quidem permisit benignus interim et comis adolescens : propinationibus senem crebris, ut cura leniretur, admovens lacessebat : contra ille se lætum, et oblitum quid eo esset actum die, præstitit. Perierat alter filius, si carnifici conviva non placuisset.

1 XXXIV. Ergo ira abstinendum est, sive par est qui lacessendus est, sive superior, sive inferior. Cum pare contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore, sordidum. Pusilli hominis et miseri est, repetere mordentem; mures et formicæ, qua [1] manum admoveris, ora convertunt : imbecillia se lædi putant, si tanguntur. Faciet nos mitiores, si cogitaverimus, quid aliquando nobis profuerit ille, cui irascimur, et meritis
2 offensa redimetur. Illud quoque occurrat, quantum commendationis nobis allatura sit clementiæ fama, et quam multos venia amicos utiles fecerit. Ne irascamur [2] inimi-
3 corum et hostium liberis. Inter Syllanæ crudelitatis exempla est, quod a republica liberos proscriptorum submovit. Nihil est iniquius quam aliquem hæredem pa-

more legeret. Facilis autem erat hæc mutatio *trojanum* in *romanum*, si scripturam codd. cogites. Mox : *ne hoc quidem permisit* (interpunctione sublata) *benignus interim* (sub convivio), ad Caligulam refero, ironice dictum, ut facile intelligas. *Admovens* est lectio codd. bonum sensum promens : crebro *invitans*. Lipsius conj. *admonens*.

XXXIV. Arg. Itaque ne irascamur, præclaræ causæ afferuntur : primo ille nobis prodesse potest, cui irasceremur; tum fama clementiæ nulli non utilis est; deinceps, si quando desieris tu irasci, et hostis desinet.

1. *Mures...... qua*. Gronov. Lipsio præeunte e codd. restituit.

2. *Ne irascamur*. Etiamsi Lipsio non refrager, contendenti, hic quædam excidisse, tamen in mentem venire potest, Senecam, membris sermonis quibusdam omissis, veniæ et clementiæ exemplum potissimum apponere maluisse. Ne irascaris inferiori, neque iis quibus irasci posses : hi enim aliquando tibi ob hanc veniam grati erunt. Quapropter ne extendas iram et in liberos inimicorum : hoc nexu quoque sequentia cum an-

terni odii [1] fieri. Cogitemus [2], quoties ad ignoscendum 4
difficiles erimus, an expediat omnes nobis inexorabiles
esse. Quam sæpe veniam, qui negavit, petit? quam sæpe
pedibus ejus advolutus est, quem a suis repulit? Quid est
gloriosius, quam iram amicitia mutare? Quos Populus
Romanus fideliores habet socios, quam quos habuit per-
tinacissimos [3] hostes? Quod hodie esset imperium, nisi
salubris providentia victos permiscuisset victoribus?
Irascetur aliquis? tu contra beneficiis provoca. Cadit 5
statim simultas, ab altera parte deserta: nisi pariter,
non pugnant [4]. Si utrinque certabitur, ira concurritur:
ille est melior, qui prior pedem retulit; victus est qui
vicit. Percussit te? recede; referiendo enim, et occa-
sionem sæpius feriendi dabis, et excusationem: non po-
teris revelli, quum voles. Numquid velit quisquam tam
graviter hostem ferire, ut relinquat manum [5] in vulnere,
et se ab ictu revocare non possit? atqui tale ira telum est;
vix retrahitur.

XXXV. Arma nobis expedita prospicimus, gladium 1
commodum et habilem: non vitabimus [6] impetus animi,

tecedentibus optime conjuncta sunt.

1. *Hæredem paterni odii.* Neque enim ulla gens, nisi barbara et cultus et fere legum ignara hoc in usu habuit: quales fuere olim Germaniæ quidam populi, et postea Americæ gentes minus cultæ.

2. *Cogitemus.* Exemplum crudelitatis Syllanæ commemoratur et ap. Sallust. Catilin. cap. 37, Vell. Paterc. lib. II, cap. 28. Plutarch. Syll. cap. 31, § 3: ὃ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνούς.

3. *Pertinacissimos.* De Latinis et Samnitibus cogitasse videtur. Vid. Tac. Ann. XI, 24, de Transpadanis.

4. *Nisi pariter, non pugnant:* bene Gronov. e codd. restituit. Mox reddidi lectionem antiquam: *Si utrinque certabitur, ira concurritur.* Antea: *Si utrinque concurritur.*

5. *Relinquat manum in vulnere.* Ut aculeolum suum apes, cum vita.

XXXV. Arg. Inprimis cures, ut faciem externam et internam iratorum intuearis. Cf. lib. I, cap. 1.

6. *Non vitabimus.* Sicut arma nobis prospicienda sunt expedita ad impetus hostiles arcendos, sic arma apparanda sunt ad impetus animi repellendos. Moneo, ne putes male τὸ *vitabimus* respondere τῷ *prospicimus*, quod proximum est.

his graves magis, furiosos et irrevocabiles? Ea demum velocitas placet, quæ ubi jussa est, vestigium sistit, nec ultra destinata procurrit, et quæ flecti, et a cursu ad
2 gradum reduci potest. Ægros scimus nervos esse, ubi invitis nobis moventur. Senex, aut infirmi corporis est, qui quum ambulare vult, currit[1]. Animi motus eos putemus sanissimos validissimosque, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur. Nihil tamen æque profuerit, quam primum intueri deformitatem rei, deinde pericu-
3 lum. Non est ullius affectus facies turbatior: pulcherrima ora fœdavit, torvos vultus ex tranquillissimis reddidit. Linquit[2] decor omnis iratos[3]: et sive amictus illis compositus est ad legem, trahent vestem, omnemque curam sui effundent; sive capillorum natura vel arte jacentium non informis est habitus, cum animo inhorrescunt: tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit; tunc artus trepidi,
4 inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intus putas esse animum, cujus extra imago tam fœda est? quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus
5 est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? Quales sunt hostium, vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium adspectus; qualia poetæ inferna monstra finxere, succincta serpentibus, et igneo flatu; quales ad bella excitanda, discordiamque in populos dividendam,

1. *Currit.* Male Trillerus, Obss. crit. I, 26, emend. *corruit.* Enimvero agitur de velocitate nimia eaque vitiosa. Repressit ejus cupiditatem J. M. Heusinger. Emendd. p. 231, ut nunc video.

2. *Linquit*...... Totus locus a Gronovio docte constitutus est a codd. *Linquit* tamen tueor: vir magnus dedit: *liquit. Trahere vestem* est luxu et mollitie diffluentium apud Rom. ita et θοιμάτιον ἕλκειν ap. Græcos: res nota. Illustrat tamen Gron. ad hunc locum.

3. *Linquit decor omnis iratos.* Vid. supra lib. I, cap. 1, post med. part. ubi descriptio exstat irati hominis, huic comparanda.

pacemque lacerandam, teterrimæ inferum exeunt[1] Fu-
riæ : talem nobis iram figuremus, flamma lumina ar-
dentia, sibilo mugituque, et gemitu, et stridore, et si qua
his invisior vox est, perstrepentem, tela manu utraque
quatientem ; neque enim illi, tegere se, cura est : tor-
vam, cruentamque, et cicatricosam, et verberibus[2] suis
lividam, incessibus vesanis, offusam multa caligine, in-
cursitantem, vastantem, fugantemque ; et omnium odio
laborantem, sui maxime : si aliter nocere non possit,
terras, maria, cælum ruere cupientem, infestam pariter,
invisamque. Vel, si videtur, sit qualis apud vates 6
nostros est ;

> Sanguineum[3] quatiens dextra Bellona flagellum,
> Aut scissa gaudens vadit Discordia palla ;

aut si qua magis dira facies excogitari diri affectus potest.

XXXVI. Quibusdam, ut ait Sextius[4], iratis profuit 1
adspexisse speculum ; perturbavit illos tanta mutatio sui :
velut in rem præsentem adducti non agnoverunt se ; et
quantulum ex vera deformitate imago illa speculo reper-
cussa reddebat? animus si ostendi, et si in ulla materia
perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater macu-
losusque, æstuans, et distortus, et tumidus. Nunc quo- 2

1 *Inferum exeunt.* Poetice, pro *exeunt ab inferis*. Etenim vehementior nunc stylus audaciorque, ut in poetis, surgit.

2. *Verberibus suis.* Iis nempe verberibus quæ sibi ipsa furens incussit, dum alios aggreditur.

3. *Sanguineum.* Cf. Virg. Æn. VIII, vs. 702 ; ubi tamen versus alio tenore leguntur, sensu haud diverso. Nisi hos versus memoriter a Nostro laudatos ideoque parumper inflexos statuas, ex Ennio fortasse fluxere : dixit enim *vates nostros*. Forte quoque hos versus multi imitati sunt, iisdemque fere verbis eamdem sententiam extulere ; Noster v. alterum versum ex uno, alterum ex altero mutuatus est.

XXXVI. Arg. Speculo utaris, ut ab ira deterreas : tamen potissimum adspicias ea, quæ ira efficere solet, mala et incommoda.

4. *Sextius.* Philosophus Stoicus celeberrimus suæ ætatis : Nostri fortasse coævus. Noster ejus sæpe meminit, ut hominis præstantissimi, et qui a Stoicorum rigore deflexerit parumper : e. c. Epist. LXIV, et Nat.

que tanta deformitas ejus est per ossa carnesque, et tot
impedimenta, effluentis: quid si nudus ostenderetur?
« Speculo equidem neminem deterritum ab ira credis[1]. »
Quid ergo? Qui ad speculum venerat, ut se mutaret,
jam mutaverat[2]. Iratis quidem nulla est formosior effi-
gies, quam atrox et horrida, qualesque esse, etiam vi-
3 deri nolunt. Magis illud videndum est, quam multis ira
per se nocuerit. Alii nimio fervore rupere venas, et san-
guinem supra vires elatus clamor egessit, et luminum
suffudit aciem in oculos vehementius humor egestus, et
in morbos ægri recidere; nulla celerior ad insaniam via
est. Multi itaque continuaverunt iræ furorem; nec quam
4 expulerant mentem, unquam receperunt. Ajacem[3] in
mortem egit furor, in furorem ira. Mortem liberis,
egestatem sibi, ruinam domui imprecantur, et irasci se
negant, non minus quam insanire, furiosi. Amicissimis
hostes, vitandique carissimis: legum, nisi qua nocent,
immemores, ad minima mobiles, non sermone, non of-
ficio, aditu[4] faciles. Omnia per vim gerunt, gladiis et
5 pugnare parati, et incumbere. Maximum enim malum
illos cepit, et omnia exsuperans vitia. Alia paulatim in-
trant; repentina et universa vis hujus est; omnes deni-
que alios affectus sibi subjicit; amorem ardentissimum
vincit[5]. Transfoderunt itaque amata corpora, et in eorum

Quæst. lib. VII, cap. ult. item Plutarch. tom. 7. Hutten. p. 248. Cf. Fabric. Biblioth. Græc. Vol. III, p. 575.

1. *Credis*. E libris restitui: et suadent sequentia: *Quid ergo?*

2. *Mutaverat*. Hoc est, *se mutaverat, mutatus erat*. Activum pro passivo et reflexivo, ut sæpissime in gallica lingua: rarius quidem hoc apud Latinos quam apud nos advertere est; aliquando tamen invenies, iis potissimum in verbis quæ motum indicant, ut *vertere* pro *verti*, *mutare* pro *mutari*, etc.

3. *Ajacem*. Telamonis filium, vel ex Ovid. Metam. XIII, init. notum ei, cui Sophoclis Αἴας μαστιγοφόρος in deliciis esse non potuit.

4. *Aditu*. Sub. *non*. Juncta quippe illa vox est τῷ *officio*, quasi dixisset *officio aditūque*.

5. *Amorem ardentissimum vincit*.

quos occiderant, jacuere complexibus. Avaritiam durissimum malum, minimumque flexibile ira calcavit; adacta opes suas spargere, et domui, rebusque in unum collatis injicere ignem. Quid? non ambitiosus magno æstimata projecit insignia, honoremque delatum repulit? nullus affectus est, in quem non ira dominetur. 6

Vincit quidem aliquando, et nunquam ab amore ipsa vincitur? Dein, num vere vincit? Comprimit, sed non domat. Qui amatorum pectus ense transfoderunt, mox eorum in complexibus jacuere, num ii amorem suum vicerunt? Amorem furor supergressus est, mox furorem amor. — Quod Noster hic absolute dicit, Virgilius vivide his versibus adumbravit, quum Didonem *vario irarum æstu fluctuantem* inducit, Æneid. IV, 604: « Quem metui moritura? Faces in castra tulissem, Implessemque foros flammis, natumque patremque Cum genere exstinxem; memet super ipsa dedissem. » Et putant quidam illum hic alludere ad fabulam Althææ, quæ quum, ira abripiente, fatalem Meleagri torrem in ignes injecisset, mox consumpti filii desiderio, maternoque amore (qui et *ardentissimus* est) furens, animam projecit. Sic Hermione in celeberrima illa fabula, cui *Racine*, unicus Gallicæ poeseos vere Virgilius, titulum inscripsit *Andromaque*, amati regis necem imperat, mox super exanimem se injicit, et gladio pectus transfodit. Ed.

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA

AD NOVATUM

LIBER III.

ARGUMENTUM LIBRI TERTII.

Pars secunda remediorum iræ hoc libro continetur (cf. II, 18) : versatur in præceptis, ne in ira peccemus, id est, ut iram refrænemus et cohibeamus. Quare discriminibus nonnullis inter iram aliosque affectus observatis illius fœditatem majorem monstrat atque affectus tetros, repetitis quæ jam antea ad Peripateticos, fortitudinis cotem iram esse pronuntiantes, opposuerat, cap. I—IV. Sequitur ordo tractandorum : primum de ira vitanda, deinde quemadmodum ab ira liberemur, tandem quomodo alium irascentem sistamus placemusque Prima pars pertinet, ut videtur, ad cap. XII, 2 : auctori enim non placuit transitum ad secundam partem accurate designare. Ira contenditur cum aliis affectibus ac vitiis : mala conditione ejus, qui iræ se tradiderit, adumbrata, ortus iræ ab infirmitate, contemptus injuriarum a magnitudine animi derivatur. Monemur itaque, ne in πολυπραγμοσύνης vitium incidamus, ne difficilium et morosorum, sed mitium ac proborum hominum consuetudine utamur, V–VIII, nec remissiore animo negotia tractemus, sed remediis, quæ faciant, ne in iram incidamus, adhibitis, offensorem apud nos excusemus, et affectui moram injiciamus, XII, 2. A cap. XII, 2, secunda pars infit, quæ pertinet ad cap. XXXVIII. Mora interposita ira opprimetur : quod exemplis ad iram defugiendam et ad mansuetudinem exercendam apposite allatis illustratur : Platonis, XII. Socratis, XIII, quibus opponuntur Cambysis, XIV, XV; Darii, XVI. Xerxis XVII : Romanorum, L. Syllæ, Caligulæ XVIII ad XXII, 2. Exempla lenitatis præstant Antigonus, Philippus Alexandri M. pater, Augustus, XXIV. Necesse igitur est, ut offensus excuses inimicum, tuorum ipsius vitiorum, quæ quidem in omnes homines cadunt, non immemor : nobilius est, iram vincere, quam ea abripi et duci ; sæpe quoque injuriæ non sine honesta ac gravi excusatione fiunt : ad XXIX. Sequuntur inde aliæ exhortationes ad iram reprimendam : tolle suspicionem, importunitatem, invidiam, exspectationes nimias, etc. quotidie in te inquiras, brevi, omnes irascendi occasiones evita : ad XXXVIII. A cap. XXXIX—XLI ad tertiam partem (cf. c. V) accedit, quomodo alium irascentem sistamus ac placemus. Non oratione utamur dehortatoria : dabimus illi spatium ; simulabimus itaque iram, tacite iræ instrumentis ab irato remotis ; deinde vel metu, vel sermonis lenocinio eum detinebimus, fallemus. Augusti exemplum (cap. XL). Concludit describendis iræ effectibus tristissimis, et adhortatione, ut cogitatione mortalitatis et vitæ brevis animum nostrum mitigemus, ideoque paci atque mansuetudini studeamus.

Libri hi de ira in partibus pulchri et eminentes sunt, in toto parum distincti, et repetitionibus aut digestione confusi, ex sententia Lipsii. Copiam rerum in iis satis amplam ac præclaram deprehendas, nec tum in natura indoleque hujus affectus exponenda atque in describendis ejus effectibus, tum in remediis contra iram adhibendis, quid magnopere desideres, habebis :

ut recte vel his libris Quintiliani judicium firmetur, ingenio nostrum egregio atque amœno viguisse. Enimvero in altero etiam summi critici judicio de nostro acquiescendum est. Velles sæpe alieno judicio Senecam scripsisse: ut quem identidem, labore accurate et sedulo de re proposita cogitandi, in cogitata sua severe inquirendi, eaque diligenter et cum cura seligendi atque ordinandi prætermisso, magis vivido phantasiæ impetu abripi videmus, quam recto atque emendato duci judicio.

Longum est, fontes, quibus usus sit, enumerare. Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Hieronymi, al. libros morales ab eo lectos esse, ipse multis locis ostendit, utpote quorum decreta pluries impugnat. Sedes disputationis de ira præcipua fuit haud dubie in loco de virtutibus, de quibus diversas sententias sequuti sunt et Peripatetici et Stoici: quapropter optimus quisque ex iis libros composuit περὶ ἀρετῶν, ut Theophrastus (Fabric. Bibl. Græc. vol. III, pag. 446, Harl.) Chrysippus (ib. p. 548) Cleanthes (ib. p. 551) aliique. Fuere etiam, qui singulares de ira libros componerent ante Senecam nunc deperditos. Quædam eorum fragmenta observata legimus apud Stobæum in Florileg. tit. XIV (p. 324, Schow.) Sopionis περὶ ὀργῆς, et Sotionis, cujus magisterio Seneca, epist. XLIX, se usum esse puerum scribit, περὶ ὀργῆς, tit. XX (p. 381, Schow.) ubi secundus ejus liber memoratur. Post Senecam liber Plutarchi (Opp. vol. IX, p. 422, sqq. Hutten.) περὶ ἀοργησίας, de cohibenda ira, dignus est qui legatur et contendatur. Quem nisi sciremus literarum romanarum nonnisi mediocriter peritum fuisse, esset quod miraremur, cur de his libris Senecæ, quem tamen p. 446 commemoravit, nullam mentionem injecerit.

Si Lipsii judicio de tempore, quo libri hi scripti sint, subscribi posset, unus saltem liber Senecæ exstaret, quem Caligula regnante compositum esse certo affirmaremus. Nam qui præter hunc restant, eorum nullum ab eo visum esse mihi constat. Lipsius quidem in Argumento his libris præmisso suspicatur e lib. III, 18, 3; coll. cap. 19, et ipso Caligula vivo scriptos esse et inter Philosophiæ primos libros Senecæ esse numerandos. Sed enim si quis loca, in quibus Caligulæ mentio fit, sedulo contenderit., I, 16, 29; II, 33; III, 18, 19; III, 22, 1; vereor ut Lipsio assensurus sit. In omnibus quidem istis locis de Caio modo enstincto sermo esse videtur. Quocirca sub Claudii initiis saltem compositos esse hos libros putaverim. Quæ si probantur, nec illud stare potest judicium, fuisse eos inter primos Philosophiæ libros, quandoquidem Caligula jam regnante Senecam maxime placuisse, tradit Sueton. Caligul. c. 53, quocum conferri merentur Tacitus, Annal. XII, 8; et Dio Cass. LIX, 19.

L. ANNÆI SENECÆ

DE IRA

LIBER TERTIUS.

Cap. I. Quod maxime desiderasti, Novate, nunc facere 1
tentabimus, iram excidere animis, aut certe refrænare, et impetus ejus inhibere. Id aliquando palam aperteque faciendum est, ubi minor vis mali patitur; aliquando ex occulto, ubi nimium ardet, omnique impedimento exasperatur et crescit. Refert, quantas vires, quamque integras habeat; utrumne verberanda [1] et agenda retro sit,

I. Arg. Ira animis excidenda aut certe refrænanda, ejusque impetus inhibendus est. Docet autem, hoc non uno eodemque modo fieri debere, sed pro moribus cujusque consilium capiendum esse; objurgatione e. c. meticulosos, generosos ac probos confessione atque pudore, etc. ab ira cohibendos: moram vero seu dilationem novissime adhibendam. Hæc prima capita (1—4) introductionis sunt loco in disquisitionem, quam lib. II, c. 18 proposuerat, monstraturus, quomodo ira sit refrænanda. Procedit itaque oratio ad discrimen iræ a cæteris affectibus demonstrandum: qua in re repetitiones quasdam occurrere facile intelligas. Est enim hoc in vitiis Senecæ, ut, brevitate identidem obscura quæsita, prolixitatem aliis locis, adeoque in iis, quæ brevia esse videntur, consectetur. At vero hoc ab eo dicendi genere, quod Noster prætulit, incisis et antithesibus abundante, haud facile segregandum est. Quanquam cum Lipsio confitendum est, orationem hoc loco esse altiloquam, numerosam, sonantem, et imaginibus exemplisque ad iræ ferociam efferendam adhibitis egregie distinctam. Cæterum et hic Nostrum contra Aristotelem pugnare, qui hunc affectum excusaverat, breviter monemus.

1. *Refert.... utrumne verberanda.* Lectio hæc bene se habet: neque admittenda est J. M. Heusingeri emendatio (Emendd. pag. 232), *utrum reverberanda*. Occurrit quidem τὸ *reverberare* apud Nostrum, exempli causa, Clement. lib. II, c. 5, ubi de sapiente: « omnem fortunæ iram re-

an cedere ei debeamus, dum tempestas prima desævit, ne remedia ipsa secum ferat. Consilium pro moribus cujusque capiendum erit. Quosdam enim preces vincunt: quidam insultant, instantque submissis [1]. Quosdam terrendo placabimus; alios objurgatio, alios confessio, alios pudor cœpto dejecit [2]; alios mora, lentum præcipitis mali remedium, ad quod novissime descendendum est.
2 Cæteri enim affectus dilationem recipiunt, et curari tardius possunt; hujus incitata, et seipsam rapiens violentia, non paullatim procedit, sed dum incipit, tota est. Nec aliorum more vitiorum sollicitat animos, sed abducit, et impotentes sui cupidosque vel communis mali [3] exagitat; nec in ea tantum, in quæ destinavit, sed in occurrentia
3 obiter furit. Cætera vitia impellunt animos; ira præcipitat. Cæteris [4] etiamsi resistere contra affectus suos non licet, at certe affectibus ipsis licet stare; hæc non secus quam fulmina procellæque, et si qua alia irrevocabilia sunt, quia non eunt [5], sed cadunt, vim suam magis ac magis tendit. Alia vitia a ratione, hæc a sanitate [6] de-

verberabit;» item Valerius Flacc. libro I, vs. 516: «nostros jam zona reverberat ignes;» alib. sed *verberanda* satis bonum promit sen sum; et *utrumne* et *utrum* aliquando et apud quosdam promiscue ponitur, etsi *utrum* solemnius est.

1. *Quosdam enim...... submissis.* Hoc est, hos vincunt preces et exarmant; hos furore novo incendunt et exstimulant.

2. *Cœpto dejecit.* A cœpta vindicta deterret. *Dejecit* hic positum est pro *dejicere solet;* ut Græcorum tempus ἀόριστον.

3. *Vel communis mali.* Quod in lædentem et læsum veniat. Expresserat hoc jam lib. I, cap. 1: «Ultionis secum ultorem tracturæ avidus.»

4. *Cæteris.* Id est, etiamsi non licet affectibus cæterorum vitiorum resistere, ipsis tamen affectibus quies quædam datur.

5. *Eunt.* At hoc vitium fulminum modo cadit subito, ideoque vim suam...... extendit. Idem expressit mox: *in iram dejectus..... est.*

6. *A sanitate.* Ira adeo morbos hominibus comparat. Non solum animo, sed etiam corpori obest. Jam attigerat lib. II, cap. 36. Cave, ne de naturali hominis conditione intelligas, utpote quem omnes affectus migrant. Lipsius confert Cic. Tusc. Dispp. IV, 24, prava lectione deceptus: invenit autem ibi: *morbi et morbosos*, ubi sanior lectio est: *moribus et morosos.*

sciscit; alia accessus lenes habent, et incrementa fallen- 4
tia [1]; in iram dejectus animorum est. Nulla itaque res
urget magis attonita [2], et in vires suas prona, et, sive suc-
cessit, superba, sive frustratur, insana; ne repulsa quidem
in tædium acta, ubi adversarium fortuna subduxit, in
seipsam morsus suos vertit; nec refert, quantum sit ex
quo surrexit [3]; ex levissimis enim in maxima evadit.

II. Nullam transit ætatem; nullum hominum genus 1
excipit. Quædam gentes beneficio egestatis non novere
luxuriam; quædam, quia exercitæ [4] et vagæ sunt, effu-
gere pigritiam; quibus incultus mos, agrestis vita est,
circumscriptio ignota est [5], et fraus, et quodcunque in
foro malum nascitur. Nulla gens est, quam non ira in- 2
stiget, tam inter Graios quam barbaros potens; non
minus perniciosa leges metuentibus [6], quam quibus jura
distinguit modus virium. Denique cætera [7] singulos cor-

1. *Fallentia*. Hoc est, quos facile nullus adspiciat. *Fallere* sæpe idem est quod *latere*, *fugere*, *præterire*; et idem et unum quatuor ista sunt: *me fugit*, *me fallit*, *me præterit*, *me latet*. Maxime perspicuæ hæ formulæ loquendi sunt in indicativo et quum id adest quod *regimen* vocant; ubi autem regimen subauditur, ut hoc in loco, obscuritatis nonnihil est.

2. *Attonita*. Tonitru velut afflata et percussa; quod ubi accidit nec percussum animal interiit, stupidum videtur, et quasi sui nescium, impos; neque sensum et intellectum, nisi multo post tempore, recipit.

3. *Quantum sit ex quo surrexit*. Hæc est antiqua lectio, etiam ab Erasmo præstita; i. e. Nata est et in conspectum venit. Diversæ lectiones *resurrexit*, et quod inde Lipsius fecit, *ex quove surrexerit*. Indicativus tamen ferri potest: certum enim est, iram surrexisse, sed parum liquet materiæ magnitudo.

II. Arg. Pergit in discrimine iræ ab aliis affectibus docendo. Omnes homines gentesve iræ subjectos esse, quos tamen a cæteris quibusdam vitiis liberos fuisse constat.

4. *Exercitæ*. Id est, occupatæ in victu quotidiano sibi comparando. Scythas hic intelligit Lipsius. Aliæ gentes litigationibus carent omnibusque vitiis, quæ a foro sejungi non possunt.

5. *Circumscriptio ignota est*. Horat. lib. III, Od. 24: « Campestres melius Scythæ Quorum plaustra vagas rite trahunt domos, Vivunt, et rigidi Getæ; Immetata quibus jugera liberas Fruges et Cererem ferunt. »

6. *Leges metuentibus*. H. l. populi exculti (*civilisés*) iis opponuntur, qui jure fortioris utuntur.

7. *Cætera*. Id est, vitia, affectus.

ripiunt; hic unus affectus est, qui interdum publice con-
3 cipitur. Nunquam universus populus fœminæ amore fla-
gravit, nec in pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam
misit; ambitio viritim singulos occupat; impotentia [1] non
est malum publicum : sæpe in iram uno agmine [2] itum
est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusque
consensere, et tota multitudo paucissimis verbis conci-
4 tata, ipsum concitatorem antecessit [3]. Ad arma [4] protinus
ignesque discursum est, et indicta finitimis bella, aut
gesta cum civibus. Totæ cum stirpe omni crematæ do-
mus; et modo eloquio favorabilis, habitus in multo ho-
nore [5], iram suæ concionis excepit; in imperatorem suum
legiones pila torserunt. Dissedit plebs tota cum patribus;
publicum consilium, senatus, non exspectatis dilectibus,
nec nominato imperatore, subitos iræ suæ duces legit,
ac per tecta urbis nobiles consectatus viros supplicium
5 manu sumpsit [6]. Violavit [7] legationes, rupto jure gentium,

1. *Impotentia*. Cupido indomita dominandi. Sic *impotens* est, superbus, ferox, sui impos.

2. *Uno agmine*. Hoc est, sæpissime plebs universa conglobatim in iras effusa est, et furorum adspecta fuit consociatio. Porro nota τὸ *agmine* scripsisse auctorem ob τὸ mox sequens *itum est*.

3. *Concitatorem antecessit*. Illo longius progressa est qui concitavit. Qui enim populum regit et trahit in res novas præcipitem, ipse nescit ubi gradum sistet. Facile est a leone capistrum removere; sed libero capistrum rursus admovere, difficillimum.

4. *Ad arma*, etc. Longum est, exempla addere, quibus quemcunque historia et græca et romana satis nota instruet. Cui enim rex Roma exactus, seditiones tribuniciæ, Gracchi Drususque, et bella civilia ignota sunt? Evolvas modo Valer. Maximum et Ælianum, qui tibi exemplorum satis suppeditabunt.

5. *Et modo eloquio favorabilis, habitus in multo honore*..... Sic distinxi, sensu poscente, post *favorabilis;* sublato inciso post *habitus*. Sensus est : Qui modo oratione sua populo placuit, populi favorem sibi conciliavit, concionem hanc sibi iratam videt. Hanc distinctionem suasit et J. M. Heusinger. lib. I.

6. *Supplicium manu sumpsit*. Id est, vi exegit (Valer. Max. IX, 17); aberratio librarr. *manu suppressit*: nec necessaria Lipsii emendatio : *manu sua præcessit*.

7. *Violavit*, etc. Fortasse de Volscis, Tarentinis, Carthaginiensibus, etc. cogitavit, qui legationes violaverunt; vel de ipsis Romanis, quam-

rabiesque infanda civitatem tulit[1]: nec datum tempus, quo resideret tumor publicus; sed deductæ protinus classes, et oneratæ[2] tumultuario milite[3]. Sine more[4], sine auspiciis[5], populus, ductu iræ suæ[6] egressus, fortuita raptaque pro armis gessit; deinde magna clade temeritatem audacis iræ luit.

III. Hic barbaris forte[7] ruentibus in bella exitus est. 1
Quum mobiles animos species injuriæ perculit, aguntur statim; et qua dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua; gaudent feriri, et instare ferro, et tela[8] corpore urgere, et per suum vulnus exire. « Non est, 2
» inquis, dubium, quin magna ista et pestifera sit vis : » ideo quemadmodum sanari debeat, monstra. » Atqui, ut in prioribus libris dixi, stat Aristoteles defensor iræ, et vetat illam nobis exsecari. Calcar ait esse virtutis; hac erepta, inermem animum et ad conatus ma-

quam id sceleris rarissime illi admiserunt.

1. *Rabiesque ..... tulit.* Secum rapuit, abduxit.

2. *Oneratæ.* Id est, exarmatæ. *Onerare*, proprie est complere, πληροῦν, diciturque de classe, remigibus et sociis navalibus instruenda.

3. *Tumultuario milite.* Id est, in hoc tumultu (*tumultus* vocabatur quum in discrimen summum res publica adducebatur, ut post Alliam, Cannas, etc.) delecti : moneo, ne de militibus violenter iisque nolentibus abductis cogites; nam omnes ira invasit, ideoque sua sponte militatum abiere.

4. *Sine more.* Id est, incompositi, Virg. Æn. V, 695, VIII, 635; ne de sacrificiis cogites.

5. *Sine auspiciis.* Auspicia plerumque ante pugnam instituta esse, notum est. Fortasse de clade ad Alliam cogitavit Noster (Liv. V, 38).

6. *Ductu iræ suæ. Ductu iræ suoque* mera aberratio librarii, quam Lipsius in codice suo invenit et ut pulchram prædicavit : ducibus, ait, ira et seipso usus. Quid pulchri insit, equidem non intelligo : quin adversatur Nostro, qui populum affirmat tantummodo ira sua esse ductum. Quid igitur significaret τὸ *se ipso*?

III. Arg. Causas affert, cur opus sit, ut magnam ac pestiferam vim iræ doceat. Aristoteles enim, qui defensorem iræ se præstitit, redarguendus est hac demonstratione.

7. *Forte.* Id est, temere.

8. *Tela.* Id est, hastas in se protentas corpore suo protrudere, et per ipsam hastam, quæ vulnus fecit, et quam obnixus adversarius tenet, in hostem irruere, aprorum more.

3 gnos pigrum, inertemque fieri. Necessarium est itaque
fœditatem ejus ac feritatem coarguere, et ante oculos
ponere, quantum monstri [1] sit homo in hominem furens,
quantoque impetu ruat, non sine pernicie sua pernicio-
sus, et ea deprimens, quæ mergi nisi cum mergente
4 non possunt. Quid ergo? sanum hunc aliquis vocat, qui
velut tempestate [2] correptus, non it, sed agitur, et fu-
renti malo servit [3]? nec mandat ultionem suam, sed
ipse ejus exactor, animo simul ac manu sævit, carissi-
morum, eorumque quæ mox amissa fleturus est, carni-
fex? Hunc aliquis affectum virtuti adjutorem comitemque
dat, consilia, sine quibus virtus gerit nihil, obturban-
tem? Caducæ sinistræque sunt vires, et in malum suum
5 validæ, in quas ægrum morbus et accessio erexit [4]. Non
est ergo, quod me putes tempus in supervacuis consu-
mere, quod iram, quasi dubiæ apud homines opinionis
sit, infamem: quum aliquis [5] sit, et quidem de illustri-
bus philosophis, qui illi indicat operas, et tanquam uti-
lem ac spiritus subministrantem in prælia, in actus
rerum, ad omne quodcunque calore aliquo gerendum
6 est, vocet. Ne quem [6] fallat, tanquam aliquo tempore,
aliquo loco profutura, ostendenda est rabies ejus effræ-
nata et attonita; apparatusque illi reddendus est suus,

1. *Quantum monstri:* Pro *quale monstrum.* Monstrum autem hoc loco non est *prodigium*, *miraculum*, sed res rerum naturæ contraria.

2. *Tempestate.* Vento vehementiore et procella, quæ aliquando hominem a terra rapit, invitumque agit, sæpissime impingit et præcipitat.

3. *Servit.* Quem enim vir iratus dominationem sese credit exercere, revera perpetitur; nec imperat magis quam imperatur ab affectibus.

4. *Caducæ...... erexit.* Cf. II, 35. Ægros scimus nervos esse, etc...... *Accessio*, i. e. impetus febrilis.

5. *Quum aliquis.* Id est, Aristoteles, qui indicit operas, i. e. pensum, officium, partes iræ imperat, imponit. Solemne τὸ *indicere* in tali re esse, docet *Ernesti* ad Sueton. Calig. cap. 39.

6. *Ne quem*, etc. Machinæ afferuntur, quibus lubens utitur ira, si earum potestas et copia fit.

equulei [1], et fidiculæ [2], et ergastula [3], et cruces, et circumdati defossis corporibus [4] ignes, et cadavera quoque trahens uncus [5], varia vinculorum genera, varia pœnarum, lacerationes membrorum, inscriptiones frontis, et bestiarum immanium caveæ [6]. Inter hæc instrumenta collocetur ira, dirum quiddam atque horridum stridens, omnibus per quæ furit tetrior.

IV. Ut de cæteris dubium sit, nulli certe affectui pejor 1
est vultus, quem in prioribus libris descripsimus asperum et acrem, et nunc subito retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundum, et similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis et exsilientibus, nunc in uno obtutu
defixis et hærentibus. Adjice [7] dentium inter se arieta- 2
torum [8], et aliquem esse cupientium [9], non alium sonum,

1. *Equulei.* Quibus damnati impositi extendebantur. Sæpe occurrunt; e. c. Cic. Tusc. Dispp. V, 5. Senec. Epist. LXVII.

2. *Fidiculæ*, i. e. nervi et chordæ ad membra damnatorum, inprimis servorum, extendenda.

3. *Ergastula*, i. e. carceres privati, in quos ad compedes et opus servi damnabantur.

4. *Circumdati defossis corporibus:* antiqua omniumque librorum lectio, quam restituit Gronov. Pincianus dederat *defixis*, a Mureto adoptatum. Animum horum viror. doct. non subierat consuetudo, quam in notis Gronovio duce attigimus. Mox *caveæ*: nonnulli libri et Erasm. *cavernæ*, quod glossema τοῦ *caveæ* putaverim. — *Circumdati*, etc. Christianos hac pœna esse affectos sub Nerone, notum est ex Tacit. Annal. XV, 44. Et apud Carthaginienses sic flagitiosos muletari solitos esse, docet M. Cato Censorius apud Aul. Gell. III, 14. Cic. Epp. ad Divers. X, 32. Juv. Sat. I.

5. *Uncus* traxit damnatorum corpora ad Gemonias scalas, unde in Tiberim præcipitata sunt.

6. *Caveæ* in Amphitheatris, e quibus bestiæ in damnatos emittebantur, lib. II, cap. 12.

IV. Arg. Iræ fœditas, qua cæteros affectus antecellit. Cf. lib. I, cap. 1.

7. *Adjice.* Sæpe hoc verbo utitur Noster in argumentis connectendis, cujus loco cæteri auctores utuntur: *primum*, *deinde*, *tum*, etc.

8. *Arietatorum.* Vid. II, 3; i. e. collisorum.

9. *Adjice dentium inter se arietatorum et al. ess. cup.* Lipsius emend. *ut aliquem*, vel: *et ut aliquem esse cup.* quo mitigaret (ut videtur, sensum enim non addidit) hanc sententiam: i. e. quasi, velut aliquem devorare cupientium. Nihil tamen muto. — *Esse cupientium.* Id est, edisse

2 quam est apris, tela [1] sua attritu acuentibus. Adjice articulorum crepitum, quum se ipsæ manus frangunt [2], et pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, et dirum quiddam exsibilantia. Ferarum, mehercules, sive illas fames exagitat, sive infixum visceribus ferrum, minus tetra facies est, etiam quum venatorem suum semianimes morsu ultimo petunt, quam hominis ira fla-
3 grantis. Age, si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati [3] animi verba sunt? Nonne revocare se quisque ab ira volet, quum intellexerit illam a suo primum malo incipere? Non vis [4] ergo admoneam eos, qui iram in summa potentia exercent, et argumentum virium existimant, et in magnis magnæ fortunæ bonis ponunt paratam ultionem, quam non sit potens, immo nec liber
4 quidem dici possit, iræ suæ captus [5]? Non vis admoneam, quo diligentior quisque sit, et ipse se circumspiciat,

et devorasse cupientium. Lipsius. At J. M. *Heusinger*, Emendd. p. 293, τὸ *esse* exponit εἶναι, *audiri*, hac verborum collocatione instituta: aliquem (sonum) esse (i. e. audiri) cupientium, (sed) non alium sonum...... Non intelligas, cur Lipsii explicatio, per se naturalis et facilis, huic difficiliori cedat. Dentes talem sonum edunt, qualis est eorum (e. g. aprorum) qui devorare aliquem cupere videntur.

1. *Tela*, i. e. dentes. Notum porro est, solitos apros acuere dentes arboribus aut saxis.

2. *Quum se ipsæ manus frangunt.* Dum tibi ipse manus distorques, et articulos quasi frangis.

3. *Excarnificati.* Hoc est, a carnifice lacerati.

4. *Non vis.* Designat Peripateticos, eorumque asseclas in ira defendenda. Vid. Arg. cap. huj. et c. 1, fin.

5. *Iræ suæ captus* ex Erasmo et codd. nonnullis Lips. et Grut. recepi: i. e. ab ira sua abreptus: *captus animi* occurrit apud Tacit. Histor. III, 73. J. M. *Heusinger* hanc lectionem contra Lipsium *iræ suæ captivus* conjectantem, quia forte constructionem hanc τοῦ *captus* legere non meminerat, defendens, laudat Vechneri Hellenolex. I, 2, 23. Bunemann. ad Lactant. VII, 4, 8. Esse autem græcam formam, primum a poetis, mox a cæteris auctoribus usurpatam, nunc satis constat. Antea: *ira captus.* — *Iræ suæ captus*, i. e. ab ira sua captus, præpeditus. Vid. supr. in hac ead. not. var. lect.

alia animi mala ad pessimos quosque pertinere, iracundiam etiam eruditis hominibus, et in alia sanis[1], irrepere; adeo ut quidam simplicitatis[2] indicium iracundiam dicant, et vulgo credatur facillimus[3] quisque huic obnoxius?

V. « Quorsus, inquis, hoc pertinet? » Ut nemo se 1
judicet tutum ab illa, quum lentos quoque natura et placidos in sævitiam ac violentiam evocet. Quemadmodum adversus pestilentiam nihil prodest firmitas corporis, et diligens valetudinis cura; promiscue enim imbecilla robustaque invadit: ita ab ira tam inquietis moribus[4] periculum est, quam compositis et remissis, quibus eo turpior ac periculosior est, quo plus in illis mutat. Sed 2
quum primum sit, non irasci; secundum, [5]detinere;

1. *Eruditis..... in alia* (negotia) *sanis.* Id est, bonis seu boni studiosis, stoicum in morem et sensum, Lipsio interprete. Sed nescio cur non simpliciter de doctis hominibus hic Nostrum locutum esse intelligamus. Locus Platonis, quem Lipsius affert, bene huc facit: sagaces, ingeniosos et memoriosos ut plurimum etiam ad iracundiam propensiores esse. Vid. Theætet. p. 52, a. T. II, bip. Ἀλλ' οἵ τε ὀξεῖς, κ. τ. λ.

2. *Simplicitatis.* Cf. II, 16.

3. *Facillimus*, i. e. mitissimus.

V. Arg. Ad propositum pergit et ordine dicendorum declarato, remedia affert contra iram. Ac primum est, ut vitia, quæ iræ propria sunt, nobis subinde proponamus, et iram cum pessimis affectibus comparemus.

4. *Inquietis moribus.* Id est, animo inculto ideoque sibi haud constanti. Vereor ut hoc simile satis bene congruat invicem: merito enim dubites de veritate sententiæ, quam de pestilentia in medium profert, sive intelligas de lue aliqua, sive de peste proprie sic dicta; deinde multum refert, utrum pestilentia omnia corpora invadat, an animo cuique periculum sit ab ira. Nam si utrumque, quod hic ponitur, verum est, neque medicina ulla commendari potest, neque remedia, quæ affert Noster, laudari possunt. Sed non satis subtiliter extulisse, quæ sentiret, Noster putandus est. Sensus est: Quemadmodum cuique corpori periculum est a pestilentia, ita, etc.

5. *Detinere* omnes codd. MSS. at *retinere* in edd. vett. e. c. Erasmi. Gruterus tuitus est codd. auctoritatem, nulla tamen ratione addita: Lipsius effinxit: *detumere*, i. e. detumescere. J. F. Gronov. emendavit *desinere*. Enimvero hic exspectas verbum, quod activam vim habet; deinde *desinere* est synonym. τοῦ moderatiorem esse, infra cap. 36, 2. *Retinere* vero (id est, placare) quoque bonum est: sed codd. obtemperandum est boni quid suadentibus. Tuear itaque cum Grutero: *detinere*, i. e. inhibere: cf. cap. 12, 4, al.

tertium, alienæ iræ mederi : dicam primum, quemad-
modum in iram non incidamus; deinde, quemadmodum
nos ab illa liberemus; novissime, quemadmodum irascen-
tem retineamus placemusque, et ad sanitatem reduca-
mus. Ne irascamur præstabimus, si omnia vitia iræ nobis
subinde proposuerimus, et illam bene æstimaverimus.
Accusanda est apud nos, damnanda; perscrutanda ejus
mala, et in medium protrahenda sunt; ut qualis sit ap-
3 pareat, comparanda cum pessimis est. Avaritia acquirit
et contrahit, quo aliquis melior utatur : ira [1] incendit;
paucis gratuita est; iracundus dominus quosdam in fu-
gam servos egit, quosdam in mortem; quanto plus ira-
scendo, quam id erat propter quod irascebatur, amisit?
Ira patri luctum, marito divortium attulit, magistratui
odium, candidato repulsam. Pejor est etiam quam luxu-
ria : quoniam illa sua voluptate fruitur, hæc alieno do-
4 lore. Vincit malignitatem et invidiam; illæ enim infeli-
cem fieri volunt, hæc facere; illæ fortuitis malis dele-
ctantur, hæc non potest exspectare fortunam; nocere ei
quem odit, non noceri vult. Nihil est simultatibus gra-
vius; has ira conciliat : nihil est bello funestius; in hoc
potentium ira prorumpit : cæterum etiam illa plebeia ira
5 et privata inerme et sine viribus bellum est. Præterea
ira, ut seponamus quæ mox sequutura sunt damna, insi-
dias, perpetuam ex certaminibus mutuis sollicitudinem,
dat pœnas dum exigit : naturam hominis ejurat [2]. Illa in

1. *Incendit.* Omnes libri et Erasm. Muretus tamen dedit ex conj. *impendit*, et probatum Lipsio, qui hic vocabulum desideravit synonym. τοῦ *consumere*. Sed enim *incendere* egregie locum suum tuetur : de perturbatione enim et eversione usurpari vel Lexica docent, et antea cap. 1, 3, iram cum fulmine comparaverat.

2. *Ejurat.* Id est, exuit, se abdicat. Hæc lectio Grutero debetur, qui eam eruit e lectione codd. *jurat* : haud dubie præstantior diversis lectionibus : *mutat*, *vitiat*, *evitat*, etc. Non enim de mutatione naturæ humanæ agitur, sed de tota eversione.

amorem hortatur, hæc in odium; illa prodesse jubet, hæc nocere. Adjice, quod quum indignatio ejus a nimio sui suspectu veniat, et animosa videatur, pusilla est et angusta; nemo enim non eo, a quo se contemptum judicat, minor est[1]. At ille ingens animus et verus æsti- 6
mator sui non vindicat injuriam, quia non sentit. Ut tela a duro resiliunt, et cum dolore cædentis solida feriuntur; ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius est, velut nulli penetrabilem telo, omnes injurias contumeliasque respuere! Ultio doloris confessio est[2]: non est magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læsit: si imbecillior, parce illi; si potentior, tibi[3].

VI. Nullum est argumentum magnitudinis certius quam 1
nihil posse, quo instigeris, accidere. Pars[4] superior mundi et ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem; omni tumultu caret: inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, et in statione tranquilla collocatus[5], intra se premens[6], qui-

1. *Nemo enim non eo, a quo se contemptum judicat, minor est.* Hoc est, quisquis contemni sese suspicatur, ille revera inferior est, et is qui merito contemnatur.

2. *Ultio doloris confessio est.* Qui ulcisci pertinax cupit, is se doluisse confitetur.

3. *Tibi.* Namque ultionem frustra mediteris, potentiorem impugnans.

VI. Arg. Quo major animus, eo sedatior, eo alienior ab ira. Evitanda igitur est πολυπραγμοσύνη, quæ animum inquietum reddit ideoque causis iræ obnoxium.

4. *Pars superior....* Hac comparatione sæpe utuntur Stoici: exemp. g. Noster, Ep. LIX. Lucan. II, 271, sqq. « Nubes excedit Olympus..... Pacem summa tenent ». Qui locus Nostri simillimus est.

5. *Inferiora...... collocatus.* Simillime his, sed de Deo, nostras *Lebrun*, in lib. I, Od. 9, str. 4:

> Sous ses pieds les tonnerres grondent,
> L'air mugit, les enfers répondent
> Au tumulte des élémens;
> Immobile dans cet orage,
> Il voit à ses pieds le naufrage
> Des rois, des peuples et du tems.

6. *Intra se premens.* Calcans irritamenta iræ.

bus ira contrahitur, modestus et venerabilis est et dis-
2 positus [1]; quorum nihil invenies in irato. Quis enim traditus dolori et furens non primam rejecit verecundiam? quis impetu turbidus et in aliquem ruens non quidquid in se verecundi habuit, abjecit? cui officiorum numerus aut ordo constitit incitato? quis linguæ temperavit? quis ullam partem corporis tenuit? quis se regere potuit immissum [2]? Proderit nobis illud Democriti salutare præceptum [3], quo monstratur tranquillitas, si neque privatim, neque publice multa, aut majora viribus nostris
3 egerimus. Nunquam tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transit, ut non aut ex homine, aut ex re offensa nascatur, quæ animum in iras paret. Quemadmodum per frequentia urbis loca properanti in multos incursitandum est, et alicubi labi necesse est, alicubi retinere, alicubi respergi [4]; ita in hoc vitæ actu dissipato [5] et vago, multa impedimenta, multæ querelæ inci-

1. *Modestus et venerabilis est et dispositus.* Ante Pincian. legebatur in edd. e. c. in Erasm. *dispositus*; quod congruat τῷ *ordinatior*: alii *depositus*. Ille mutavit in *compositus*, usum loquendi Nostro familiarem haud tenens. Disponere enim ei idem est quod *ordinare*, e. c. de Brevit. Vit. cap. 19. Epp. XXIII, XXVIII, etc. Optime igitur reduxit Gronov. Mox *abjecit*, non *adjecit*, ut est in edit. Gronov. vitio operarum typogr. monuit et J. M. *Heusinger*, Emendd. pag. 234.

2. *Immissum*, i. e. incitatum. E codd. reduxit Gronov. Antea: *Quis se regere potuit? in immensum proderit.* Equum habenasque immittere est locutio notissima: ap. Nostrum occurrit «oratio perturbata et immissa,» i. e. quæ non reprimi potest, Ep. XL; cf. Ep. CVI. Cic. de Fin. lib. I, cap. 1. Qua lectione admissa omni defectus suspicione carebimus.

3. *Democriti salutare præceptum.* Ex libro ejus περὶ εὐθυμίας: Jo. Stobensis, in Florileg. tit. CI, de Felicitate, p. 478, servavit: τὸν εὐθυμεῖσθαι μέλλοντα χρὴ μὴ πολλὰ πράσσειν, μήτε ἰδίῃ, μήτε ξυνῇ, μήδ' ὅσ' ἂν πρασσῃ ὑπέρ τε δύναμιν αἱρεῖσθαι τὴν ἑαυτοῦ καὶ φύσιν. Claudit eo, quod Noster extremo hoc capite non absimilibus verbis posuit: ἡ γὰρ εὐογκίη ἀσφαλέστερον τῆς μεγαλογκίης. Cf. de Tranquill. Animi, cap. 12.

4. *Respergi.* Luto nempe, sive currus aut equus, sive aliquis pedes pedites nos ita collutulet. Gallice: *être éclaboussé.*

5. *Dissipato.* Cujus non sibi invicem coaptantur et cohærent sin-

dunt. Alius spem nostram fefellit, alius distulit, alius intercepit : non ex destinato proposita fluxerunt : nulli fortuna tam dedita est [1], ut multa tentanti ubique respondeat [2]; sequitur ergo, ut is, cui contra quam proposuerat, aliqua cesserunt, impatiens hominum rerumque sit; ex levissimis causis irascatur nunc personæ, nunc negotio, nunc loco, nunc fortunæ, nunc sibi. Itaque ut quietus 4
possit esse animus, non est jactandus, nec multarum, ut dixi, rerum actu fatigandus, nec magnarum, supraque vires appetitarum. Facile est, levia aptare cervicibus, et in hanc aut in illam partem transferre sine lapsu: at quæ alienis in nos manibus imposita ægre sustinemus, victi in proximos [3] effundimus; et dum stamus sub sarcina, impares oneri vacillamus.

VII. Idem accidere in rebus civilibus ac domesticis, 1
scias. Negotia expedita et habilia [4] sequuntur [5] actorem; ingentia, et supra mensuram agentis, nec dant se facile, et si occupata [6] sunt, premunt atque adducunt [7] adminis-

gulæ partes, at hinc illinc in res multas sparsæ abeunt et diffunduntur. Quasi diceret : Dum his in terris vitam agimus non ὁμογενῆ, sed quæ constat e partibus variis semper, sæpe contrariis.

1. *Dedita est.* Hoc est, famulatur, favet ; amicam se atque servam præstat.

2. *Tentanti.... respondeat.* Clarius, sed timide magis et splendide minus dixisset, *tentantis spei et voto.*

3. *Proximos.* Id est, in primum quemque, qui hanc potissimum sarcinam imposuerat: quo ipso optime ostendit, nos non diu sub illo onere nobis imposito constare aut progredi, quin effusum sit. At quum Gron. in nonnullis codd. invenisset *in proximo*, hoc verum habuit; non enim, addit acutissimus homo, propositum est Senecæ demonstrare, nos aliis, et quidem proximis, onus, cui ferendo impares simus, impingere, sed non diu nos illud sustinere, etc. Quam tueor lectionem, omnes habent edd. e. c. Erasmi. et multi codd.

VII. Arg. Iis rebus itaque operam demus, quæ nostro ingenio et viribus congruunt.

4. *Habilia.* Quæ tractari facile possunt; *quæ facile dant se*, nobis reguntur.

5. *Actorem.* Lectio vulgata et proba. Ed. rom. *auctorem* : male; additur enim statim ....*agentis.*

6. *Occupata* ; i. e. suscepta præpropere et antequam ea exploraveris.

7. *Adducunt.* Nempe in terram, mensuram quippe agentis excedentia.

trahentem, tenerique jam visa, cum ipso cadunt. Itaque fit, ut frequenter irrita sit ejus voluntas, qui non quæ facilia sunt aggreditur, sed vult facilia esse, quæ aggressus est.
2 Quotiens [1] aliquid conaberis, te simul et ea quæ paras, quibusque pararis, ipse metire. Faciet enim te asperum pœnitentia operis infecti. Hoc interest, utrum quis fervidi sit ingenii, an frigidi atque humilis; generoso repulsa iram exprimet, languido inertique tristitiam. Ergo actiones nostræ nec parvæ [2] sint, nec audaces, nec improbæ: in vicinum spes exeat; nihil conemur, quod mox, adepti quoque, successisse miremur.

1 VIII. Demus operam, ne accipiamus injuriam, quam ferre nescimus. Cum placidissimo et facillimo et minime obnixo [3] morosoque vivendum est. Sumuntur a conver-

1. *Quotiens.* Idem præcepit de Tranq. An. cap. 4: «In vicinum spes exegi.» Ipse rursus, atque eodem libro, cap. 10, explicat: «Prope posita, speique nostræ alludentia sequamur...... Nihil suscipias, cujus bonum eventum non tuæ prudentiæ, sed fortunæ cuidam attribuas necesse est.»

2. *Parvæ*, omnes libri, ut Erasm. i. e. neque viliora consecteris negotia, neque altiora: medio tutissimus ibis. *Pravæ* dedit Pincianus, quem Socii bipontini secuti sunt. Ille putavit fortasse, Nostrum sibi ipsum contradicere, quum antea (c. 6, § 4) posuisset: nec multarum rerum actu fatigandum esse animum, nec magnarum...... At non advertit, loqui Nostrum de negotiis vilioribus, quæ nobis pœnitentiam comparare possint.

VIII. Arg. Ut injurias majores, quam ut ferre possis, evites, amicos ac sodales eligas bonos et mansuetos. Consortium enim malum corrumpit bonos mores, usu et observatione omnium temporum docente, e. c. Theogn. vs. 35. Xenoph. Memorab. I, 2, 20. al.

3. *Obnixo*, i. e. contumaci, difficulter cedenti. Erasmus in libris invenerat et nostram lectionem, quæ postea in pluribus comparuit, atque in margine notaverat. Dederat tamen, multitudini codd. obsecutus, *obnoxio*, quod Gronov. more suo, id est, doctissime tuetur et adstruit. Notum nunc est, *obnoxium* significare propr. hominem improbum, qui conscientia mala permotus in conscios culpæ suæ timidus et infirmus est: inde ap. Plaut. Pœn. III, 1, 15 et 17, *obnoxius* et *liber* opponuntur, et *servus* ejus synon. audit. Cf. Liv. XXIII, 12. Quæ etsi probe intelligam, tamen puto, si libero nec elegantias captanti animo accesseris ad hunc locum, vel primo obtutu tibi nostram lectionem approbatum iri. Contextus enim hic epitheton postulat, non significans hominem infirmum et facile læsioni et vexationi expositum, anxium sollicitum-

santibus mores ; et ut quædam in contactos corporis
vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit.
Ebriosus convictores in amorem vini traxit ; impudicorum
cœtus fortem quoque, et, si liceat[1], virum emolliit ;
avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem ex di- 2
verso ratio virtutum est, ut omne quod secum habent,
mitigent ; nec tam valetudini profuit utilis[2] regio et sa-
lubrius cælum, quam animis parum firmis, in turba me-
liore[3] versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si
videris feras quoque convictu nostro mansuescere ; nulli-
que etiam immani bestiæ vim suam permanere, si ho-
minis contubernium diu passa est. Retunditur omnis
asperitas, paulatimque inter placida dediscitur. Accedit
huc, quod non tantum exemplo melior sit, qui cum
quietis hominibus vivit ; sed quod causas irascendi non
invenit, nec vitium suum exercet. Fugere itaque debe-
bit omnes, quos irritaturos iracundiam sciet. « Qui sunt, 3

que, sed talem, qualis opponitur et placidissimo facillimoque, et adhæret moroso. Proinde *obnixo* reduxi, rejectis *anxio* et *obnoxio*, quæ, ad explicandum τὸ *minime obnixo*, glossematis loco margini primum appicta, mox in textum intrusa censeo.

1. *Si liceat*, omnes libri habent. Pincianus emendavit *siliceum*, ingeniose. Neque tamen assentior : nam, nisi fallor, hæc comparatio hominis cum lapide, saxo, etc. quæ sæpe apud Veteres occurrit, numquam ad firmitatem et constantiam animi designandam adhibita est, sed ad duritiem pectoris, sensuum humanorum expertis, ideoque crudelis. Tueor itaque antiquam lectionem : *si liceat*, i. e. si fieri possit. Neque tamen putes *virum* esse synon. τοῦ *fortem* : heroem enim h. l. significat, ut apud Græcos ἀνήρ. E. c. Herodot. VII, p. 604, 16, ib. Valcken. et *Jacobs*, in præfat. versioni suæ Velleii Pat. præmissa, p. *xxvij*, sqq.

2. *Utilis*. J. M. Heusinger. Emendatt. p. 234, pro corrupto habet, emendatque *mitis*, quod quidem in codd. scriptis parum differt ab *utilis* ; laudatque ad hunc locum Horatianum ἡμιστίχιον, lib. I, Od. 18, vers. 2 : «Mite solum Tiburis.» Plin. XXIII, 1. Curt. VII, 4, 30, al. Laudo emendationem, non præfero vulgatæ, quæ locum suum bene tuetur : *utilis* enim et *salutaris* sæpe conjunguntur.

3. *Turba meliore* recepit Gronov. e codd. apud Gruter. Etenim scriptores hujus ætatis sic loqui amant. Laudat Gronov. not. suam ad Statii Silv. c. 37. Antea : *turba meliorum*. Sic sæpe Cicero loquitur.

» inquis, isti? » Multi, ex variis causis idem facturi. Offendet te superbus contemptu, dives contumelia, petulans injuria [1], lividus malignitate, pugnax contentione, ventosus et mendax vanitate. Non feres a suspicioso timeri, a pertinace vinci, a delicato fastidiri. Elige simplices, faciles, moderatos, qui iram tuam nec evocent, et ferant. Magis adhuc proderunt submissi, et humani, et dulces, non tamen usque in adulationem; nam iracundos nimia assentatio offendit. Erat certe amicus noster vir bonus, sed iræ paratioris, cui non magis erat tutum
4 blandiri, quam maledicere. Cœlium [2] oratorem fuisse iracundissimum constat; cum quo, ut aiunt, cœnabat in cubiculo, lectæ patientiæ cliens; sed difficile erat illi in copulam conjecto [3], rixam ejus, cum quo hærebat, effugere. Optimum judicavit, quidquid dixisset, sequi, et secundas agere. Non tulit Cœlius assentientem, sed exclamavit : Dic aliquid contra, ut duo simus. Sed ille quoque, quod non irasceretur, iratus, cito sine adver-

1. *Contumelia...... injuria.* Ea est differentia inter has voces, contumeliam a verbis, injuriam a factis esse. Petulans vero est qui loquitur, qui agit inconsulte ac temere; gallice *étourdi.* Ego prætuli *dives contumelia;* Rubenio e codd. nonnullis contra laudante : *dicax contumelia.* Nunc omni *tautologia* supersedemus. Est autem omnium edd. et plurimorum codd. lectio, et optime cohærent *superbus, dives*, etc. quia divitem hic desiderares.

2. *Cœlium.* Est M. Cœlius Rufus, cujus sunt Epistolæ libri octavi in Epp. Cic. ad Divers. Fuit vir nobilis, eloquens, audax, ingeniosissime nequam et facundus malo publico, cujus cupiditatibus vel libidinibus neque opes ullæ, neque voluptates sufficere possent; ut ait de Curione, plebis Tribuno, Velleius Paterc. II, 48, 3. Sub initio belli civilis stetit a parte Jul. Cæsaris (de Bell. Civ. I, 2, 3; II, 43); mox offensus, quod Cæsar ipsum neglexisset, Trebonio in præturam evecto, Romam reliquit, et ut seditiosus homo a Cæsaris equitibus Thuriis interfectus est (Cic. ad Divers. VIII, 17; Dio Cass. XLII, 22; Cæsar, Bell. Civ. III, 20, 22; Vell. Pat. II, 68).

3. *In copulam conjecto*, i. e. in societatem conjecto. Copulam de amicitiæ fœdere usurpari constat. Gruterus hanc lectionem e codd. sapienter restituit, probante Lipsio et usum loquendi copiose adstruente Gronovio. Antea : *in crapulam conj.* at de crapula non agitur, sed de so-

sario desiit. Eligamus ergo vel hos potius, si conscii 5
nobis iracundiæ sumus, qui vultum nostrum ac sermonem sequantur : facient quidem nos delicatos, et in malam consuetudinem inducent, nihil contra voluntatem audiendi, sed proderit, vitio suo intervallum et quietem dare. Difficilis quoque et indomita natura blandientem feret : et nihil asperum tetrumque palpanti est. Quotiens disputatio longior et pugnacior erit, in prima resistamus, antequam robur accipiat. Alit se ipsam [1] contentio : demissos altius tenet. Facilius est se a certamine abstinere, quam abducere.

IX. Studia quoque graviora iracundis omittenda sunt, 1
aut certe citra lassitudinem exercenda : et animus non inter plura [2] versandus, sed artibus amœnis tradendus. Lectio illum carminum obleniat, et historia fabulis detineat [3] : mollius delicatiusque tractetur. [4] Pythagoras 2
perturbationes animi lyra componebat : quis autem igno-

cietate, qua inita cum aliquo rixam effugere non potuit M. Cœlius Rufus. *Hærebat*, i. e. accubabat, seu assidebat, ut nos dicimus. Erasmus habet: *cum quo edebat*. Mox, *secundas* (partes) *agere*, i. e. cedere, assentari : *alias res* in Lipsii cod. aberratio librarii.

1. *Se ipsam*. Antiqua lectio apud Erasm. Lips. al. Cicero dixisset *se ipsa* quoniam hic nulla oppositio est. Sunt tamen et loca apud Cicer. in quibus hæc regula, quam, quod sciam, Ernesti primus exposuit (Clav. Cic. voc. *Ipse*) respuitur. Noster hanc regulam, si tamen regula certa est, sæpe migravit, e. c. lib. III, c. 1, 2, etc. Ap. Gronov. et Bipont. *se ipsa*. Mox *demissos* Pincian. dedit, probante Gronov. dicitur enim *demittere* se, *descendere in certamen*, i. e. qui ultra, quam par est, in contentionem descenderunt, tenentur ab ea. Vanæ igitur sunt conjecturæ Gruteri, *immissos* s. *commissos*; deinde Lipsi codex *admissos arctius*; tum aliorum libror. lectio *dimissi*.

IX. Arg. Iracundus, ægri similis cui levioribus tantum cibis uti conceceditur, leves res tractet.

2. *Inter plura*. Inter negotia.

3. *Historia fabulis detineat*. Moneo, ne cum Lipsio de historia fabulari cogites. Fabulæ sunt h. l. mendacia : nam de historicis Noster parum magnifice sentit. Cf. Nat. Quæst. lib. VII, cap. 16.

4. *Pythagoras*. Omnia ad numeros atque harmoniam retulisse hunc philosophum, nota res est, et fusius cognosci potest ex *Meiners*, T. I, p. 408, sq. et *Tiedemann*, T. I, p. 84.

rat lituos et tubas concitamenta esse; sicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens resolvatur [1]? Confusis [2] oculis prosunt virentia: ut quibusdam [3] coloribus infirma acies acquiescit, quorumdam splendore præstringitur: sic mentes ægras studia læta permulcent. Forum, advocationes, judicia, fugere debemus, et omnia quæ exulcerant vitium, æque cavere lassitudinem corporis; consumit enim, quidquid in nobis mite placidumque est,
3 et acria concitat. Ideo quibus stomachus suspectus [4] est, processuri ad res agendas majoris negotii, bilem cibo temperant, quam maxime movet fatigatio, sive quia calorem inedia compellit, et nocet sanguini, cursumque ejus, venis laborantibus [5], sistit: sive quia corpus attenuatum et infirmum incumbit [6] animo: certe ob eamdem causam iracundiores sunt valetudine [7] aut ætate fessi. Fames quoque et sitis, ex eisdem causis, vitanda est: exasperat et incendit animos.

1 X. Vetus dictum est [8]: a lasso rixam quæri; æque

1. *Resolvatur*. Hoc est relaxetur, a nimia contentione et in se recumbens acquiescat.

2. *Confusis*. Qui nihil adspiciunt nisi conturbatum atque confusum. Gallic. *qui voient trouble*. *Confundi* enim, (ut apud Græcos χραίνεσθαι) de rebus mixtis ideoque corruptis in usu erat.... *Virentia*, i. e. omne quod viret, quod viridi colore modice nitet, oculis prodesse, dudum a viris, harum rerum peritis, *Adams*, *Sœmmering* al. expositum est.

3. *Ut quibusdam coloribus*. Mutavi interpunctionem, et dedi, *ut* pro *et*, ne τῷ *sic* careat, quo referatur; solet enim sic loqui Noster. Mox § 3, *quam* ad *bilem* retuli, puncto post *temperant* sublato, sensu postulante. Inspicias modo versionem germanicam (Lipsiæ ap. Schwickert. 1794), quæ h. l. quam maxime friget.

4. *Quibus stomachus suspectus est*. Qui infirmo stomacho laborant, edant aliquid, antequam ad res procedant, multum laboris postulantes, ut bilis fatigatione excitata inque stomachum effusa habeat in quo vim suum exerceat.

5. *Venis laborantibus*. Id est, ob calorem nimis extensis ideoque ad officium suum deficientibus.

6. *Incumbit*. Premit, molestiam ac infirmitatem creat animo.

7. *Valetudine*. Cf. lib. II, cap. 19.

X. Arg. Optimum remedium itaque est, iræ notas et prænuntia observare et occupando sibi mederi.

8. *Vetus dictum*. Hoc dictum repetitum esse videtur ex arena seu

autem et ab esuriente, et a sitiente, et ab omni homine
quem aliqua res urit[1]. Nam ut ulcera ad levem tactum,
deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt; ita
animus affectus[2] minimis offenditur, adeo ut quosdam
salutatio, epistola, oratio, et interrogatio in litem evo-
cent. Nunquam sine querela ægra tanguntur. Optimum 2
est itaque, ad primum mali sensum mederi sibi; tum
verbis quoque suis minimum libertatis dare, et inhibere
impetum[3]. Facile est autem, affectus suos, quum pri-
mum oriuntur, deprehendere: morbum signa præcur-
runt[4]. Quemadmodum tempestatis ac pluviæ ante ipsas
notæ veniunt; ita iræ, amoris, omniumque istarum pro-
cellarum animos vexantium sunt quædam prænuntia. Qui
comitiali[5] vitio solent corripi, jam adventare valetudi-
nem intelligunt, si calor summa[6] deseruit, et incertum
lumen, nervorumque trepidatio est, si memoria subla-
bitur, caputque versatur. Solitis itaque remediis inci- 3
pientem causam[7] occupant, et odore gustuque, quid-
quid est quod alienat animos, repellitur: aut fomentis

palæstra, ubi lassus ideoque victus rixam quærit, ægre ferens invidiam. Moneo, ne interpreteris, Cum homine lasso, sitiente, etc. quisque rixari amat: Nostro ipso refragante. Fames enim, ait, et sitis exasperant et incendunt animos.

1. *Urit*. Id est, male habet, sollicitat. Hinc *cura* quæ *cor urit*.

2. *Affectus*. Quem aliquid afficit, amor, ambitio, avaritia, etc.

3. *Inhibere impetum*. Sermonis nempe.

4. *Signa præcurrunt*. Hæc sunt quæ (a græcis vocibus, πρὸ, *ante*, γιγνώσκειν, *nosse*), prognostica nuncupant medici.

5. *Comitiali*. Morbus, epilepsia, comitia vitians, rescindens, ex more Romanorum; unde hoc nomen merito derivatur.

6. *Summa*. Id est, summas corporis partes; h. l., caput, oculosque. Hoc docet quoque Celsus, II, 7.

7. *Causam*. Bona lectio. Alii *curam*, alii *casum*. Receptam lection. e codd. et usu loquendi tuetur Gronov. Dicitur enim *causa* proprie de morbo quocunque ut αἰτία, quoniam a morbo excusationem petere sæpe solemus, unde et *causarii* dicuntur; quod inde a Scaligero ad Tibull. I, 8, 51, sæpe inculcatum est. Reduxi cum Gronov. *Curam* et *casum* glossematis loco adjecta esse videntur. Mox § 4 *formæ* vulgatum est: Lipsii

contra frigus rigoremque pugnatur; aut si parum medicina profecit, vitaverunt turbam, et sine teste ceciderunt. Prodest morbum suum nosse, et vires ejus antequam spatientur, opprimere.
4 Videamus quid sit, quod nos maxime concitet. Alium verborum, alium rerum contumeliæ movent; hic vult nobilitati suæ, hic formæ suæ parci; ille elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus; hic superbiæ impatiens est, hic [1] contumaciæ; ille servos non putat dignos quibus irascatur; hic intra domum sævus est, foris mitis; ille rogari, invidiam[2] judicat; hic, non rogari, contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur.

1 XI. Scire itaque oportet quid in te imbecillum sit, ut id maxime protegas [3]. Non expedit omnia videre, omnia audire: multæ nos injuriæ transeant, ex quibus plerasque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, eruit, se ipse inquietat. Quædam interpretatio [4] eo perducit, ut videantur injuriæ. Itaque alia differenda sunt,
2 alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda [5] multis modis ira est: pleraque in lusum jocumque vertantur. Socratem [6] aiunt colapho percussum nihil amplius

cod. habet *famæ*, quam non multum absum quin præferam, quia magis congruit antecedentibus. *Elegantissimus*, quod sequitur, ad formam spectat.

1. *Superbiæ...... contumaciæ.* Superbia illius est qui, sive agat, sive loquatur, aliis videtur longe meliorem sese credere; contumacia autem illius qui sive propositi, sive opinionis suæ tenacissimus ne attendere quidem dignatur quid putent, aut putaturi sint de hoc cæteri mortalium.

2. *Invidiam.* Id est h. l. dedecus.

XI. ARG. Deinde curiositatem evita, et interpretationem.

3. *Protegas.* Custodias, ne tibi noceat.

4. *Quædam interp.* Est enim quoddam explicationum genus, quibus levissima quæque et innoxia, in malam partem versa, videbuntur injuriæ.

5. *Circumscribenda.* Id est, moderanda, temperanda.

6. *Socratem*, etc. Diogen. Laert. VI, 41, hæc de Diogene Sinopensi,

dixisse, quam : « Molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent. » Non quemadmodum facta sit injuria refert, sed quemadmodum lata. Nec video quare difficilis sit moderatio, quum sciam tyrannorum quoque tumida et fortuna et [1] licentia ingenia, familiarem sibi sævitiam repressisse. Pisistra- 3
tum [2] certe, Atheniensium tyrannum, memoriæ proditur, quum multa in crudelitatem ejus ebrius conviva dixisset, nec deessent qui vellent manus ei commodare, et alius hinc, alius illinc faces subderent, placido animo tulisse, et hoc irritantibus respondisse : « Non magis » illi se succensere, quam si quis obligatis oculis in se » incurrisset. » Magna pars querelas manu fecit [3], aut falsa suspicando, aut levia aggravando.

XII. Sæpe ad nos ira venit, sæpius nos ad illam, quæ 1
nunquam arcessenda est : etiam quum incidit, rejiciatur. Nemo dicit sibi [4] : Hoc, propter quod irascor, aut feci, aut fecisse potui! Nemo animum facientis [5], sed ipsum æstimat factum : atqui ille intuendus est; voluerit [6], an inciderit; coactus sit, an deceptus; odium secutus sit,

quo et magis digna videntur, narravit.

1. *Licentia*. Hoc est, potestate, quod juri opponitur. Tyranno *licent* omnia, quorumdam tantummodo *jus est*. Hinc Nero, de imperatoriæ potestatis infinita magnitudine, postquam Urbis et Italiæ illustrissimos viros trucidasset, hactenus aiebat, nescisse principes quid imperatori in suos liceret.

2. *Pisistratum*, Solonis coævum et affinem, de quo jam supra monuimus. Valer. Maxim. lib. V, cap. 2, idem narrans, amicum Thrasippum nominat, qui eum sine fine convicio lacerasset intra cœnam. Cæterum esse deberet ex regulis grammaticæ latinæ : *Pisistratus......... memoriæ proditur*. Græco more hoc dictum putes, de quo multi sunt Interpp. ad Corn. Nep. Pausan. V.

3. *Manu fecit*. Sua sponte sibi comparare solet.

XII. Arg. Tum dilatio et quieta animi facientis æstimatio fiat.

4. *Nemo dicit sibi*. Quum iratus est, nemo reputat, se ipsum hæc aut fecisse, aut facere potuisse, propter quæ nunc aliis irascitur.

5. *Animum facientis*. Hoc est, quod sibi animo is proposuerit, qui injuriam fecit.

6. *Voluerit*. An consilio, an se inscio injuriam fecerit.

an præmium; sibi mórem gesserit [1], an manum alteri
2 commodaverit. Aliquid [2] peccantis ætas facit, aliquid fortuna; ut [3] ferre ac pati, aut humanum, aut humile [4] sit. Eo loco nos constituamus, quo ille est, cui irascimur: nunc facit iracundos iniqua nostri æstimatio, et quæ facere vellemus, pati nolumus. Nemo se differt: atqui maximum remedium iræ dilatio est, ut primus ejus fervor relanguescat, et caligo quæ premit mentem, aut re-
3 sidat, aut minus densa sit. Quædam ex his quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies, molliet: quædam ex toto evanescent. Si nihil erit petita [5] advocatio, apparebit tamen judicium esse, non iram. Quidquid voles quale sit scire, tempori trade: nihil diligenter in
4 fluctu [6] cernitur. Non potuit impetrare Plato [7] a se tempus, quum servo suo irasceretur, sed ponere illum statim tunicam, et præbere scapulas verberibus jussit, sua manu ipse cæsurus. Postquam intellexit irasci se, sicut

1. *Morem gesserit.* Hoc est, cupidini suæ obsecutus sit, animoque suo gratificatus.

2. *Aliquid.....* Considerandum est, utrum adolescens, an vir maturus, utrum dives et potens, an pauper nos vexaverit; tunc judicabimus, nunc humanitatem flagitare, ut feramus, nunc abjecti animi et humilis esse, pati injurias.

3 *Ut.* Pro *ita ut.*

4. *Humanum, aut humile sit.* Aut clementiam annuntiet aut humilitatem, aut excelsum et magnum animum, aut pusillum atque humilem.

5. *Si nihil erit petita advocatio.* Sic libri scripti exhibent, bono sensu. Interdum mora interposita ira evanescet; sin sine effectu advocatio petita erit, tamen apparebit, te judicare, i. e. ex judicio, non ex ira agere. *Jam* mutavi in *tamen*, quæ sæpe confundi in Mss. constat, oppositione poscente. Erasmus hæsit in hoc loco et male amplexus est Rudolfi Agricolæ amici conjecturam: *Si in hoc erit.* Lipsius ordinavit: *si nihil erit, pet. advocatione app.* — *Advocatio.* I. e. mora: *in hoc.* I. e. ad æstimandum animum, ætatem, etc. auctoris. Cf. lib. II, cap. 22.

6. *In fluctu.* I. e. motu et transitu.

7. *Plato.* Et ab aliis hæc narrantur; e. g. Diog. Laert. III, 38; et Stob. Floril. p. 329, qui loco Speusippi Xenocratem nominant: at Plutarch. de Pueror. Educ. Tom. VII, pag. 39. ed. Hutten. et Val. Maxim. IV, 1, Speusippum filium sororis appellant cum Nostro, qui igitur memoriæ lapsu, a Lipsio ei imputato, liberandus est.

sustulerat, manum suspensam detinebat, et stabat percussuro similis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat, quid ageret? Exigo, inquit, pœnas ab homine iracundo. Velut stupens, gestum illum sævituri deformem sapienti viro servabat, oblitus jam servi, quia alium quem potius castigaret, invenerat. Itaque abstulit sibi in suos potestatem, et ob peccatum quoddam commotior: « Tu, inquit, Speusippe, servulum istum verberibus objurga; nam ego irascor [1]. » Ob hoc non cecidit, propter quod alius cecidisset [2]. « Irascor, inquit; » plus faciam quam oportet: libentius faciam: non sit » iste servus in ejus potestate, qui in sua non est [3]. » Aliquis vult irato committi ultionem, quum Plato sibi ipse imperium abrogaverit? Nihil tibi liceat, dum irasceris; quare? quia vis omnia licere. Pugna tecum ipse! si iram vincere non potes, illa te incipit vincere. Si absconditur, si illi exitus non datur, signa ejus obruamus, et illam, quantum fieri potest, occultam secretamque teneamus.

XIII. Cum magna id nostra molestia fiet. Cupit enim 1
exsilire, et incendere oculos, et mutare faciem; sed si eminere illi extra nos licuit, supra nos est. In imo pectoris secessu recondatur, feraturque [4], non ferat; immo in contrarium omnia ejus indicia flectamus. Vultus remittatur, vox lenior sit, gradus lentior; paulatim cum exterioribus interiora formentur. In Socrate [5] iræ signum 2

1. *Irascor*. Vereor ne mihi nimis indulgeam in verberando.

2. *Ob hoc.... cecidisset*. Alio modo: Id ei in causa fuit cur non cæderet, quod sexcentis aliis causa cædendi et visa esset et fuisset.

3. *Qui in sua non est*. Qui jam non sui compos, atque affectibus suis minor, qua fert ira, hac præceps rapitur.

XIII. Arg. Signa iræ lenienda atque occultanda sunt: sic ipsam leniri ac premi.

4. *Feratur*. In nostra sit potestate, non nos in ejus potestate. Cum acumine dictum, ut Aristippi illud: « Habeo, non habeor, » lib. I, cap. 16.

5. *In Socrate*. Plutarch. de Ira cohib. VII, 785, Reisk. confirmat. Ejus

erat, vocem submittere, loqui parcius; apparebat tunc illum sibi obstare. Deprehendebatur itaque a familiaribus, et coarguebatur; nec erat illi exprobratio [1] latitantis iræ ingrata. Quidni gauderet, quod iram suam multi intelligerent, nemo sentiret? Sensisset autem [2], nisi jus amicis objurgandi se dedisset, sicut ipse sibi in amicos
3 sumpserat. Quanto magis hoc nobis faciendum est? rogemus amicissimum quemque, ut tunc maxime adversus nos libertate utatur, quum minime illam pati poterimus, nec assentiatur iræ nostræ; contra potens malum, et apud nos gratiosum, dum conspicimus [3], dum nostri sumus, advocemus.

1 XIV. Qui vinum male ferunt, et ebrietatis suæ temeritatem ac petulantiam metuunt, mandant suis, ut e convivio auferantur: intemperantiam in morbo suam experti, parere sibi in adversa valetudine vetant. Optimum est notis vitiis impedimenta prospicere [4], et ante omnia ita componere animum, ut etiam gravissimis rebus subitisque concussus iram aut non sentiat, aut magnitudine inopinatæ injuriæ exortam in altum retrahat [5], nec do-

ἀοργησίαν et Cato admiratus est ap. Plutarch. II, p. 588. Plura de hac ejus virtute dabunt Xenoph. Memor. Socr. III, 13. Epictet. apud Arrian. Diss. IV, 5. Diogen. Laert. II, 21, ib. Menag. Si Noster accuratior in historicis tradendis fuisset, non opus esset testimonia talia adhibere, quæ non ad doctrinam ostentandam hic adducta sunt.

1. *Latitantis*. Vulgata lectio. *Laudantis* Lipsii cod. exhibet, unde, si quid mutandum esset, fieri posset: *laudans suæ*. Sed non opus.

2. *Sensisset olim*. Subaud. *aliquis*, non *nemo*, quod tamen in proxime scripta φράσει invenis. At illo in loco *nemo sentiret* tribus his æquum sonat *neque ullus sentiret*. *Ullus* autem fere idem est ac *aliquis*.

3. *Conspicimus*. I. e. dum malum illud in conspectu nostro positum est, dum advenire videmus. Gron. *consipimus* emendat, archaismum hic captans.

XIV. Arg. Utilitatem moderationis docet exemplo Cambysæ qui Præxaspis filium sagitta occidit, jussitque se laudari a misero patre.

4. *Impedimenta prospicere*. Ita providere ut opponatur quiddam obstaculi.

5. *In altum retrahat*. Id est, in imo pectoris secessu recondat.

lorem suum profiteatur. Id fieri posse apparebit, si pauca 2
ex ingenti turba exempla protulero, ex quibus utrumque
discere licet : quantum mali habeat ira, ubi hominum
præpotentum potestate tota utitur; quantum sibi impe-
rare possit, ubi metu majore compressa est. [1] Cambysen 3
regem nimis deditum vino Præxaspes unus ex carissimis
monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrie-
tatem in rege, quem oculi omnium auresque sequeren-
tur. Ad hoc ille : « Ut scias, inquit, quemadmodum
» nunquam excidam mihi [2], approbabo jam et oculos
» post vinum in officio esse et manus. » Bibit deinde
liberalius quam alias capacioribus scyphis, et jam gravis,
et temulentus, objurgatoris sui filium procedere ultra
limen jubet, allevataque super caput sinistra manu stare.
Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis (id enim 4
se petere dixerat) figit, recisoque pectore hærens in
ipso corde spiculum ostendit; ac respiciens patrem, sa-
tisne [3] certam haberet manum? interrogavit. At ille ne-
gavit Apollinem [4] potuisse certius dimittere. Dii illum 5
male perdant, animo magis quam conditione mancipium!
Ejus rei laudator fuit, cujus nimis erat spectatorem
fuisse; occasionem blanditiarum putavit, pectus filii in
duas partes diductum, et cor sub vulnere palpitans. Con-
troversiam illi facere de gloria debuit, et revocare ja-
ctum [5], ut regi liberet in ipso patre certiorem manum
ostendere. O regem cruentum! o dignum in quem omnium

1. *Cambysen.* Narrat Herodot. lib. III, capp. 34, 35.

2. *Excidam mihi.* Hoc est, excidat mihi mei imperium; aliis verbis: Mei ipsius obliviscar; mei compos ipse jam non sim.

3. *Satisne* e codd. receptum. Antea, *an satis*, quod nusquam comparuit. Alii *satis certam*. Hinc Gronovius facere voluit: *Satin*, *certam*.

4. *Apollinem.* Qui Dianæ frater pingitur, velut ipsa a poetis, arcum manu, humeris pharetram sustinens, neque unquam a scopo aberrans.

5. *Jactum*, quia de sagitta h. l. agitur, putavit Lipsius, *ictum* le-

6 suorum arcus verterentur! Quum exsecrati fuerimus illum, convivia suppliciis funeribusque solventem [1], tamen sceleratius telum illud laudatum est, quam missum. Videbimus [2] quomodo se pater gerere debuerit, stans super cadaver filii sui, cædemque illam, cujus et testis fuerat et causa: id de quo nunc agitur, apparet, iram
7 supprimi posse. Non maledixit regi, nullum emisit ne calamitosi quidem verbum, quum æque cor suum, quam filii, transfixum videret. Potest dici merito devorasse verba: nam si quid tanquam iratus dixisset, nihil tanquam pater facere potuisset. Potest, inquam, videri sapientius se in illo casu gessisse, quam quum de potandi modo præciperet: quem satius erat vinum quam sanguinem bibere, cujus manus poculis occupari pax [3] erat. Accessit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt quanti constarent regum amicis bona consilia.

1 XV. Non dubito quin Harpagus [4] quoque tale aliquid regi suo Persarumque suaserit, quo offensus, liberos illi epulandos apposuit, et subinde quæsiit, an placeret

gendum esse; *jactum* dici de jaculo. Sæpe inter se confusa esse in Mss. *jactum* et *ictum*, constat, e. c. apud Curtium. Sed quum jactus radiorum, retis, ideoque de omni fere re quæ dimittitur, dicatur, *jactum* defendi posse videtur. Sagittam autem Noster mox telum appellat, § 6.

1. *Convivia...... solventem.* Finem epulis imponentem funera et cædes, et convivales lætitias ac tripudium abire jubentem in lacrymas et paternos ejulatus.

2. *Videbimus.* Scilicet alias, alio tempore et loco. Esse id formulam Nostro familiarem, ad rejiciendam tractationis partem docuit J. F. Gron. ad h. l. exemplis adductis de Const. Sap. 16. Vit. b. 11. Benef. IV, 37, al.

3. *Pax.* Calamitas hæc ei non contigisset, si modo poculis, nec item consiliis dandis operam dedisset...... Cæterum eadem fere tractaverat Noster, lib. II, cap. 33.

XV. Arg. Continuatio. Suicidium, quod vocant, ultimum remedium.

4. *Harpagus.* Quæ hic occurrunt de Harpago, mera conjectura sunt, ut ipse Noster fatetur. Herodot. I, 108, sq. 118, 119, hæc habet: Quum Astyages comperisset, filium Mandanes, filiæ suæ, non ab Harpago, cui id injunxerat, sed ab alio expositum et conservatum esse, hac cœna immani, ultionis causa, excipi eum jussit. Filius autem unicus tredecim

conditura. Deinde ut satis illum plenum malis suis vidit, afferri capita illorum jussit, et, quomodo esset acceptus, interrogavit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit[1]: « Apud regem, inquit, omnis cœna jucunda » est. » Quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias
invitaretur. Non veto[2] patrem damnare regis sui factum, 2
non veto quærere dignam tam truci portento pœnam : sed hoc interim colligo, posse etiam ex ingentibus malis nascentem iram abscondi, et ad verba contraria sibi cogi[3]. Necessaria est ista doloris refrænatio, utique hoc
sortitis vitæ genus, et ad regiam adhibitis mensam. Sic 3
editur apud illos, sic bibitur, sic respondetur : funeribus suis arridendum est. An tanti sit vita[4], videbimus : alia ista quæstio est. Non consolabimur tam triste ergastulum[5], non adhortabimur ferre imperia carnificum, ostendemus in omni servitute apertam libertati viam. Si æger animus, et suo vitio miser est, huic miserias fi-
nire secum licet[6]. Dicam et illi, qui in regem incidit, 4
sagittis pectora amicorum petentem, et illi, cujus dominus liberorum visceribus patres saturat : Quid gemis, demens, quid exspectas, ut te aut hostis aliquis per exitium gentis tuæ vindicet, aut rex a longinquo potens

annos natus ei appositus est. Hæc Noster im[illegible]avit et deflexit, pravo more, ut [illegible] consilio attemperaret: quanquam haud intelligas, quid tandem hac mutatione lucratus sit. Quæ enim voluit, ea vero omnia et ipsa historia suppeditabat.

1. *Non os concurrit.* Hoc est, non labra sponte sua sese occlusere, et advenientibus verbis iter præpeditum fuit.

2. *Veto.* Antiqua lectio : *non vero*.... *non vero* vitium typograph. apud Gronov. et bipontinos socios. Et mox § 4 *descenditur, illac ad libertatem*, non *illic* ut ap. Bip.

3. *Contraria sibi cogi.* Id est, iræ.

4. *An tanti sit vita.* An ea sit in vita utilitas, commoditas et voluptas, ut tot per casus toleranda sit.

5. *Non consolabimur...... ergastulum.* Eodem modo dictum est, ut ap. Cic. ad Divers. Ep. IV, 8, pro Mil. 25, consolari brevitatem vitæ ; i. e. solatiis mitigare, lenire hunc carcerem aulicum. Fusius hæc tractavit Noster, e. c. de Constantia Sapientis.

6. *Si æger animus..... licet.* Morte

advolet[1]? Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum[2]? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem, brevem, retorridam, infelicem[3]? pendet inde libertas. Vides jugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? effugia servitutis sunt. Nimis tibi operosos exitus monstramus, et multum animi ac roboris exigentes. Quæris, quod sit ad libertatem iter? quælibet in corpore tuo vena.

1 XVI. Quamdiu quidem nihil tam intolerabile nobis videtur, ut nos expellat e vita, iram, in quocunque erimus statu, removeamus. Perniciosa est servientibus; omnis enim indignatio in tormentum suum proficit[4], et imperia graviora sentit, quo contumacius patitur. Sic laqueos fera dum jactat, adstringit: sic aves viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est jugum, quod non minus lædat[5] ducentem, quam repugnantem. Unum est levamentum malorum in-

sua sponte consciscenda: ex decretis Stoicorum notissimis.

1. *Hostis..... advolet?* Ad Harpagum spectant, qui Cyrum adscitum adjuvit, ut ulcisceretur Astyagem. Herodot. I, 123, sq.

2. *Vides illum præcipitem*, etc. Enumeratio hic incipit viarum multarum quibus ad mortem facile eundum est, et hæc haud absimilia Juvenalis meminisse cogit: « Quum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons, etc. » Sat. VI, vs. 32.

3. *Vides illam arborem..... infelicem*. De patibulo explices hæc, quod ap. Liv. I, 26, infelix arbor audit. Erat enim formula solennis: caput obnubito, arbori infelici suspendito. Cic. pro Caio Rabirio, perduellionis reo, IV. Cf. Macrob. Saturn. II, 16. Fieri tamen potuit, ut cogitaret Noster de nota Timonis misanthropi, coævi Alcibiadis, historia: quem civibus suis ficum (atram ideoque infelicem), si quis ex ea se suspendere adhuc vellet, commendasse constat e Plutarch. vit. Anton. t. V, pag. 223, cap. 71. Reisk.

XVI. Arg. Continentia iræ et servientibus et regibus utilis est: hi autem plusquam cæteri periclitantur, si quando subditos patientiæ suæ tædium ceperit.

4. *Omnis enim..... proficit*. Quisquis enim indignatur, nihil inde sibi parit, nisi cruciatus alios longe graviores.

5. *Ducentem*. *Jugum ducere* est *trahere* leniter, ita ut laxum illud pendeat, non tendatur violenter.

gentium, pati, et necessitatibus suis obsequi [1]. Sed quum 2
utilis sit servientibus, affectuum suorum, et hujus præcipue rabidi atque effrænis continentia, utilior est regibus. Perierunt omnia, ubi quantum suadet ira, fortuna permittit, nec diu potest, quæ multorum malo exercetur, potentia stare [2]: periclitatur enim, ubi eos qui separatim gemunt, communis metus junxit. Plerosque itaque modo singuli mactaverunt, modo universi, quum illos conferre in unum iras publicus dolor coegisset. Atqui 3
plerique sic iram, quasi insigne regium, exercuerunt; sicut Darius [3], qui primus, post ablatum Mago imperium, Persas et magnam partem Orientis obtinuit. Nam quum bellum Scythis indixisset, Orientem cingentibus, rogatus ab Œbazo [4] nobili sene, ut ex tribus liberis unum in solatium patri relinqueret, duorum opera uteretur; plus quam rogabatur pollicitus, omnes se illi dixit remissurum, et occisos in conspectu parentis abjecit: crudelis futurus, si omnes abduxisset!

XVII. At quanto Xerxes facilior? Qui Pythio [5], quin- 1

1. *Unum est.... obsequi.* Hoc Stoicorum decretum erat: quanquam et antea in necessitudinis jugo, cui temere resistant homines, commendando multi erant Veteres, et poetæ inde ab Homero, et cæteri auctores, e. c. Herodot. lib. I, cap. 91.

2. *Nec diu potest..... stare.* Conf. lib. II, cap. 11.

3. *Sicut Darius.* Hystaspis filius, Mago interfecto, rex Persiæ creatus Scythis bellum intulit. Crudelitatem, in Œbazum commissam, tradidit Herodot. IV, 84. Scythiæ geographiam dedit idem scriptor diligentissimus, IV, 99, sq. quem egregie illustravit Heeren. (*Ideen uber die Politik. etc. der vornehmsten Vœlker der alten Welt.* Tom. II). Mediam autem Asiæ fere partem tenuere Scythæ, nomadico vivendi genere utentes.

4. *Œbazo.* Libri fere: *Orobazo*: quin Erasmus præstat: *Oraborto.* Sed est Οἰόβαζον ap. Herodot. lib. IV, cap. 84, unde Noster sua hausit

XVII. Arg. Antecedentia exempla probare pergit peregrinis.

5. *Pythio.* De Pythio Lydo, qui Celænis, urbe Phrygiæ, habitabat, narratio exstat ap. Herodot. VII, 27, 38, 39, aliquanto diversa a Nostro: nam Xerxes Pythio non fertur id permissse, ut quem vellet eligeret, sed Pythius extemplo maximum natu elegisse.

que filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit; deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab utroque viæ latere posuit, et hac victima lustravit exercitum. Habuit itaque[1] quem debuit exitum: victus, et late longeque fusus[2], ac stratam ubique ruinam suam cernens, medius inter suorum cadavera incessit. Hæc barbaris regibus feritas in ira fuit, quos nulla eruditio, nullus literarum cultus imbuerat!
2 Dabo[3] tibi ex Aristotelis sinu regem Alexandrum, qui Clitum carissimum sibi et una educatum, inter epulas transfodit, et manu quidem sua, parum adulantem, et pigre ex Macedone ac libero in Persicam servitutem
3 transeuntem. Nam Lysimachum[4], æque familiarem sibi, leoni objecit. Numquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc quum ipse regnaret, mitior fuit? Nam Telesphorum[5] Rhodium amicum suum undique decurtatum, quum aures illi nasumque abscidis-

1. *Habuit itaque.* Rex, non exercitus, habuit eamdem sortem, quæ miserrimo patri acciderat, cujus filii corpore exercitum lustraverat.

2. *Late longeque fusus.* Ad Thermopylas, Salamina, Platæam, Mycalen; quæ celeberrima nomina hic scripsisse satis est.

3. *Dabo.* Verbo tantum monemus, Aristotelem iræ defensorem hic a Nostro tangi; Alexandrum autem in Aristotelis *sinu*, i. e. familiaritate et disciplina, fuisse constat. Etiam de *Clito* omnia nota esse possunt ex Curtio, VIII, 1, al.

4. *Nam Lysimachum.* Tò *nam* involvit sæpe periodum omissam (exempla dat Manutius ad Cic. Epp. ad Divers. III, 11); quasi diceretur: non unum Clitum crudeliter mulctavit; *nam*....... Cæterum Lysimachum ab Alexandro leoni objectum esse, negat Q. Curtius, lib. VIII, capp. 1, 17, ubi vid. Intpp. Plinius tamen H. N. VIII, 21, Bip. et Pausan. I, IX, p. 32, ed. Facii, aliique a Senecæ parte stant. Cf. et Nostratem *Sainte-Croix* in lib. *Examen critique des historiens d'Alexandre.* Hæc vero sequensque historia, Plutarcho in libro de Exsilio non prætermissa, ab Hieronymo Cardiano profectæ esse videntur, quem quidem in historia successorum Alexandri conscribenda accusationes in Lysimachum, contra quem una cum Philippo unoculo, rege Macedonum pugnaverat (Lucian. VIII, 120 Bip.) accumulasse tradit Pausanias, lib. I, cap. 9, p. 35.

5. *Nam Telesphorum* Perperam placuit nonnullis emendari: *Non*

set, in cavea[1] velut novum animal aliquod et inusitatum diu pavit; quum oris detruncati mutilatique deformitas
humanam faciem perdidisset. Accedebat fames et squalor 4
et illuvies corporis, in stercore suo destituti, [2] callosis super hæc genibus manibusque, quas in usum pedum angustiæ loci cogebant [3]; lateribus vero attritu exulceratis, non minus fœda quam terribilis erat forma ejus visentibus; factusque pœna sua monstrum, misericordiam [4] quoque amiserat: tamen quum dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur; dissimilior erat, qui faciebat.

XVIII. Utinam ista sævitia intra peregrina mansisset 1
exempla, nec in romanos mores cum aliis adventitiis vitiis [5], et suppliciorum irarumque barbaria transisset! M. Mario [6], cui vicatim populus statuas posuerat, cui thure et vino supplicabat [7], L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit; et quasi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paulatim et per singulos
artus laceravit. Quis erat hujus imperii minister? quis, 2

Telesphorum. cf. not. præced. init.

1. *Cavea.* θηριοτροφεῖον, in quo belluæ detinentur.

2. *Callosis.* Id est, callo obductis, quoniam genua et manus decurtatæ fuerunt.

3. *Quas.... cogebant.* Pro: Quibus cogebant uti quasi pedibus.

4. *Misericordiam.* Int. visentium.

XVIII. Arg. Accedunt romana exempla.

5. *Vitiis.* Avaritia, luxuria, quæ, asiaticis a populis in Italiam translata, Urbem rapide pervasere.

6. *M. Mario.* Marc. Marius Gratidianus, vir prætorius a fratre C. Marii, septies Consulis, adoptatus, ideoque et Marianæ factionis, turbulentus homo. In prætura, una cum tribb. pleb. edictum de re nummaria communiter conscriptum, in quo pecuniæ pretium illis turbulentis temporibus incertissimum constituebatur, ipse solus, collegis insciis, quin etiam invitis, publice edixit. Quæ res ei magno honori fuit. « Omnibus vicis, ait Cic. de Offic. III, 20, 5, p. 720. Heusing. statuæ; ad eas thus, cerei. » Plura dat Ernesti Ind. Hist. M. Gratidius. Heusinger Gratidios (p. 689) confudisse videtur. Noster locus classicus est in hac atrocissima re, quocum Lucan. Pharsal. II, 125, sqq. conferri potest.

7. *Cui thure et vino supplicabat.* In omnibus edd. est: *cui thure et vino Romanus populus supplicabat.* sed eliminavi e textu, adstipulantibus codd. bonæ notæ, ipsoque nexu flagitante. Et Gronovio placuit.

nisi Catilina, jam in omne facinus manus exercens? hic illum ante bustum Q. Catuli[1] carpebat, [2] gravissimus mitissimi viri cineribus : supra quos vir mali exempli, popularis tamen, et non tam immerito quam nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat. Dignus erat Marius qui illa pateretur, Sylla qui juberet, Catilina qui faceret; sed indigna Respublica quæ in corpus suum pa-
3 riter et hostium et vindicum[3] gladios reciperet. Quid antiqua perscrutor? Modo C. Cæsar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Betilienum Bassum[4] quæstorem suum procuratoris sui filium, aliosque et equites romanos et senatores[5] uno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa. Deinde adeo impatiens fuit differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas ejus sine dilatione poscebat, ut in xysto[6] maternorum horto-

1. *Q. Catuli.* Q. Catulus, C. Marii collega, in bello cimbrico celeberrimus, qui post a C. Mario proscriptus semetipsum interfecit. (Ernesti Ind. hist. Cic. *Wezel* ad Cic. Brut. pag. 296 sq.) Bustum ejus trans Tiberim erat, ubi Marium *carpebat*, i. e. interficiebat.

2. *Gravissimus.* Lipsii cod. *gravissimus livor*, unde facere voluit: *grav. liquor* vel potius *gravissimo liquore*, de inferiis χοαῖς cogitans ob sequens *stillicidia*. Non assentior: tautologia enim esset manifestior. — *Gravissimus*; inimicissimus.

3. *Vindicum* Muretus e conjectura mutavit in *civium*, nescio quare. Est omnium librorum lectio : spectat enim manifeste ad Sullanos, vindicare se et asserere oppressam Rempubl. in libertatem præ se ferentes. — *Reciperet.* Hoc est, admitteret.

4. *Betilienum Bassum* (antea : *Belienum Bassum*) Gronov. restituit, doct. *de St.-Amand* et Rubenium secutus. Et de Sexto Papinio et de Cassio Betillino (sic appellat Dion. Cass. LIX, 15) exposuit Dio ejusque epitomator Zonaras (Cf. Intpp. ad Dion. Cass. l. mem.) eodem modo, quo Noster : præterquam quod ille Betilienus Bassus apud Dionem et Zonaram *Cassius Betillinus* nominatur. Libri scripti : *Bethienum*, *Bethenum*, *Bidienum*, *Betlienum*, *Bethlienum*. Betilienus Bassus occurrit in veteri nummo.

5. *Aliosque et eq. rom. et senatores* ad Erasmi ed. ordinavi : antea : *alios senatores et equites Romanos*. Mox *ingens crudelitas* : antea *ingentem crudelitas*. Feci e lectione cod. ap. Gruter. *inquies crudelitas*. Ejus crudelissimus animus poposcit hanc voluptatem.

6. *Xysto.* Ambulatione sub divo ante porticum. *Ernesti* Clav. Cic. Significat autem Seneca, porticum de-

rum, qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret. Quid instabat? quod periculum, aut privatum, aut publicum una nox minabatur? quantulum fuit, lucem exspectare denique, ne senatores populi romani soleatus occideret[1]!

XIX. Quam superbæ fuerit crudelitatis, ad rem pertinet scire; quanquam aberrare alio possumus videri, et in devium exire: sed hoc ipsum pars erit iræ super solita sævientis. Ceciderat flagellis senatores: ipse effecit, ut dici possit: Solet fieri. Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima sunt, fidiculis, [2] tabularibus, equuleo, igne, vultu suo. Et hoc loco respondebitur, magnam rem, si tres senatores[3], quasi nequam mancipia,

siisse in istum xystum, qui ripæ Tiberis, ad quem fluvium horti matris Agrippinæ erant, prætextus interventu suo porticum a ripa diviserit. Plin. Epp. V, 6. Hæc sana Gronovii explicatio facit, ut Lipsii et Gruteri emendd. supersedere possimus.

1. *Quantulum fuit, lucem exspectare denique, ne senat. p. r. soleatus occideret.* Interpunctionem a Grutéro et Tanaq. Fabro institutam, a Gronovio autem rejectam, reduxi. Antea erat: *quantul. f. l. exspectare? denique occideret.* Sensus poscere videtur: Quam exigua mora fuisset, lucem denique (saltem, demum) exspectare, ne ut a convivio recens habituque dissoluto (id est, soleis indutus) tantos viros velut infimæ notæ homines occideret? Dio Cass. lib. LIX, c. 7, fin. narrat: antiquis temporibus et judices publice sententias tulisse, interdum æstatis tempore soleatos, et Augustum soleatum fuisse solennibus ludis; Tiberium tamen hunc morem abrogasse; nunc a Caligula tempore ludorum reductum. Igitur dedecori esse non potuit senatoribus occidi a Caligula, qui judex soleatus sequenti die sederet; sed hoc illis dedecori esse debebat, quod nocturno et domestico habitu indutus eos occideret, quasi nequam mancipia.

XIX. Arg. In Caligulæ crudelitatem invehitur. Conferendi sunt Suetonius, et Dio Cass. lib. LIX.

2. *Tabularibus.* Id est, tabulæ, Lipsio interprete, inter tormenta admotæ, quibus adstrictis arctatisque homo comprimebatur et elidebatur: ut *fidiculæ*, i. e. funes et *equulei* ad extendendum hominem adhibitæ. Cf. de Brevit. vit. 18. Erant pœnæ servorum.

3. *Tres senatores.* At plures antea nominaverat? Si recte habet hic numerus, explicatio τοῦ *aliosque* in antecedentibus esse videtur. Vereor tamen, ne *illustres* aut tale quid loco τοῦ *si tres* in textu fuerit. *Si* præterea apodosi caret.

inter verbera et flammas divisit, homo qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat[1], ut populus romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum et unum diem
2 cogeret! Quid tam inauditum quam nocturnum supplicium? quum latrocinia tenebris abscondi soleant; animadversiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt. Et hoc loco respondebitur mihi: Quod tantopere admiraris[2], isti belluæ quotidianum est; ad hoc vivit, ad hoc vigilat, ad hoc[3] lucubrat. Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inserta spongia includi,
3 ne vocis emittendæ haberent facultatem. Cui unquam morituro non est relictum, qua gemeret? Timuit, ne quam liberiorem vocem extremus dolor mitteret, ne quid, quod nollet, audiret. Sciebat autem innumerabilia esse quæ objicere illi nemo, nisi periturus, auderet. Quum spongiæ non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit. Quæ ista sævitia est? liceat ultimum spiritum trahere[4]: da exituræ locum: liceat illam non per vulnus[5] emittere.

1 XX. Adjicere his longum est, quod[6] patres quoque occisorum eadem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit, id est, homo misericors luctu liberavit. Non enim Caii[7] sævitiam, sed iræ malum propositum

1. *Qui optabat.* Idem narrant Sueton. Cal. 30, Dio Cass. LIX, 13.

2. *Quod tantopere admiraris.* Quod stuporem tibi tantum incutit.

3. *Luçubrat.* Meditatur.

4. *Liceat..... trahere.* Quod quidem fieri nequibat pannis in os insertis. *Tradere* est Lipsii conjectura, haud probanda.

5. *Non per vulnus.* Per os igitur, quæ spiritus via præcipua est.

XX. Arg. Alia exempla iracundiæ crudelis: inprimis Cambysæ.

6. *Quod* a Lipsio est. Antea: *quot, quos.*

7. *Non enim Caii.* Ita autem Nostro propositum est iræ malum describere, ut inde eluceat, quantopere utilis sit iræ continentia et ipsis regibus. Cf. ibid. cap. 16.

est describere ; quæ non tantum viritim furit [1], sed gen-
tes totas lancinat, sed urbes, sed flumina, et tuta ab
omni sensu doloris converberat. Sicut rex [2] Persarum, 2
totius populi nares recidit in Syria ; inde Rhinocolura
loci nomen est. Pepercisse illum judicas, quod non tota
capita præcidit ? novo genere pœnæ delectatus est. Tale
aliquid passi forent Æthiopes, qui ob longissimum vitæ
spatium Macrobii [3] appellantur. In hos enim, quia non
supinis manibus exceperant servitutem [4], missisque le-
gatis libera responsa dederant, quæ contumeliosa reges
vocant [5], Cambyses fremebat : et non provisis commea-
tibus, non exploratis itineribus, per invia, per arentia
trahebat omnem bello utilem turbam : cui [6] intra primum
iter [7] deerant necessaria, nec quidquam subministrabat
sterilis et inculta humanoque ignota vestigio regio : sus-
tinebant famem primo tenerrima frondium, et cacumina
arborum [8], tum coria igne mollita, et quidquid necessitas
cibum fecerat : postquam inter arenas radices quoque

1. *Viritim furit.* In viros furorem suum explicat, in singulos bacchatur. Opponitur *viritim* τῷ *gentes totas* et *urbes*.

2. *Rex Persarum.* Diod. Siculus de rege Æthiopiæ, Altisane, hanc fabulam narrat : qui Ægyptum a se expugnatam quum a latronibus vastari intellexisset, captis nares resecari et in desertis Ægypti Syriæque finibus habitare jussit : urbe eorum a curtatis naribus Rhinocolura appellata. Meminit et Plinius H. N. lib. V, cap. 13.

3. *Macrobii.* Id est (a græcis voc. μακρὸς, longus, βίος, vita), longævi. Herodot. lib. III, cap. 19, sqq.

4. *Exceperant servitutem.* Catenis et jugo cervicem et manus sponte obtulerant, et colla victori ante pugnam submittebant. *Supinis manibus* de more supplicantium esse patet.

5. *Quæ contumeliosa reges vocant.* Subaudit : Et quæ revera libera animosaque sunt.

6. *Cui*, i. e. turbæ. Gronovio non arridet τὸ *cui*, ut quod sermonem dissolutum et elumbem reddat : emend. ideo, *quum*. At id est, Senecam ad formulam aliquam elegantiæ fingere velle. *Bello utilem turbam* ne quis inutilem fuisse putet ; sequitur enim : *Servabantur interim illi*, etc.

7. *Cui intra primum iter*..... Est enim regio illa in finibus inculta et sterilis, ut et recentiores, qui illam adiere, narrant.

8. *Cacumina arborum.* Velut teneriora. Herodot. lib. III, cap. 25 ; simplicius : ποιηφαγέοντες διέζωον.

et herbæ defecerant, apparuitque inops[1] etiam animalium solitudo, decimum quemque sortiti, alimentum ha-
3 buerunt fame sævius[2]. Agebat adhuc ira regem[3] præcipitem, quum partem exercitus amisisset, partem comedisset; donec timuit, ne et ipse vocaretur ad sortem: tum demum signum receptui dedit. Servabantur interim illi generosæ aves[4], et instrumenta epularum camelis vehebantur: quum sortirentur milites ejus, quis male periret, quis pejus viveret.

1 XXI. Hic iratus fuit genti, et ignotæ, et immeritæ, sensuræ tamen; Cyrus flumini. Nam quum Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden[5] late fusum amnem vado transire tentavit; quod vix tutum est etiam quum
2 sensit[6] æstatem, et ad minimum deductus est. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehementer commovit regem; juravit itaque,

1. *Apparuitque inops*. Id est, jumenta quoque, quibus exercitus utebatur, consumpta erant: Herodoto l. l. præcise τὰ ὑποζύγια memorante. Convenit hæc Nostri narratio de Cambysæ expeditione in omnibus fere cum Herodotea, præterquam quod nonnulla variaverit: ex causa, quinta itineris parte confecta cibos defecisse, quum Seneca intra primum iter, ait, defecisse, nec commeatus provisos. Accedit, quod Noster amplificationem addiderit parum scitam.

2. *Alimentum..... sævius*. Hoc est, commilitones suos voravere; quod tristius est quam fame lenta exstingui: per figuram eam quam Euphemismum Rhetores vocant.

3. *Agebat adhuc ira regem*. Hoc est, pertinax iræ et impos perpetuum sui rex ultioni instabat, nec locorum solitudine deterritus, nec morientium militum gemitu.

4. *Generosas aves*. H. e. rarissimi et præstantissimi generis aves; quales apud romanos Apicios ferebantur avis Numidica, Phasiana avis, Phœnicopterus aliæque plurimæ.

XXI. Arg. Cyri iracundia in fluvium Gynden.

5. *Gynden*. Fluvium Babyloniæ per 360 rivos passim derivatum a Cyro. Herodotus narrat I, 189, 202, V, 52. Dementia ejus in eo conspiciebatur, quod cum omni copiarum vi tam longum tempus sine ullo commodo in hoc fluvio tereret, ob unam causam, ut eum pœna afficeret.

6. *Sensit*. De rebus inanimatis quæ revera nihil sentiunt locutio Nostro familiaris, eaque poetica.

amnem illum regis commeatus auferentem [1], eo se redacturum, ut transiri calcarique etiam a fœminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum [2], et tam- 3
diu assedit operi, donec c et LXXX cuniculis [3] divisum alveum in CCC et LX rivos dispergeret, et siccum relinqueret in diversum fluentibus aquis. Periit itaque et tempus, magna in magnis rebus jactura [4], et militum ardor, quem inutilis labor fregit, et occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hosti cum flumine gerit.

XXII. Hic furor (quid enim aliud voces?) Romanos 1
quoque contigit. C. enim Cæsar [5] villam in Herculanensi pulcherrimam, quia mater sua aliquando in illa custodita [6] erat, diruit, fecitque ejus per hoc notabilem for-

1. ***Regis commeatus auferentem***, sana lectio codd. et edd. ante Pinc. et Muretum, qui dedere: *regiis equis meatum*, ex sola conjectura: Lipsius: *regi*. *Commeatus aufer*. Gronov. cum Lipsio recte exponit: transitum regis impedientem, præcidentem. Dicitur enim Ep. CXX: « Iter hosti aufertur. » Possis tamen *Commeatus* de equis intelligere cum Grutero, quod adeo præferam, modo usus hujus significationis monstretur. *Regi* legas, an *regis*, nihil interest.

2. ***Belli apparatum***. Id est, exercitum admovit.

3. ***C et LXXX cuniculis divisum***: antiqua lectio. Erasmus tamen legi vult: *canaliculis*, usu vocis non probato; quidam libri *curriculis*; Lipsius ingeniose *funiculis*, de vocis *cuniculi* auctoritate dubitantes, quam nunc firmatam esse constat. Rem alioqui fabulosam narravit primus Herodot. lib I, cap. 189: Διελὼν δὲ (τὴν στρατιὴν δίχα), σχοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀγδώκοντα καὶ ἑκατὸν παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ Γύνδεω τετραμμένας πάντα τρόπον. Totum exercitum bifariam divisit, ut et in citeriore et ulteriore fluminis ripa exercitus pars quæque cuniculos suos 180 duceret ad derivandum, qui 360 rivos efficerent.

4. ***In magnis rebus jactura***. Sic fere omnes libri: antea *vanis*. Si res magnas moliris, nullum temporis momentum negligas. *Vanis* tamen sensu bono haud caret.

XXII. Arg. Exempla mansuetudinis.

5. ***C. Cæsar***. Caligula prope Herculanum seu Heracleam, oppidum Campaniæ, incendio Vesuvii sub Tito et postea penitus obrutum. Sueton. Tit. 8. Dio Cass. LXVI, 21, 22, 23.

6. ***Custodita***. Nempe Agrippina major, Agrippina Germanici, in hac villa, quum in insulam Pandatariam in exsilium abiret, custodita est, mox interempta ann. U.C. 786. Sejani fraudibus sub Tiberio hoc factum esse constat e Tacit. Annal. lib. IV, capp. 53, 54, lib. V, capp. 3, 5. Sueton. Tib. 53.

tunam : stantem enim prænavigabamus ; nunc causa di-
2 rutæ quæritur. Et hæc cogitanda sunt exempla, quæ vites ; et illa e contrario, quæ sequaris, moderata, lenia, quibus nec ad irascendum causa defuit, nec ad ulciscendum potestas. Quid enim facilius fuit Antigono, quam duos manipulares duci jubere, qui incumbentes [1] regio tabernaculo [2] faciebant, quod homines et periculosissime et libentissime faciunt, de rege suo male [3] existimabant ? Audierat omnia Antigonus [4], utpote quum inter dicentes et audientem palla interesset : quam ille leviter commovit, et, « Longius, inquit, discedite, ne vos rex
3 audiat. » Idem quadam nocte, quum quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter et inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos qui maxime laborabant : et quum ignorantes a quo adjuvarentur, explicuisset : « Nunc, inquit, maledicite Antigono, cujus vitio in has miserias incidistis ; ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine
4 eduxit. » Idem tam miti animo hostium suorum maledicta,

1. *Incumbentes*. Id est, acclinatos, prope commorantes, assidentes : cf. supra cap. IX, consol. ad Marc. 2. Proprie tentorium dicitur incumbere ad aliud, i. e. adjacere. Exempla quæ laudat J. M. *Heusinger*, Emendatt. e Virg. Ecl. VIII, vs. 16. Ovid. Metam. lib. VI, vs. 335, al. huc non pertinent.

2. *Incumbentes regio tabernaculo* tenemus cum omnibus veteribus. Pincian. dederat : *excubantes*, quod et Lipsius probavit. Mox *palla* recte se habet, codd. nonnullis adstipulantibus : alii *palam*, vel *paullum*. Palla est μίτρα, πέπλος, παραπέτασμα, peplum, mitra, velum.

3. *Existimabant* ex vera Gronov. emendatione. Antea : *qui de rege existimantes* ap. Pincian. et Lipsium. Casaubonus suasit ad Sueton. *ut de rege suo male existiment*. Gronov. intelligit : id est, de rege suo male existimabant.

4. *Antigonus*. Rex Asiæ inter successores Alexandri, qui senex demum mansueto animo esse cœpit, pater Demetrii Poliorcetæ. Vid. Plutarch. tom. VIII (ed. Hutten.), qui eadem de hoc Antigono narrat. Alias sæpe confunduntur perquam inepte Antigoni : vid. de hoc Perizon. ad Ælian. Var. Hist. lib. II, cap. 20. Hunc Antigonum luscum (ἑτερόφθαλμον) totius gentis principem bene vindicat J. M. Heus. ad Cic. de Off. II, 14, 2.

quam civium tulit. Itaque quum in parvulo quodam castello Græci obsiderentur, et fiducia loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni jocarentur, et nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: « Gaudeo, inquit, et aliquid boni spero, si in castris meis Silenum [1] habeo. » Quum hos dicaces fame domuisset, captis sic usus est, ut eos qui militiæ utiles erant, in cohortes describeret, cæteros præconi subjiceret; id quoque se negavit facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. Hujus nepos [2] fuit Alexander, qui lanceam in convivas suos torquebat, qui ex duobus amicis quos paulo ante retuli, alterum feræ objecit, alterum sibi. Ex his duobus tamen, qui leoni objectus est, vixit [3].

XXIII. Non habuit hoc avitum ille vitium, ne paternum quidem [4]. Nam si qua alia in Philippo virtus, fuit et contumeliarum patientia, ingens instrumentum ad tutelam regni. Demochares [5] ad illum, Parrhesiastes [6] ob nimiam et procacem linguam appellatus, inter alios Atheniensium legatos venerat; audita benigne legatione,

1. *Silenum*. Bacchi comitem et silvestre numen quis ignorat? Ob deformitatem Sileni Socrates cum eo comparatur eodem fere modo, quo hic Antigonus, ap. Platon. tom. X, p. 256, a bip. (Wolf. p. 101).

2. *Hujus nepos*. Nostrum hic errasse, manifestum est: Amyntas enim Alexandri avus fuit. Cæterum patet de Cliti cæde, et Lysimacho ad imparem cum feris in arena pugnam exposito sermonem esse.

3. *Ex his duobus....... vixit*. Hoc interpretamenti loco adjectum puto, ait *Ruhkopf*: friget enim vel maxime. Minime, sed sæviorem etiam fera principem eleganter innuit.

XXIII. Arg. Al. exempl. mansuetudinis: Philippus, Alex. P. Augustus.

4. *Non habuit.... quidem*. Hæc ironice in Alexandrum esse elata patet.

5. *Demochares*. Demosthenis nepos ex sorore: Cic. Orat. II, 23: secundum alios ejus ἀνέψιος s. ἀδελφιδοῦς: orator Athen. qui et historiam sui temporis persecutus est: ob dicacitatem Thersites vocatus, qui ex Homeri Iliade satis superque notus est ut dicacissimus et turpissimus omnium Græcorum ad Trojam. Plura dant Hesych. et Suid.

6. *Parrhesiastes*. Græca vox a παῤῥησία, *libertas in dicendo*, quasi a παρὰ ῥέω, intempestive obloquor.

Philippus, « Dicite, inquit, mihi, facere quid possum, quod sit Atheniensibus gratum ? » Excepit Demochares :
2 « Te, inquit, suspendere. » Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est : quos Philippus conticescere jussit, et Thersitam illum salvum incolumemque dimittere. « At vos, inquit, cæteri legati, nuntiate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui
3 ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt. » Multa et Divus Augustus digna memoria fecit, dixitque, ex quibus appareat illi iram non imperasse. [1] Timagenes, historiarum scriptor, quædam in ipsum, quædam in uxorem ejus [2], et in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta [3] : magis enim circumfertur, et in ore hominum est temeraria urbanitas. Sæpe illum Cæsar monuit, ut moderatius lingua uteretur ; perseveranti domo sua interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii [4] consenuit, ac tota civitate direptus est [5]. Nul-
4 lum illi limen præclusa Cæsaris domus abstulit. [6] Historias

1. *Timagenes*. Græcus natione, clarus historicus in antiquitate. Testimonia attulerunt Rubenius et Lipsius ad nostrum locum : inprimis e Contr. XXXIV Senecæ patris, quæ Nostri narrationem confirmant. Plutarch. tom. VII, pag. 218, 219, Hutten. idem affert. Plura dat Fabric. Bibl. Gr. III, 53. Harles.

2. *Uxorem ejus*. Liviam hanc percelebrem, quæ tanta et tam felici calliditate principale matrimonium, principalem fiduciam sibi conciliavit, et, res mira apud Antiquos, non minus senescenti marito imperavit, quam hodiernis in aulis imperare solent fœminæ.

3. *Nec perdiderat dicta*. Nec frustra linguax ea dicteria sparserat quæ vel non exaudiret otiantium urbana malignitas vel mox non recordaretur.

4. *Pollionis Asinii*. Pollio Asinius, philosophus stoicus, orator, poeta idemque historicus, cujus et Epp. ad Ciceronem X, Epp. ad Div. 31, 32, 33, exstant. Libertatem hic strenue tuitus est. Tacit. Annal. III, 75, ib. Intpp. Horat. II, Od. 1. Amicus fuit Timogenis.

5. *Direptus* omnium MSS. lectio : Erasmus dedit : *dilectus ;* alii *delectus*, *directus* ; *direptus* est περισπούδαστος ap. Lucian. II, p. 70. Bip. ubi Hemsterhus. ; cujus amicitia enixe quæritur. Cf. de Brev. vit. c. 7. Item Martial, lib. VII, Epigr. LXXV.

6. *Historias*. Cæteras tamen historias ejus ad hoc usque temporis conservatas docet Quintil. lib. X, cap. 1, et Ammian. lib. XVI, cap. 9.

postea quas scripserat, recitavit, et combussit, et libros acta Cæsaris Augusti continentes in ignem posuit. Inimicitias gessit cum Cæsare; nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quasi fulgure ictum [1] refugit: fuit qui præberet tam alte [2] cadenti sinum [3]. Tulit hoc, ut dixi, Cæsar patienter, ne eo quidem motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat [4]. Nunquam cum hospite inimici sui questus est: hoc duntaxat Pollioni Asinio dixit, θηριοτροφεῖς [5]. Paranti deinde excusationem 5
obstitit; « Et, fruere, inquit, mi Pollio, fruere! » Et quum Pollio diceret: « Si jubes, Cæsar, statim illi domo mea interdicam »; « Hoc me, inquit, putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim? » Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus, nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Cæsar cœperat [6].

XXIV. Dicat itaque quisque sibi, quoties lacessitur: 1
Numquid potentior sum Philippo? illi tamen impune maledictum est. Numquid in domo mea plus possum, quam toto orbe terrarum Divus Augustus potuit? ille tamen contentus fuit, a conviciatore suo secedere. Quid est, quare ego servi mei clarius [7] responsum, et contumaciorem vultum, et non pervenientem usque ad me

1. *Fulgure ictum*, bona lectio; *fulguritum* Lipsius prætulit: alii *fulguris ictum*.

2. *Tam alte*. Hoc est, tam palam simul et tam graviter, ita ut circum resonaret late cadentis strepitus.

3. *Sinum*. His omnibus a τῷ *nemo amicitiam*....... patet Senecam tacite publicam servitutem quæ Claudii et Neronis temporibus fuit, indicare; sed nec tam irridere servientium humiles animos quam imperantium arrogantiam et fastus, quippe qui in causa erant, cur romanis animis tam fœda derepente humilitas obrepsisset.

4. *Manus attulerat*. Id est, eas quasi interfecerat, combustis historiis.

5. Θηριοτροφεῖς. Bestiam nutris.

6. *Fuerat..... cœperat*. Quum antea Timagenem amasset, desiit amicitiam, quoniam Cæsar eum amare cœperat. Alias Noster τὸ *desinere* adhibet pro *iræ finem imponere*: quem usum hic reliquit oppositi scilicet causa.

XXIV. Arg. His exemplis ad iracundiam compescendam utendum est.

7. *Clarius*. Alii *elatius*, *durius*,

murmurationem, flagellis et compedibus expiem? quis
2 sum, cujus aures lædi nefas sit? Ignoverunt multi hostibus: ego non ignoscam pigris, negligentibus, [1]garrulis? Puerum ætas excuset, fœminam sexus, extraneum libertas [2], domesticum familiaritas. Nunc primum offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpe et alias offendit? feramus quod diu tulimus. Amicus est? fecit quod noluit.
3 Inimicus? fecit quod debuit. Prudentiori cedamus: stultiori remittamus; pro quocunque illud respondeamus nobis: sapientissimos quoque viros multa delinquere, neminem esse tam circumspectum, cujus non diligentia aliquando sibi ipsi excidat, neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum casus impingat, neminem tam timidum offensarum [3] qui non in illas, dum vitat, incidat.

1 XXV. Quomodo homini pusillo solatium in malis fuit, etiam magnorum virorum titubare fortunam, et æquiore animo filium in angulo [4] flevit, qui vidit acerba funera etiam ex regia duci: sic animo æquiore feret ab aliquo lædi, ab aliquo contemni, cuicumque venit in mentem, nullam esse tantam potentiam, in quam non incurrat in-
2 juria. Quod si etiam prudentissimi peccant, cujus non error bonam causam habet? Respiciamus, quoties ado-

hilarius, *liberius*. *Clarius* Gronov. recte prætulit coll. I, 16. de Benef. VII, 28; inprimis infra 35, 2, Ep. XLVII, init.

1. *Garrulis*. Hoc est, iis qui hostes nec sunt, nec unquam fuere, et te per negligentiam, pigritiam, loquacitatemve te læserunt.

2. *Libertas*. Quam sibi libertatem extranei esse credunt, quum extraneos alloquuntur. Quod a familiaritate distinguendum, quæ quum libertas est lenis ac grata in dicendo, amicorum erga amicos est.

3. *Timidum offensarum*. Passive, non active. Quasi diceretur: Qui timet ne alios ipse lædat; non: Qui timet ne lædatur.

XXV. Arg. Quum et potentes lacessantur et prudentissimi peccent, injuriæ ferendæ sunt. Certe magni hoc signum animi est.

4. *In angulo*. Pro: in casula, in spatio domus aut agri perexiguo.

lescentia nostra in officio parum diligens fuerit, in ser-
mone parum modesta [1], in vino parum temperans. Si ira-
tus est, demus illi spatium, quo dispicere, quid fecerit,
possit : se ipse castigabit. Denique dabit [2] pœnas; non
est quod cum illo paria faciamus. Illud non venit in du- 3
bium, quin se exemerit turbæ, et altius steterit [3], quis-
quis despexit lacessentes : proprium est magnitudinis
veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad
latratum canum lenta respexit : sic irritus ingenti sco-
pulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus in-
juria perstitit; qui irascitur, motus est. At ille quem 4
modo altiorem omni incommodo posui, tenet quodam
amplexu summum bonum [4]; nec homini tantum, sed ipsi
fortunæ respondet : Omnia licet facias, minor es, quam
ut serenitatem meam obducas [5]. Vetat hoc ratio, cui vi-
tam regendam dedi; plus mihi nocitura est ira, quam
injuria. Quidni plus? illius modus certus est : ista quous-
que me latura sit, incertum est.

XXVI. « Non possum, inquis, pati : grave est, in- 1
juriam sustinere. » Mentiris; quis enim injuriam non
potest ferre, qui potest iram? Adjice nunc, quod id agis,
ut et iram feras, et injuriam. Quare fers ægri rabiem,
et phrenetici verba? puerorum protervas manus? nempe
quia videntur nescire, quid faciant. Quid interest, quo

1. *Parum modesta*. Non, parum verecunda et casta; sed, parum temperata, nimium libera ac petulans.

2. *Denique dabit*, dedi ex edition. Erasm. Habent al. *debeat*, *debet*. Cf. infra, cap. 40, 1.

3. *Altius steterit*. Altiore in tractu habitaverit quam vulgus et insultantium turba.

4. *Tenet quodam amplexu summum bonum*. Id est, quatenus tranquillitate fruitur, ideoque sapientiam illam stoicam consecutus est.

5. *Serenitatem meam obducas*. Serenitati meæ nubes obtendas. Forsan respexit ad celeberrimi Cynici vocem qui Alexandro sciscitanti quid a se peteret, « Removearis, inquit, a meo sole ».

XXVI. Arg. Nec objiciendum est, injuriam ferri non posse. Imprudentes enim injurias inferunt; et pœna

quisque vitio fiat imprudens? imprudentia par in omni-
2 bus patrocinium est. « Quid ergo? inquis, impune illi
erit? » Puta, te velle : tamen non erit. Maxima est
enim factæ injuriæ pœna, fecisse; nec quisquam gra-
vius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ tra-
ditur. Denique ad conditionem rerum humanarum respi-
ciendum est, ut omnium accidentium æqui judices
simus [1]: iniquus autem est, qui commune vitium singulis
3 objecit. Non est Æthiopis inter suos insignitus [2] color;
nec rufus crinis [3] et coactus in nodum apud Germanos.
Utrumque decet [4]. Nihil in uno judicabis notabile aut fœ-
dum, quod genti suæ publicum est. At ista quæ retuli,
unius regionis atque anguli [5] consuetudo defendit; vide
nunc quanto in his justior venia sit, quæ per totum ge-
4 nus humanum vulgata sunt. Omnes inconsulti et impro-
vidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi. Quid le-
nioribus verbis ulcus publicum abscondo? omnes mali
sumus. Quidquid itaque in alio reprehenditur, id unus-
quisque in suo sinu inveniet. Quid illius pallorem, illius
maciem notas? pestilentia est [6]. Placidiores itaque invi-
cem simus; mali inter malos vivimus. Una res nos facere

necessario et quasi sua sponte, eum sequetur qui injuriam fecerit.

1. *Omnium ... judices simus.* Omnia juste æstimemus quæ forte fortuna accidunt, et rerum humanarum naturæ maxime congrua sunt.

2. *Insignitus.* I. e. infamis.

3. *Rufus crinis.* De rufo crine Germanorum, ad Rhenum inprimis incolentium, vide Tacit. de Mor. Germ. cap. 4. Cf. et Nostri Ep. ultimam.

4. *Utrumque decet.* Erasm. et alii. At Gruterus e librorum varietate fecit: *apud Germanos virum dedecet;* nulla interpunctione facta post *Germanos.* Nostra lectio bonum sensum promit et huic loco necessarium et loquendi modo conciso, quo Seneca utitur, congrue expressum.

5. *Anguli.* Ut modo in cap. 25 vidimus; *angulus* hoc in loco spatium designat perangustum. Sic Horatius, lib. II, Od. 6, str. 4: « Ille terrarum mihi præter omnes Angulus ridet. »

6. *Quid illius pallorem....est.* Hoc malum commune nobis omnibus est: nec ii magis sunt culpandi, qui ob luem aliquam communem, si quis inciderit, pallent, quam omnes homines, quum mali sint.

potest quietos, mutuæ facilitatis conventio. Ille mihi jam nocuit; ego illi nondum : sed jam aliquem fortasse læsisti; sed lædes [1].

XXVII. Noli æstimare hanc horam, aut hunc diem; 1
totum inspice mentis tuæ habitum; etiamsi nihil mali fe-
cisti, potes facere. Quanto satius est, sanari injuriam,
quam ulcisci! Multum temporis ultio absumit : multis se
injuriis objicit, dum una dolet. Diutius irascimur omnes,
quam lædimur; quanto melius est, abire [2] in diversum,
nec vitia vitiis componere! Num quis satis constare sibi
videatur, si mulam calcibus repetat, et canem morsu?
« Ista, inquis, peccare se nesciunt. » Primum, quam 2
iniquus est, apud quem, hominem esse [3], ad impetran-
dam veniam nocet! Deinde, si cætera animalia iræ tuæ
subducit, quod consilio carent; eo loco tibi sit, quisquis
consilio caret. Quid enim refert, an alia mutis dissi-
milia habeat, si hoc, quod in omni peccato muta de-
fendit, simile habet, caliginem mentis? Peccavit : hoc 3
enim primum, hoc enim extremum [4]. Non est quod illi
credas, etiamsi dixit : Iterum non faciam. Et iste pec-
cabit, et in istum alius, et tota vita inter errores vo-
lutabitur. Mansuete immansueta tractanda sunt. Quod
in luctu dici solet, efficacissime et in ira dicetur : Utrum
aliquando desines, an nunquam? Si aliquando, quanto
satius est iram relinquere, quam ab ira relinqui? Sin

1. *Sed.* Opponitur τὸ *sed lædes*, non τῷ *sed jam*, etc. at τῷ *ego illi nondum*; quasi esset : Sed aliquem aut jam læsisti, aut mox læsurus es.

XXVII. ARG. Accedit, quod jacturam temporis magnam facimus ultioni indulgentes, et rationem sanam deserimus, immemores imprudentiæ, quæ omnes injurias creat.

2. *Abire in diversum.* Opposita, id est, recta, et sana via incedere.

3. *Hominem esse.* Ideoque errori obnoxium esse. Mox *subducit quod*; i. e. minor ira fit, si cogites, consilio injurias faciendi carent.

4. *Hoc enim primum, hoc enim extremum.* Alii : *Hoc est primum, hoc erit extremum?* probat Lipsius, ratione non addita. Vulgata bonum sensum dat et Seneca non indigna est.

semper hæc cogitatio durabit, vides quam impacatam tibi denunties vitam : qualis enim erit semper tumentis?

1 XXVIII. Adjice nunc, quod nisi bene te ipse succenderis [1], et subinde causas, quibus stimuleris, renovaveris [2], sua sponte ira discedet, et vires illi dies [3] subtrahet: quanto satius est a te illam vinci, quam a se! Huic irasceris, deinde illi; servis, deinde libertis; parentibus, deinde liberis; notis, deinde ignotis. Ubique enim causæ supersunt, nisi deprecator animus [4] accessit. Hinc te illo furor rapiet, illinc alio; et novis subinde irritamentis
2 orientibus, continuabitur rabies [5]. Age infelix, et quando amabis? O quam bonum tempus in re mala perdis! Quanto nunc satius erat, amicos parare, inimicos mitigare, Rempublicam administrare, transferre in res domesticas operam, quam circumspicere, quid alicui possis facere mali, quod aut dignitati ejus, aut patrimonio, aut corpori vulnus infligas! quum id tibi contingere sine certamine ac periculo non possit, etiamsi cum
3 inferiore concurses. Vinctum licet accipias, et ad arbitrium tuum omni patientiæ [6] expositum : sæpe nimia vis cædentis [7] aut articulum loco movit, aut nervum [8] in his,

XXVIII. Arg. Igitur humanitate utaris.

1. *Succenderis*. I. e. iram auxeris.

2. *Causas.... renovaveris*. Hoc est, causas novas tibi finxeris, quibus evanescens jam et elanguescens ira exsuscitetur et crescat.

3. *Dies*. Tempus.

4. *Deprecator animus*. Ratio iram sedans.

5. *Continuabitur rabies*. Ab ira in iram usque et usque desilies ut continuus jam fiat tuus ille furor.

6. *Patientiæ*. Id est, omni supplicio quod pati possibile est, omni injuriæ.

7. *Nimia vis cædentis*, etc. Dum vehementius properantiusque plagas incutis, aut ex articulis unum aliquem e loco suo dimovebis, aut dentem rumpes. Vid. not sq.

8. *Nervum*. Dentibus scilicet; namque dentem qua gingivæ implantatur infixusque sedet, nervus quidam interior pererrat; cui quidem, dum dens vivit, sensus inest, exciso dente abest; ita ut vivat nervus, sed hebescat, neque jam causa sensationum sit; at crediderunt Veteres aut credere visi sunt, exstirpato dente, statim et nervum exstirpari.

quos fregerat, dentibus fixit. Multos iracundia mancos, multos debiles fecit, etiam ubi patientiæ est nacta materiam. Adjice nunc, quod nihil tam imbecille natum est, ut sine elidentis periculo pereat : imbecillos valentissimis
alias dolor, alias casus exæquat. Quid, quod pleraque 4
eorum, propter quæ irascimur, offendunt nos magis, quam lædunt? multum autem interest, utrum aliquis voluntati meæ obstet [1], an desit [2]; eripiat, an non det. Atqui in æquo ponimus, utrum aliquis auferat [3], an neget : utrum spem nostram præcidat, an differat : utrum contra nos faciat, an pro se; amore alterius, an odio nostri.
Quidam vero non tantum justas causas standi contra nos, 5
sed etiam honestas habent. Alius patrem tuetur [4], alius fratrem, alius patruum, alius amicum; his tamen non ignoscimus, id facientibus : quod nisi facerent, improbaremus; immo, quod est incredibile, sæpe de facto bene existimamus, de faciente male.

XXIX. At mehercules vir magnus ac justus, fortis- 1
simum quemque ex hostibus suis, et pro libertate ac salute patriæ pertinacissimum suspicit, et talem sibi civem,
talem militem contingere [5] optat. Turpe est, odisse quem 2
laudes : quanto vero turpius, ob id aliquem odisse, propter quod misericordia [6] dignus est, si captivus [7] in

1. *Obstet.* Voluntate certa lædendi.

2. *Desit.* Negligentia, qua offendimur.

3. *Utrum aliquis auferat....: odio nostri.* Porro hæc inter magna differentia est; et is vere ira nostra, si quando irascendum est, dignus existimandus qui aufert et rursus habendi spem præcidit, qui nos contra odioque nostri injuriam facit.

4. *Alius patrem...... tuetur*, etc. Offendimur, etiamsi alias factum et auctorem laudamus, modo ad nos nihil hæc attineant.

XXIX. Arg. Et ante iram judicium adhibeas.

5. *Contingere.* Fortuna secunda dari.

6. *Misericordia.* Ob imprudentiam, qua nos offendit.

7. *Si captivus....* Interpunctionem mutavi. Antea erat punctum post *dignus est; nec si captivus..........* opus habebat, quo referretur. Inciso

servitutem subito depressus reliquias libertatis tenet, nec ad sordida ac laboriosa [1] ministeria agilis occurrit; si ex otio piger [2] equum vehiculumque domini cursu non exæquat; si inter quotidianas vigilias fessum somnus oppressit; si rusticum laborem recusat, aut non fortiter obit, a servitute urbana et feriata [3] translatus ad durum
3 opus! Distinguamus, utrum aliquis non possit, an nolit: multos absolvemus, si cœperimus ante judicare, quam irasci. Nunc autem primum impetum sequimur: deinde quamvis vana nos concitaverint, perseveramus, ne videamur cœpisse sine causa, et quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. Retinemus enim illam, et augemus [4]; quasi argumentum sit juste ira-
4 scentis, graviter irasci. Quanto melius est, initia ipsa perspicere, quam levia sint, quam innoxia [5]! Quod accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: frivolis turbamur, et inanibus.

1 XXX. Taurum color rubicundus [6] excitat, ad umbram [7] aspis exsurgit, ursos leonesque mappa [8] proritat.

post *est* posito, ibique fine protaseos constituto, incipit apodosis, *Si*.... Sic et J. M. Heusing. suasisse nunc video. Antea nullus sensus aderat.

1. *Sordida ac laboriosa.* Hæc *ministeria* statim explicat.

2. *Ex otio piger.* Quum antea in libertate homo nobilis fuisset.

3. *Servitute.... feriata.* Ea mancipatorum conditio designatur in qua vacatio a laboribus sæpe indicitur.

4. *Et augemus.* Hoc est, et ob id dolentes quod vanis duntaxat frivolisque de causis dolentes, alias iterumque iterumque accersimus, aut accersere tentamus, ita ut quæ levis ira principio erat in immensum augeatur.

5. *Innoxia.* Parum fortunis nostris, delectamentis, votis nocentia.

XXX. Arg. Nam frivola et inania, inprimis frustratio spei, iram nostram sæpe excitant.

6. *Color rubicundus.* Id est, vestis rubra in circis Romæ tauro obtenta, ut hoc artificio exardesceret. Ovid. Met. XII, 102: « Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto, quum sua terribili petit irritamina cornu Pœniceas vestes, elusaque vulnera sentit. » Plutarch. T. VII, pag. 426. Cic. de Divin. II, 16. Hodieque apud Hispanos hoc artificium in pugnis taurorum solemnibus usurpari constat. Martial. de Specta. XIX et XX.

7. *Umbram.* Intell. panno factam. lib. II, cap. 12.

8. *Mappa.* Candicans mota et reciprocata eum irritat.

Omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur
ad vana [1]. Idem inquietis et stolidis ingeniis evenit : re-
rum suspicione feriuntur ; adeo quidem, ut interdum
injurias vocent modica beneficia, in quibus frequentis-
sima, certe acerbissima iracundiæ materia est. Carissi- 2
mis enim irascimur, quod minora nobis præstiterint,
quam mente concepimus, quam quæ alii tulerint [2] ; quum
utriusque rei paratum remedium sit. Magis alteri in-
dulsit? nostra nos sine comparatione delectent [3] ; nun-
quam erit felix, quem torquebit felicior. Minus habeo
quam speravi? sed fortasse plus speravi, quam debui.
Hæc pars maxime metuenda est ; hinc perniciosissimæ
iræ nascuntur, et sanctissima quæque invasuræ. Divum 3
Julium plures amici confecerunt, quam inimici, quorum
non expleverat spes inexplebiles. Voluit quidem ille :
neque enim quisquam liberalius victoria usus est, ex qua
nihil sibi vindicavit, nisi dispensandi potestatem : sed
quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset,
quum tantum omnes concupiscerent, quantum poterat
unus? Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis com-
militones suos, Cimbrum Tullium [4] acerrimum paullo

1. *Vana*. Bona lectio. Alii *ima* et *yma :* unde, cui *vana* displicet, hic colligat licet *inania*. Lipsius hic dubius est, et *Minima* em. At Noster jam lib. II, c. 12. 1, dixerat : « Vanis enim vana terrori sunt ; » unde colligo, vulgatam bene se habere.

2. *Quam quæ alii tulerint*. Tò *quæ* delendum censet Gronov. cf. ad I, 12, II, 26 ; in quibus locis vir doctissimus pronomen quoque eliminaturus erat. Sed non opus est.

3. *Nostra nos.......... delectent*. Illa amemus quæ habemus, bona, dignitates, et voluptatis instrumenta, ad illos non respectantes quibus altiora et ampliora fors indulsit.

4. *Tullium*. De diversa hujus nominis scriptura cf. si tanti est, Ernest. Ind. Hist. ad Cic. qui Tillium per *i*, et Oudendorp. ad Cæsar. B. G. III, 42, qui Tullium per *u* scribendum censet. Vulgatum tuemur. — *Cimbrum Tullium*. Cimber Tullius Jul. Cæsarem potissimum cecidit. Bithyniam provinciam a Cæsare adhuc vivo acceperat, eoque interfecto clam in eam abiit. Ernest. Ind. Hist. Hic L. Cimb. Tullius plura sperasse a Cæsare videtur, quam acce-

ante suarum partium defensorem, aliosque[1] post Pompeium demum Pompeianos.

1 XXXI. Hæc res[2] sua in reges arma[3] convertit, fidissimosque eo compulit, ut de morte eorum cogitarent, pro quibus et ante quos mori votum habuerant[4]. Nulli ad aliena respicienti sua placent. Inde Diis quoque irascimur, quod aliquis nos antecedat, obliti quantum hominum retro sit, et paucis invidentes[5] quantum sequatur

2 a tergo ingentis invidiæ. Tanta tamen importunitas hominum est, ut quamvis multum acceperint, injuriæ loco sit, plus accipere potuisse. Dedit mihi[6] præturam? sed consulatum speraveram. Dedit duodecim fasces[7]? sed non fecit ordinarium consulem. A me numerari voluit annum[8]? sed deest mihi ad sacerdotium[9]. Cooptatus in

pisset, ideoque iratus Cæsaris percussoribus se adjunxerat.

1. *Aliosque*. Ironice adjectum est.

XXXI. Arg. Continuat hæc.

2. *Hæc res*. Id est, frustratio spei.

3. *Sua..... arma*. Id est, propria, subditorum.

4. *Votum habuerant*. Ne hic votum pro solemni sacramento positum putes, quod imperii initio cives imperatori præstare solent, sed pro votis quæ adulatores ad Deos aut nuncupant aut nuncupare sese fingunt. Et forsan de uno tunc cogitavit e Caii Cæsaris aulicis, qui, quum ille ægrotaret, pro principis incolumitate vitam ipse suam pactus erat, pollicitus fore ut sese in amphitheatro feris objiceret; et sane sospes imperator, quum adulantis artificium intellexisset, eum compulit ut promissis suis staret, pugnaretque in arena contra feras.

5. *Invidentes*. Dedi cum Gronov. quod codd. præstabant: id est, qui paucos ante se habent, quibus invideant. *Ingentis invidiæ*: *rigentis* em. Gron. Fortasse placeat: *urgentis*.

6. *Dedit mihi*. Subaudienda vox aliqua est, ut *populus*, vel *Cæsar*, vel *favor*, aliave id genus.

7. *Dedit duodecim fasces...... consulem*. Hic mos in Republica inauditus inde ab Augusti dominatione obtinuit, ut quum ordinarii, tum suffecti consules simul essent: e quibus isti ea tantum re insignitiores fuere, quod initio anni dignitatem iniissent, ideoque ex eorum consulatu annorum supputatio in fastis institueretur. Loc. class. est ap. Dion. Cass. (et ipsum consulem) XLIII, XLVI, ad ann. U. C. 709. Consulatum autem hi consules per aliquot menses, sæpe et tantum per aliquot dies gessere.

8. *A me numerari voluit ann*. Id est, ordinarium cons. me fecit.

9. *Sacerdotium*. Cumulus honorum erat, et quasi clausula: et in omnia sacerdotum collegia simul cooptari licebat.

collegium [1] sum? sed cur in unum? Consummavit [2] di-
gnitatem meam? sed patrimonio nihil contulit. Ea dedit 3
mihi quæ debebat alicui dare : de suo nihil protulit.
Age potius gratias pro his quæ accepisti ; reliqua ex-
specta, et nondum plenum te esse [3] gaude. Inter volupta-
tes est, superesse quod speres. Omnes vicisti? primum
te esse in animo amici tui lætare : multi te vincunt? con-
sidera, quanto antecedas plures quam sequaris.

XXXII. Quod sit in te maximum vitium, quæris? 1
falsas rationes conficis [4] : data [5] magno æstimas, accepta
parvo. Aliud in alio [6] nos deterreat : quibusdam timea-
mus irasci, quibusdam vereamur ; quibusdam fastidia-
mus. Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum
infelicem in ergastulum miserimus! Quid properamus
verberare statim, crura protinus frangere? non peribit
potestas ista, si differetur [7]. Sine id tempus veniat, quo
ipsi jubeamus [8] : nunc ex imperio iræ [9] loquimur : quum
illa abierit, tunc videbimus, quanti sit ista lis [10] æsti-
manda : in hoc enim præcipue fallimur ; ad ferrum ve-
nimus, ad capitalia supplicia, et vinculis, carcere,
fame vindicamus rem castigandam flagris [11] levioribus.

1. *Collegium.* Sacerdotum qui, ut nostri hodie, in societates dividebantur, et *Fratres* vocabantur. Sic erant sacerdotes Augustales, etc.

2. *Consummavit.* E loco humili provexit et ad summa exaltavit.

3. *Plenum te esse.* Omnia te jam ita adeptum esse, ut nihil amplius tibi optandum sperandumque sit.

XXXII. Arg. Differas, et sume magnum animum, potissimum circa pecuniam.

4. *Falsas rationes conficis.* H. e. gallic. *faire un faux calcul.*

5. *Data.* Quæ dantur, eo temporis articulo quo dantur.

6. *Aliud in alio,* etc. Etiamsi sunt, quæ te offendant, idcirco tamen non statim irascaris, ne fallaris.

7. *Si differetur.* Pro : Si istius potestatis usum aliud in tempus distuleris.

8. *Ipsi jubeamus.* I. e. ratione jubente, *ipsi*, αὐτοὶ, imperitantes, non jussi.

9. *Ex imperio iræ.* Imperante ira.

10. *Ista lis.* Qua pœna sit dignus. Vid. supra ad II, 27.

11. *Levioribus* pro *levissimis*; pro superlativo comparativus. Nam parum concinne diceretur vinculis, fame, capitali supplicio leviora flagra;

2 « Quomodo, inquis, nos jubes intueri, quam omnia, » per quæ lædi videmur, exigua, misera, puerilia » sint? » Ego vero nihil magis suaserim, quam sumere ingentem animum [1], et hæc propter quæ litigamus, discurrimus, anhelamus, videre quam humilia et abjecta sint, nulli qui altum quiddam aut magnificum cogitat,
3 respicienda. Circa pecuniam plurimum vociferationis est: hæc fora defatigat, patres liberosque committit [2], venena miscet, gladios tam percussoribus quam legionibus [3] tradit; hæc est sanguine nostro delibuta; propter hanc uxorum maritorumque noctes strepunt litibus [4], et tribunalia magistratuum premit turba, reges sæviunt rapiuntque, et civitates longo sæculorum labore constructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium scrutentur.

1 XXXIII. Libet intueri fiscos in angulo jacentes. Hi sunt, propter quos oculi clamore exprimuntur [5], fremitu judiciorum basilicæ [6] resonant, evocati [7] ex longinquis regionibus judices sedent, judicaturi, utrius justior avaritia sit. Quid si, ne propter [8] fiscum quidem, sed

quum harum rerum nulla flagrum sit.

1. *Sumere ingentem animum.* Hoc est induere altiores spiritus et in magnarum et excelsarum rerum cogitationes sese utcunque protrudere.

2. *Committit.* In jurgia rixasque demittit.

3. *Percussoribus.......... legionibus.* Adspice Annæi perpetuam argutiam qui, ubi gladium nominavit, duplex statim hominum genus distinguit qui gladio utuntur, hi palam et nobili animo, hi sceleste et clanculum.

4. *Noctes strepunt litibus.* Pro: Ædes, per noctem etiam et per genialis tori dulcissimos amplexus, strepere solent litibus.

XXXIII. Arg. Causa iræ, avaritia.

5. *Propter quos oculi clamore exprimuntur.* Alii longius abeunt: *propter quos venæ clamore tumescunt:* variationis causa appicta et postea in textum invecta putem.

6. *Basilicæ.* Ædificia magna et ampla cum porticibus in vicinia fori, judiciis et mercatorum congregationibus apta. Ernesti Clav. Cic.

7. *Evocati.* Equites ex provinciis ad judicia exercenda Romæ, novis tamen civibus non admissis. Plin. H. N. XXXIII, 7. Ernesti Exc. XIV ad Sueton. Monuit Muret. narrasse Plutarch. rem a Græc. primum institutam.

8. *Quid si, ne propter*, etc. De

pugnum æris, aut imputatum [1] a servo denarium, senex sine hærede moriturus stomacho [2] dirumpitur? Quid si 2
propter usuram haud millesimam [3], valetudinarius fœnerator distortis pedibus, et manibus ad comparendum non relictis [4], clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsis morbi accessionibus vindicat? Si totam mihi ex omnibus metallis, quæ quum maxime deprimimus [5], pecuniam proferas, si in medium projicias quidquid thesauri tegunt, avaritia iterum sub terras referente quæ male [6] egesserat; omnem istam congeriem dignam non putem, quæ frontem viri boni contrahat. Quanto risu prosequenda sunt, quæ nobis lacrimas educunt?

summa parvula hic sermonem esse, contextus docet. Accipiam ego de parte vix millesima. At vide infra notam 3.

1. *Imputatum*. Id est, in rationes collatum. A servo reposcit, quod in rem domini erogaverat. Bene sic explicat Gronovius. Pincianus vero et Lipsius *amputatum*, i. e. recisum per fraudem et surreptum: at nullo loco, quo vim vocis monstrarent, addito. *Imputare* esse *assignare*, docet Noster, III, 42, 3.

2. *Stomacho*. Id est, ira.

3. *Millesimam*. Id est, exiguam, quam verebatur iste avarus ne perderet. Alioquin centesimæ, ternæ, et quaternæ centesimæ (partes sortis) in usu erant, ita ut singuli, tres, quatuor asses in mensem solverentur pro centenis, etc. (i. e. 12, 36, 48, *pour cent*, ut dicimus, in annum). Quæ ratio h. l. haudquaquam valet. Si locus sanus est, debitor fœneratori isti, podagra et chiragra laboranti, maxima usuræ, quæ cum anatocismo (*l'intérêt de l'intérêt*) sorti adjecta fuisset, parte soluta, exiguam partem, quæ hic millesima vocatur, solveret, necesse fuisse videtur.

4. *Ad comparendum non relictis*. Omnes libri dant. Pincianus excogitaverat, *computandum modo*: Lipsio defendente; male. Nam vulgata sensum optimum exhibet. Quamvis fœnerator ipse comparere non potest in judicio, *per vadimonia* tamen, i. e. per vades, sibi asses suos vindicat, in ipsis morbi (podagræ et chiragræ) accessionibus. Morbus autem pedes et manus tantopere contraxerat, ut comparere non posset: itaque per sponsores, quibus rem commiserat, causam egit in judicio, s. præsentiam suam per sponsores certo die promisit.

5. *Deprimimus*. Id est, cuniculos agendo, fodiendo tractamus (Hirt. B. G. VIII, 40, « fossæ depressæ occurrunt; » VIII, 9, « imperat....fossam duplicem deprimi. » Cicer. Verr. V, 27). Erasm. al. Lipsius vero, Gron. Bipont. *depromimus*: male; quum hic *metalla* (Nat. Quæst. V, 17), i. e. montes, in quibus aurum argentumque foditur, commemorantur.

6. *Male*. Non sceleste, sed inauspicate, et repugnantibus diis.

1 XXXIV. Cedo nunc persequere cætera, cibos, potiones, horumque causa paratam ambitionem[1], munditias[2], verba, contumelias, et motus corporum parum honorificos[3], et suspiciones, et contumacia jumenta, et pigra mancipia, interpretationes malignas vocis alienæ: quibus efficitur, ut inter injurias naturæ numeretur sermo homini datus.
2 Crede mihi, levia sunt, propter quæ non leviter excandescimus, qualia quæ pueros in rixam et jurgium concitant. Nihil ex his, quæ tam tristes agimus, serium est, nihil magnum. Inde, inquam, vobis ira et insania est, quod exigua magno æstimatis. Auferre hic mihi hæreditatem voluit: hic me diu spe suprema captatum[4] criminatus est: hic scortum meum concupivit. Quod vinculum amoris esse debebat, seditionis atque odii causa est, idem velle.

1 XXXV. Iter angustum rixas transeuntium concitat: diffusa et late patens via ne populos quidem[5] collidit.

XXXIV. Arg. Cæteræ iræ causæ.

1. *Horumque causa paratam ambitionem.* Codd. mirifice variant: al. *ortumque causæ paratam ambitionem*; al. *ortum aram ambitionem*; *ortumque causa, per iram ambit*; *horumque tam paratam ambitionem*. Hinc conj. Lipsius: *horumque causa iratam ambitionem*, vel *horumque causa sæpe iratam*. Rubenius: *parata in ambitionem*. Gronovius: *horumque cura paratam ambitionem*. Nihil muto in hac diversitate et vulgatam lectionem teneo. Fortasse erat: *hortum, pravam ambitionem*. Mox: *immunditias* aberratio libr. et vit. oper. Parag. 2: post *levia sunt* incisum posui.

2. *Munditias.* Hoc est, elegantiarum supellectilem omnem, et quod pretiosissimi temporis immensum spatium in ornando corpore elegantuli vulgo consumunt.

3. *Motus corporum parum honorificos.* Quibus alter alteri injuriam facit, exempli causa gestus et incessus imitatione.

4. *Hic me diu spe suprema captatum.* A Rudolfo Agricola est. Ad hæreditatem referunt Lipsius, Ruben. Gronov. ut hæredipeta criminationibus apud orbum ea sit spoliatus: in quo vereor, ne insit tautologia. Quidni spe suprema de dignitate suprema, quam in eo erat ut adipisceretur, sed criminationibus apud principem omitteret (conf. cap. 31, 2), exponamus? Vulgatum itaque defendam.

XXXV. Arg. Pergit, ut causas iræ, in nobis ipsis sitas, detegat.

5. *Ne populos quidem collidit.* Ne

Ista quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad
alterum, nisi alteri erepta, transferri [1] : eadem affectantibus pugnam et jurgia excitant. Respondisse tibi servum
indignaris, libertumque, [2] et uxorem, et clientem : deinde
idem de republica libertatem sublatam quereris, quam
domi sustulisti. Rursus si tacuit interrogatus, contumaciam vocas. Et loquatur, et taceat, et rideat! coram 2
domino? inquis; immo coram patrefamilias. Quid clamas? quid vociferaris? quid flagella media cœna petis, quod servi loquuntur, quod non eodem loco turba
concionis [3] est, et silentium solitudinis? In hoc habes
aures, ut non nisi modulata cantuum et mollia [4], et ex
dulci tracta compositaque accipiant? Et risum audias
oportet, et fletum; et blanditias, et lites; et prospera,
et tristia; et hominum voces, et fremitus animalium latratusque. Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad 3
tinnitum æris, ad januæ impulsum? quum tam delicatus
fueris, tonitrua audienda sunt. Hoc quod de auribus
dictum est, transfer ad oculos, qui non minus fastidio
laborant, si male instituti sunt : macula offenduntur et

immensorum quidem agminum, si gens tota in unum e sedibus suis conglobata ambulaverit, confusio et collisio est.

1. *Nec possunt..... transferri.* Nec feruntur simpliciter possidentis in manus, sed transferuntur; h. e. ab illius palatio, penu, cervice in hujus ædes, arcam, caput, subinde devolant, neque in orbe universo quisquam ditatur quin aliquis spoliatus exstiterit.

2. *Respondisse tibi s. indignaris libertumque :* e codd. ap. Bipont. *liberumque* nullo sensu; de re conf. supra cap. 24, 1.

3. *Turba concionis.* Id est, amicorum congregatorum multitudo et tumultus. *Solitudinis* vero, quod mox sequitur, ad servos referas.

4. *Non nisi modulata cantuum et mollia.* Ap. Lipsium, Gronovium et Bipontinos socios : *ut nisi modulata tantum et mollia*, in qua lectione τὸ *nisi....... tantum* molestiam creat : exspectas autem : *non nisi*, quod ex Erasm. ed. reduxi, τῷ *tantum* in *cantuum* levi mutatione reflexo. Neutris plural. uti interdum solent, inprimis Noster, loco substantivorum. Ad symphonias mensarum (de quibus Petronius et ipse Noster, Ep. II) h. l. alludi, neque per se obscurum videri potest et bene a Lipsio monitum est.

sordibus, et argento parum splendido, et stanno [1] non
4 ad solem perlucente. Hi nempe oculi, qui non ferunt nisi varium [2] ac recenti cura nitens [3] marmor, qui mensam nisi crebris distinctam [4] venis, qui nolunt domi nisi auro pretiosa calcare: æquissimo animo foris et scabras lutosasque semitas spectant, et majorem partem occurrentium squalidam, parietes insularum [5] exesos, ruinosos, inæquales.

1 XXXVI. Quid ergo aliud est quod illos in publico non offendat, domi moveat, quam opinio illic æqua et patiens, domi morosa et querula? Omnes sensus perducendi sunt ad firmitatem: natura patientes sunt, si animus illos destinat [6] corrumpere, qui quotidie ad rationem
2 reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius [7], ut consummato die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira et erit moderatior, quæ sciet sibi quotidie ad

1. *Stanno*. Lipsii judicium sequor. Antea, *stagno*: sensu incongruo; sermo enim est de instrumentis luxuriæ domesticis. De luxu hic memorato cf. de Benef. VII, 9. Meierotto, II, 98, sqq.

2. *Varium*. Hoc est, maculis variis distinctum et colore multiplici, quod Græcis ποικίλον nuncupatur, et Nostratibus a *marmore* (nam marmoris potissimum ea ποικιλότης est) *marbré*.

3. *Recenti cura nitens*. Recenter curatus et a servis tersus; non recentis cælaturæ auxilio figuris ornatus.

4. *Venis*. Ex *vinis* in codd. fecit Erasmus scite: *venis*. Antea: *nævis*. Conf. Plin. Nat. Hist. XIII, 15. — *Distinctam venis*. Tales olim apud Romanos mensæ placuere. Quam ob causam citreas mensas potissimum in deliciis lautiores homines habuerunt.

5. *Insularum*. Id est, ædium vulgarium, a pluribus familiis habitatarum, quarumque parietes cum aliis ædibus non erant conjuncti: oppositæ sunt domus. Ernesti Clav. Cic.

XXXVI. Arg. Quotidie itaque in te inquiras.

6. *Destinat*. *Desinat*. Vulg. lect. quam Lipsius adstipulantibus aliquot codd. mutavit in *desit*, quum e docto et veteri sermone sit petitum. Nostro tamen non familiaris est hæc locutio. Mox occurrit: *desinet ira*.

7. *Sextius*. Conf. ad II, 36. Hanc eamdem rationem secutus est auctor aureorum carminum apud Brunk. Gnomic. pag. 108; 40, sq. Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξα-

judicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac con-
suetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus
post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus, altus
ac liber, quum aut laudatus est animus, aut[1] admonitus,
et speculator sui censorque secretus cognoscit de mori-
bus suis? Utor hac potestate, et quotidie apud me cau- 3
sam dico: quum sublatum e conspectu lumen est[2], et
conticuit uxor moris jam mei conscia[3], totum diem me-
cum[4] scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi
ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex
erroribus meis timeam, quum possim dicere: Vide ne
istud amplius facias, nunc tibi ignosco[5]. In illa disputa-
tione pugnacius locutus es: noli postea congredi cum
imperitis; nolunt discere, qui nunquam didicerunt.
Illum liberius admonuisti, quam debebas; itaque non
emendasti, sed offendisti: de cætero vide, non tantum,
an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur, veri
patiens sit.

XXXVII. Admoneri bonus gaudet: pessimus quisque 1
correctorem asperrime patitur. In convivio quorumdam
te sales et in dolorem tuum jacta verba tetigerunt? vi-

σθαι, Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν· Πῆ παρέβην; Τί δ᾽ἔρεξα; Τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; etc.

1. *Laudatus aut admonitus*. Quum sibi ipse, post sui contemplationem accuratam, aut laudes jure suo tribuit, aut delicta culpasque objicit.

2. *Sublatum e conspectu lumen est*. Ultimam horam innuit qua vigilare homo potest.

3. *Conticuit..... conscia*. Fingit in toro conjugali sapientem acquiescere, et conjugem cum viro de multis loqui. Tamen desinit mariti morem edocta, et tacet.

4. *Totum diem mecum*. Bona lectio. I. q. antea de Sextio dixerat, nunc de se dicit: interrogat animum suum. *Meum* tamen reponere vult Gronov. ex aliquot codd. ut sincerius pariter et elegantius. Non assentior viro doctissimo, *meum diem* explicanti: omnia mea acta diei; sed non advertit, inferre se tautologiam.

5. *Vide ne........ ignosco*. Hoc est: Hac conditione ego tibi delictum condono, ut id statuas dehinc evitandum, caveasque perpetuum ne idem unquam admittas. *Vide* autem est *cave*.

XXXVII. Arg. Præsume animo multa esse patienda.

tare vulgares convictus memento : solutior est post vinum licentia, quia ne sobriis quidem pudor est. Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicujus, aut divitis [1], quod intrantem submoverat : et ipse pro illo iratus
2 extremo mancipio fuisti. Irasceris ergo catenario [2] cani? et hic quum multum latravit, objecto cibo mansuescit; recede longius, et ride. Nunc iste aliquem se [3] putat, quod custodit [4] litigatorum turba limen obsessum : nunc ille qui intra jacet [5], felix fortunatusque est, et beati hominis judicat ac potentis indicium [6], difficilem [7] januam; nescit durissimum esse ostium carceris. Præsume animo,
3 multa esse tibi patienda. Num quis se hieme algere miratur? num quis in mari nauseare, in via concuti? Fortis est animus, ad quæ præparatus venit. Minus honorato

1. *Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicujus, aut divitis*. Locus corruptus est. In codd. *causidici alicujus, aut vidisti;* alii *audisti;* alii *judisci*, nullo sensu. Hinc fecit Muretus : *aut divitis*: Rubenius *judicis* : Gronov. *jurisconsulti*. Mureti conjectura, quamvis non primaria, præferri tamen debet, meo quidem judicio, cæteris. Nomen tamen fuisse videtur, quod beatum ac potentem hominem significaret, ut statim sequentia docent. Cæterum P. Fabrum, qui duo ista vocabula prorsus delenda censebat, non audiendum esse, contextus quemque docebit. Fortasse fuit: *aulici*.

2. *Irasceris...... cani?* Lipsius parum abest, quin de servo janitore intelligat, quoniam veteri more in catena fuerint. At quidni proprie intelligamus, equidem non video. Nemo enim unus dubitat, quin canes religati pro foribus fuerint. Exemplum exstat talis canis apud Sueton. Vitell. cap. 16; Petron. cap. 72 : « Ad januam venimus, ubi canis catenarius tanto nos tumultu excepit, etc. » *Causidici*. Qui h. l. memorantur, locum Oratorum tenuere sub Cæsaribus parum honorifice; lucri enim unius amore causas egerunt, ideoque non sine contemptu vocantur. Tac. de Orat. I, 18. Quint. XII, 1.

3. *Aliquem se putat*. Multum sibi et ingenii et magnitudinis credere, magno æstimare sese. Sic gallic. *Se croire quelque chose*.

4. *Custodit*. Pro : *servat*, *tenet*.

5. *Intra jacet:* In interiore domo et altis sub penetralibus, in lectulo aut longa cathedra super tomentum laconicum et inter pulvinaria haud sedet, at molliter, acflexa cervice jacet.

6. *Judicat..... indicium*. Ponderat, pretioque justo æstimat.

7. *Difficilem januam*. Quæ ægre et divitibus tantum viris aut insignem in civitate obtinentibus locum aperitur; quæ ante quam pateat, diu exspectandum est.

loco positus, irasci cœpisti convivatori, vocatori [1], ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? honestiorem te aut turpiorem potest facere pulvinus? Non æquis quemdam oculis vidisti, quia de ingenio tuo male locutus est. Recipis hanc legem? ergo te Ennius [2], quo non delectaris, odisset? et Hortensius simultates tibi indiceret? et Cicero, si derideres carmina ejus, inimicus esset?

XXXVIII. Vis tu æquo animo pati candidatus suffra- 1
gia [3]? Contumeliam [4] tibi fecit aliquis : numquid majorem quam Diogeni [5], philosopho Stoico? cui de ira quum maxime disserenti, adolescens protervus inspuit : tulit hoc ille leniter ac sapienter. « Non quidem, inquit, irascor;
» sed dubito tamen, an irasci oporteat. » Cato noster 2
melius : cui quum causam agenti, in frontem mediam,

1. *Vocatori*. Vocator, apud Romanos opulentiores, ille servorum appellabatur qui domini nomine ad epulas convivatores invitabat.

2. *Ennius*. Poeta Rudiis e Calabria nat. a. U. C. 514–583, cujus Annales de Bellis Romanorum aliaque poemata non magis in honore erant inde ab ævo Augusteo (Horat. Epp. II, 1, 50, sqq. ubi vid. Intpp.) quam orationes *Q. Hortensii* (nat. a. U. C. 639–703. Cic. Brut. 88. ib. Wezel.) atque ejus æqualis et æmuli *M. Tull. Ciceronis* carmina. Juvenal. X, 122. Quintil. XI, 1; ubi cf. Intpp. Male tamen spretos Tullii versus nemo non judicabit qui eos attente legerit, excepto hoc : « O fortunatam natam! etc. » et ab injusto contemptu vindicavit nostr. *Voltaire*.

XXXVIII. Arg. Majora tibi mala contingere possent.

3. *Vis tu........ suffragia*. Lipsius emendans, *Non vis tu*, doctissime a Gronov. repulsus est, monente, *vis tu*, idem significare, quod : *visne tu, non vis?* Exempla apud eum vide; res enim nunc notior est, quam ut in ea explicanda moremur.

4. *Contumeliam*. In ambienda dignitate, ideoque in suffragiis et judiciis de te ferendis.

5. *Diogeni..... Stoico*. Cui cognomen Babylonii est, etsi Seleucia ad Tigrim sit oriundus. Fuit discipulus Chrysippi et plura scripsit. Cum Carneade Academico, et Critolao Peripatetico ab Atheniensibus Romam missus, ut mulctam ob urbem Oropum direptam iis impositam a Romanis deprecarentur, a. U. C. 598 (Pausan. VII, XI). Apposite observat Pet. Baylius (Dictionn. hist. et crit. *Diogène*, pag. 297, tom. II, 8, edit. 1740), nostro loco adducto : « Il lui échappa une parole qui ne » s'ajustait point parfaitement avec » la doctrine de sa secte. Il devait

quantum poterat attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus [1], ille patrum nostrorum memoria factiosus et impotens, abstersit faciem, et, « Affirmabo, inquit, om- » nibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere. »

1 XXXIX. Contigit jam nobis, Novate, bene componere animum, si aut non sentit iracundiam, aut superior est. Videamus quomodo alienam iram leniamus : nec enim sani esse tantum volumus, sed sanare. Primam iram non audebimus oratione mulcere, surda est et amens : dabimus illi spatium; remedia in [2]remissionibus prosunt; nec oculos tumentes tentabimus [3], vim rigentem [4] movendo incitaturi, nec cætera vitia, dum fervent.
2 Initia morborum quies curat. « Quantulum, inquis, pro- » dest remedium tuum, si sua sponte desinentem iram » placat? » Primum, ut citius desinat, efficit : deinde custodiet, ne recidat : ipsum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet. Removebit omnia ultionis instrumenta [5] : simulabit iram, ut tamquam adjutor, et doloris comes plus auctoritatis in consiliis habeat : moras

» être assuré, en qualité de Stoïque, » qu'il ne devait point se mettre en » colère. » Fabric. Biblioth. Græc. Tom. III, pag. 560. ed. Harl.

1. *Lentulus.* Non M. Cornel. Lentulum Clodianum hic intelligam cum Lipsio (fuit is consul a. U. C. 681 : cf. Freinshem. Suppl. Liv. XCVI, 1; Sallust. fragm. ap. Aul. Gell. Noct. Att. XVIII, 4) : sed P. Cornel. Lentulum Suram, consulem a. U. C. 682, a censoribus ob infamiam vitæ motum e senatu; prætorem a. U. C. 690, M. Tull. Cicerone consule, et mox in carcere, ut participem conspirationis Catilinariæ, strangulatum. Hinc *factiosus* et *impotens* (improbus) audit. Vid. Ernesti Ind. hist. ad Cic. *Os habere* : jocose. Omnes quidem contendunt, te esse sine ore et fronte (i. e. impudentissimum) : at ego pervincam te certe non sine ore esse, e quo mihi inspuisti.

XXXIX. Arg. De lenienda ira aliena. Cf. cap. V.

2. *In remissionibus.* Iis temporum articulis quibus incipiunt mala paullatim molliri et in melius mox resolvenda suæ acrimoniæ aliquid perdere.

3. *Tentabimus.* Id est, movebimus ad videndum ideoque curandum malum.

4. *Vim rigentem.* Id est, nervos, morbositate rigentes, nec cæteros morbos, qui sunt in accessionibus.

5. *Ultionis instrumenta.* Hæc scilicet quibus instruit manus ultio et ad reposcendas pœnas sese accingit.

nectet, et dum majorem quærit pœnam, præsentem differet : omni arte requiem furori dabit. Si vehementior 3
erit; aut pudorem illi cui non resistat, incutiet, aut metum. Si infirmior; sermones inferet, vel gratos, vel novos, et cupiditate cognoscendi avocabit[1]. Medicum[2] aiunt, quum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter[3] fovet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palam admoto : eadem, quia non exspectavit, dolorem tulit.

XL. Quædam non nisi decepta sanantur. Alteri dices : 1
« Vide ne inimicis iracundia tua voluptati sit : » Alteri : « Vide ne magnitudo animi tui, creditumque apud plerosque robur, cadat. » Indignor mehercule, et non invenio dolendi modum, sed tempus exspectandum est : dabit pœnas. Serva istud in animo tuo; quum potueris, et pro mora reddes. Castigare vero irascentem, et ultro obviam ire ei[4], incitare est. Varie aggredieris, blandeque : nisi forte tanta persona eris, ut possis iram comminuere; quemadmodum fecit Divus Augustus, quum cœnaret apud Vedium Pollionem[5]. Fregerat unus ex servis ejus 2

1. *Avocabit.* Alio trahet et ab ultionis cupidine ad nova et plane differentia transire jubebit.

2. *Medicum.* Int. chirurgum, ut nos loquimur, qui scalpellum *induxerit*, admoverit.

3. *Leniter.* In Gronov. et Bipont. operarum vitio : *leviter.*

XL. Arg. Fallas iratum.

4. *Et ultro obviam ire ei* : vulgata lectio, bono sensu : noli castigare iratum, nec statim ei resistere, et vi ab irascendo avocare. Optimi libri et MSS. nostram tuentur lectionem. Diversam et ipsam a bonis libris oblatam, sinceram et unice veram judicat Gronov. *et ultro obirasci* : i. e. irata objurgatione iram velle sedare. Non assentior. Non enim iram, sed austeram eamque manifestam reprehensionem et castigationem contextus hic requirit. Itaque neque Grutero, neque Lipsio irascar, quod ille non verbulo probaret, nec hic meminisset. Equidem *obirasci* ad felices librariorum lapsus ego pertinere putem.

5. *Vedium Pollionem* : a Pinciano restitut. ex Dione ac Plinio : vid. not. Antea : *Atedium P.* ut in Erasm. ed. — *Vedius Pollio.* Unus ex ditissimis et luxuriosissimis equitibus romanis suæ ætatis, quum antea libertus fuisset; amicus Augusti, quem,

crystallinum : rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte : murænis [1] objici jubebatur, quas ingentes in piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriæ causa facere ? sævitia erat. Evasit e manibus puer, et confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Cæsar; et illum quidem mitti [2], crystallina autem omnia coram se frangi jussit, complerique [3] piscinam.
3 nam. Fuit Cæsari sic castigandus amicus : bene usus est viribus suis. E convivio rapi homines imperas [4], et novi generis pœnis lancinari ? si calix tuus fractus est, viscera hominis distrahentur [5] ? tantum tibi placebis, ut ibi aliquem duci jubeas, ubi Cæsar est ?

1 XLI. Si cui tantum potentiæ est, ut iram ex superiori loco aggredi possit, male tractet : at talem [6] dun-

quum a. U. C. 739 moreretur, hæredem ex plurima parte reliquit, in qua et villa Pausilypum inter Neapolin et Puteolos fortasse cum piscina erat. Cf. Dio Cass. LIV, 23, qui et hanc ipsam rem retulit, non tamen sine reprehensione Augusti : more suo sæpe subabsurdo. Et Plin. Nat. Hist. IX, 39, confirmat Vedii Pollionis crudelitatem.

1. *Murænis*. Murænas helenas ait; circa Sardiniam Indiamque orientalem frequentes hæ anguillæ marinæ, inque deliciis habitæ apud Romanos. Quædam hanc in rem collegit Meierotto, II, pag. 179, sqq.

2. *Mitti*. Id est, dimitti, pœna liberari; et Dione referente.

3. *Complerique*. Id est, dejici jussit fragmenta hæc in piscinam. Lipsius proprie intelligit de piscina, terra alioque aggere complenda.

4. *Imperas*. Codex Lipsii : *viperas*, unde Lipsius fecit : *viperis*, vel *ad viperas* : collato de Clement. I, 18, de ipso hoc Vedio : « Servos, qui se aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud, quam serpentibus objici jubebat? » Vulgatam tamen sinceram puto; ingeniosum vero librar. lapsum esse judico.

5. *Viscera hominis distrahentur*. Eodem vocabulo usus est Plin. l. I : « Quia in alio genere (ferarum) totum pariter hominem *distrahi*, spectari non poterat. »

XLI. Arg. Virtutis semper cupidi, animo nostro pacem, atque æquabilitatem demus. Incipit hoc capite conclusio totius commentationis de Ira.

6. *Si cui tantum potentiæ est, ut iram ex superiori loco aggredi possit, male tractet : at talem*..... Hanc lectionem distincte scriptam invenit Rubenius in codice Bruxell. quam veram puto : cf. Gruter. Antea *Sic instandum potentiæ*. *At* omittit ed. Gronov. et Bipont.

taxat, qualem modo retuli, feram, immanem, sanguinariam, quæ jam insanabilis est, nisi majus aliquid
extimuit. Pacem demus [1] animo, quam dabit præce- 2
ptorum salutarium assidua meditatio, actusque rerum boni, et intenta mens ad unius honesti cupiditatem. Conscientiæ satis fiat : nil in famam laboremus : sequatur
vel mala, dum bene merentes [2]. « At vulgus animosa 3
» miratur, et audaces in honore sunt : placidi pro iner» tibus habentur. » Primo forsitan adspectu, sed simul ac æqualitas [3] vitæ fidem facit, non segnitiem illam animi esse, sed pacem, veneratur idem illos populus colitque. Nihil ergo habet in se utile teter ille et hostilis affectus; at omnia e contrario mala, ferrum, ignes : pudore calcato, cædibus inquinavit manus, membra liberorum dispersit. Nihil vacuum reliquit a scelere, non gloriæ memor, non infamiæ metuens, inemendabilis, quum ex ira in odium occalluit [4].

XLII. Careamus hoc malo, purgemusque mentem, et 1
exstirpemus radicitus ea vitia, quæ quamvis tenuia undecunque exierint [5], renascentur; et iram non temperemus, sed ex toto removeamus : quod enim malæ rei

1. *Pacem demus*. Ante *pacem* quædam defecisse hic putat Lipsius. Non assentior. Incipit enim hic conclusio totius commentationis. Mox *merentes* Lipsius dedit e codice suo; antea, *merearis*.

2. *Sequatur..... merentes*. Taceant de nobis posteri; immo minus bene loquantur, dum bene fecerimus.

3. *Simul ac æqualitas*. J. M. Heusinger. delet τὸ *ac*, p. 236 Emendatt. Sed Nostro *simul* pro *simul ac* parum familiare est : occurrit tamen lib. I, cap. 1 (bis). Laudat vir doctus in hac re nunc satis nota Gronov. ad Liv. lib. VI, cap. 1, 6. Burmann. ad Quintil. Declam. lib. V, cap. 15.

4. *Ex ira in odium occalluit*. Nec jam ira duntaxat incensus, at odii flammis omnibus exæstuans, asper et durus maxime est.

XLII. Arg. Mortalitatis nostræ memores simus. Præclara, quanquam brevis commentatio sententiæ Solonis ac Philemonis Comici (ap. Brunk. Gnomic. p. 195, cap. V inserendæ). Ἄνθρωπος ὤν, τοῦτ' ἴσθι, καὶ μέμνησ' ἀεί : hoc et seq. cap.

5. *Exierint*. E codd. dedit Lipsius. Antea, *hæserint*.

temperamentum est? poterimus autem, adnitamur modo.
2 Nec ulla res magis proderit, quam cogitatio mortalitatis; sibi quisque, ut alteri, dicat : « Quid juvat, tanquam in æternum genitos, iras indicere, et brevissimam » ætatem dissipare? Quid juvat, dies quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorem alicujus » tormentumque transferre? » Non capiunt res [1] istæ
3 jacturam, nec tempus vacat perdere. Quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis arcessimus? quid imbecillitatis obliti, ingentia odia suscipimus, et ad frangendum fragiles consurgimus? Jam istas inimicitias, quas implacabili gerimus animo, febris aut aliud malum corporis vetabit geri : jam par [2] acerrimum media [3] mors dirimet. Quid tumultuamur, et vitam seditiosi conturbamus? Stat super caput fatum, et pereuntes [4] dies imputat, propiusque ac propius accedit. Istud tempus, quod alienæ destinas morti, fortasse circa[5] tuam est.

1 XLIII. Quin potius vitam brevem colligis, placidamque et tibi et cæteris præstas? Quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus; desiderabilem, quum excesseris, reddis? Et quid illum, nimis ex alto tecum [6] agentem,

1. *Non capiunt res istæ.* Bona lectio, i. e. *humanæ.* Lipsius e codd. restitutum ivit *res angustæ*, post Pincian. qui *res gestæ* in quibusdam exemplaribus invenit, bene repressus a Gronov.

2. *Par acerrimum.* E gladiatoriis præliis mutuatus est auctor hanc vocem; nam gladiatores semper duo componebantur.

3. *Media mors.* Id est, mors, quæ intervenit. Lipsius emend. *media Parca;* quoniam ejus cod. habebat: *media pars.*

4. *Pereuntes.* Qui nobis imprudentibus effluunt, quos perdimus vanis rebus et frivolis impendentes.

5. *Circa*, e codd. reduxit Lipsius. Antea : *citra*, sensu parum congruo. *Gataker* ad Antonin. pag. 132, 52, legendum censet, *haud citra*; ratione, cur a Lipsio discedat, non allata.

XLIII. Arg. Conclusio operis luculenta et vehementia simul atque dulcedine temperata, quæ argumentorum mole omni ad vitandas simultates, vitandam iram cohortatur, ne cui jaceat cadaver nostrum invisum in tumulo.

6. *Nimis ex alto tecum agentem.* Id est, potentiorem.

detrahere cupis? Quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem et contemptum, sed superioribus acidum ac molestum, exterrere viribus tuis tentas? Quid servo? quid domino? quid regi? quid clienti tuo irasceris? Sustine paullum[1]; venit ecce mors quæ nos pares faciat. Ridere
solemus inter matutina arenæ spectacula[2], tauri et ursi 2
pugnam inter se colligatorum: quos, quum alter alterum vexarit, suus confector[3] exspectat. Idem facimus; aliquem nobiscum alligatum lacessimus: quum victo victorique finis, et quidem matutinus[4], immineat. Quieti potius, pacatique, quantulumcunque superest[5], exigamus: nulli cadaver nostrum jaceat invisum. Sæpe rixam 3
conclamatum in vicino incendium solvit[6], et interventus feræ latronem viatoremque diducit. Colluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus major[7] apparuit. Quid nobis cum dimicatione et insidiis? Numquid amplius isti, cui irasceris, quam mortem optas? etiam te quiescente morietur; perdis operam: facere vis, quod
futurum est. « Nolo, inquis, utique occidere, sed ex- 4

1. *Sustine paullum.* Hoc est, tantisper exspecta. Vox satis usitata hisce temporibus. Martialis, lib. IX, Epig. IV, vs. 13: « Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est. »

2. *Matutina spectacula.* Certamina dabantur (cf. Ep. LXX) Romæ ferarum inter sese colligatarum, ut mutuo sese duntaxat vexarent. Conf. infr. Nostr. de Brevitate vit. cap. 13, ubi: « Primus Sulla leones in circo *solutos* dedit. »

3. *Suus confector*: confectores ferarum inter arenæ ministeria occurrunt, e. c. ap. Sueton. Aug. cap. 43, Ner. 12. Etiam nunc apud Hispanos in usu est, ut confectores ferarum in spectaculis, taurum, in rabiem veste rubra adductum, interficiant; tali modo et Romani usi sunt in feram quæ superior discederet. — *Suus confector.* E codd. Erasm. et Lipsius. Antea: *sus confector.*

4. *Et quidem matutinus.* Lipsius e codd. *æque maturus* antea legebatur.

5. *Quantulumcunque superest.* Suppl. *vitæ.*

6. *Conclamatum..... solvit.* Sæpe qui rixabantur vehementer, dum audiunt e vicini loco conclamari ignem, si non inimicitias, at saltem rixam continuo obliviscuntur.

7. *Metus major.* Majoris mali pavor; unde sensus: Si quid majus derepente expavescendum videtur.

» silio, sed ignominia, sed damno afficere. » Magis ignosco ei, qui vulnus inimici, quam qui insulam [1] concupiscit; hic enim non tantum mali animi est, sed pusilli. Sive de ultimis suppliciis cogitas, sive de levioribus; quantulum est temporis, quo aut ille pœna sua torqueatur, aut tu malum gaudium ex aliena percipias? Jam ipsum spiritum exspuimus [2], interim dum trahimus. Dum inter homines sumus, colamus humanitatem: non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, injurias, convicia, vellicationes contemnamus, et magno animo brevia feramus incommoda. Dum respicimus, quod aiunt, versamusque nos, jam mortalitas aderit.

1. *Insulam* e codd. prætuli. Antea *punctiunculam*, e. c. ap. Erasm. Muretus dederat *pusulam*, quod et Lipsius probavit. Intendenti liquebit, *vulnus inimici* ad mortem, de qua paullo ante sermo erat, spectare, et *insulam*, quæ ut levius quid vulneri opponitur, ad exsilium, ignominiam: ideoque sermonem neque longinquum neque durum esse, quod tamen Lipsius censebat. — *Insulam*. Notum etiam adolescentulis est imperii temporibus solitos optimates in insulis vel Interni vel Ægæi maris relegari. Juvenalis, Sat. I, 73: « Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum. » Tacit. Hist. lib. II: « Plenum exsiliis mare. » Et ipse Annæus in Corsica insula exsulaverat; quam ob causam ne mireris ad insulæ nomen hunc exhorrescere.

2. *Exspuimus*............. *trahimus*. Nostrum exspuimus, alienum extrahimus. Sensus ergo: Jam nos morti propiores advenimus, dum in mortem præcipites alios impingimus.

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD SENECÆ LIBROS

DE IRA.

Il faut connaître cette passion ; il faut la dompter en soi ; il faut l'éviter dans les autres. Quels en sont les symptômes? Quelles sont ses définitions? L'homme colère en est-il la seule victime? Est-elle dans la nature? Est-elle utile, même modérée? Augmente-t-elle la force? Ajoute-t-elle au courage? Y a-t-il des circonstances qui l'excusent, ou qui la justifient? Marque-t-elle une ame faible, ou une ame forte?

Ce traité est adressé à un homme très-doux, à Annæus Novatus, celui des frères de Sénèque, qui prit dans la suite le nom de Junius Gallion.

On a pensé que l'instituteur l'avait écrit à l'usage de son élève ; je n'en crois rien. Les leçons de sagesse qu'il y donne sont si générales, qu'à peine en distinguerait-on quelques-unes applicables aux souverains en particulier, et encore moins au prince dont on lui avait confié l'éducation. Elles ont le caractère de la secte et le ton du Portique ; elles ne sentent en aucun endroit ni le palais de l'Empereur, ni le fond de la caverne du tigre.

Si Sénèque, en généralisant ses préceptes, s'était proposé d'instruire Néron sans l'offenser, il aurait montré de la prudence et de la finesse ; mais cette circonspection se concilie mal avec la franchise d'un Philosophe et la roideur d'un Stoïcien.

Sénèque est ici grand moraliste, excellent raisonneur, et de tems en tems peintre sublime. Une réflexion qui se présente après la lecture de ce traité, c'est qu'il est parfait dans son genre, et que l'auteur a épuisé son sujet.

Si l'on y rencontre quelques opinions hasardées, ce sont des corollaires outrés de la philosophie qu'il avait embrassée.

« La colère est une courte folie, un délire passager..... Les bêtes » sont dépourvues de colère ; » Et pourquoi de la colère, plutôt que de l'amour, de la haine, de la jalousie et des autres passions?...... « C'est que la colère ne naît que dans les êtres susceptibles de » raison.......... » Dites de mémoire et de sentiment. Mais pourquoi les animaux en seraient-ils dénués? Je crains bien que, dans cet endroit et quelques autres, Sénèque n'ait donné des limites trop étroites aux qualités intellectuelles de l'animal.

« Les animaux sont privés des vertus et des vices de l'homme....» Je n'en crois rien, pas plus que l'homme soit privé des vices et des vertus de l'animal; il n'y a de différence réelle, que dans les vêtemens.

« La colère n'est pas conforme à la nature de l'homme..... » Je ne connais pas de passion plus conforme à la nature de l'homme. La colère est un effet de l'injure ; et la sagesse de la nature a placé le ressentiment dans le cœur de l'homme, pour suppléer au défaut de la loi. Il était important qu'il se vengeât lui-même au tems où il n'y avait aucun tribunal protecteur de ses droits. Sans la colère et le ressentiment, le faible était abandonné sans ressource à la tyrannie du fort, et la nature eût fait autour de quelques-uns de ses violens enfans une multitude innombrable d'esclaves.

« La vertu serait bien à plaindre, si la raison avait besoin du secours des vices[1]........ » C'est que les passions ne sont pas des vices; selon l'usage qu'on en fait, ce sont ou des vices, ou des vertus. Les grandes passions anéantissent les fantaisies, qui naissent toutes de la frivolité et de l'ennui. Je ne conçois pas comment un être sensible peut agir sans passion. Le magistrat juge sans passion ; mais c'est par goût, ou par passion, qu'il est magistrat.

Quoi, Sénèque! « Le sage n'entrera pas en colère, si l'on » égorge son père[2], si l'on enlève sa femme, si l'on viole sa fille » sous ses yeux?..... » — Non. Vous me demandez l'impossible, le nuisible peut-être. Il ne s'agit pas de se conduire ici en homme, c'est presque dire en indifférent, mais en père, en fils, en époux. Socrate est en colère, lorsqu'il dit à son esclave : Comme je te battrais, si je n'étais pas en colère !

1. Lib. I, cap. 10. — 2. Lib. I, cap. 12.

« Il est impossible que l'homme de bien n'entre pas en colère » contre le méchant[1], disait Théophraste.....—Ainsi, lui répond » Sénèque, on sera d'autant plus colère, qu'on sera meilleur.... » Vous vous trompez, répliquerai-je à Sénèque ; vous oubliez la distinction que vous avez faite vous-même de l'homme colère, et de l'homme qui se met en colère. Dites : Ainsi, l'indignation contre le méchant sera d'autant plus forte qu'on aimera davantage la vertu, et je serai de votre avis.

L'indignation contre le méchant, la bienveillance pour l'homme de bien, sont deux sortes d'enthousiasme également dignes d'éloge.

« C'est la multitude des méchans qui doit réprimer la colère » du sage...... » C'est, ce me semble, cette multitude qui doit l'irriter. Qu'un pervers soit assis parmi des magistrats, qu'il y ait aux pieds des autels un ministre scandaleux, à peine en serai-je surpris ; mais si la masse d'un sénat ou d'un clergé est corrompue, comment retiendrai-je mon indignation?

« Pourquoi s'irriter contre celui qui se trompe.....? » Le méchant se trompe presque toujours dans son calcul, presque jamais dans son projet. Pour faire son bien, il n'ignore pas qu'il fait le mal d'autrui. S'il n'était que fou, j'en aurais pitié. « S'il fallait se fâcher » contre le méchant, on se mettrait souvent en colère contre soi- » même....» C'est ce qu'on fait, et pas aussi souvent qu'on le devrait.

Pison condamne à mort un soldat pour être retourné du fourrage sans son camarade[2]. Ce soldat présentait la gorge au glaive, lorsque son camarade reparut. Ces deux hommes se tenant embrassés, sont reconduits, aux acclamations du camp, dans la tente de Pison, qui dit à l'un : Toi, tu mourras, parce que tu as été condamné à mourir ; à l'autre : Toi, tu mourras, parce que tu as occasioné la condamnation de celui-là ; et au centurion : Toi, pour n'avoir pas obéi..... A ce récit, dites-moi, que se passe-t-il en votre ame? Est-ce que vous ne criez pas à ces trois malheureux : Lâches, que faites-vous? Quoi! vous vous laissez égorger sans résistance! Suivez-moi : élançons-nous tous les quatre sur cette bête féroce, poignardons-la, et qu'après il soit fait de nous tout ce que l'on voudra ; nous ne mourrons pas du moins sans être vengés. Je le sens au bouillonnement de mon sang ; j'en conviens, c'est la

1. Lib. I, cap. 14. — 2. Lib. I, cap. 16.

passion qui m'emporte, et qui m'associe en ce moment aux trois soldats exécutés, il y a deux mille ans. Mais, si je suis fou, qui est-ce qui osera blâmer ma folie?

Oui, j'ai dit à Lucain, délateur d'Acilia, sa mère : Je te hais, je te méprise ; je ne te lirai plus.... Et je ne m'en dédis pas. A chaque beau vers, à chaque sentiment vertueux, je verrais l'ombre d'Acilia s'élever entre son fils et moi ; et je croirais sans peine que le censeur n'est pas sujet à ces apparitions-là.

Ici, je fais cause commune avec trois soldats, et je ne suis pas le maître de sentir autrement. C'est que chacun a son caractère. Il est des hommes que le vice révolte trop fortement peut-être ; ils ne s'y feront jamais : toute leur vie, ils éprouveront une profonde indignation à l'aspect de l'injustice ; les malheurs publics ou particuliers leur feront verser des larmes ; ils s'affligeront douloureusement sur la vertu qui souffre ; ils seront délicieusement attendris sur la vertu récompensée. Que les événemens se passent à côté d'eux, ou qu'ils se soient passés, il y a deux mille ans, ils y sont également présens. Leur cœur, d'intelligence avec leur imagination, franchit la distance des tems et des lieux. Poètes tragiques, dites-moi, ne sont-ce pas là les spectateurs que vous désirez? Ils sont pourtant bien ridicules.

La passion et la raison ne se contredisent pas toujours ; l'une commande quelquefois ce que l'autre approuve.

La raison est tranquille, ou furieuse.

La différence que Sénèque met entre la colère et la cruauté me paraît juste. L'homme colère est violent ; l'homme cruel est froid.

Mais si le spectacle de l'injustice excite la colère, Socrate ne rapportera jamais dans sa maison le visage avec lequel il en est sorti.... Tant mieux ; Socrate ne m'en paraîtra que plus vertueux.

« Il y a plus d'inconvénient à être craint qu'à être méprisé.... » Assurément ; cependant il vaut mieux inspirer de la crainte, que de s'exposer au mépris.

En parlant de certaines lois, Sénèque dit qu'elles ont été faites contre des hommes qu'on supposait ne devoir jamais exister......... Il me semble que c'est le contraire qu'il fallait dire. La loi serait absurde sans l'existence présupposée d'un coupable, fût-ce d'un parricide, et d'un infracteur : j'ajoute et d'un infracteur ; car il

y a toujours deux délits commis à la fois : l'action proscrite par la loi, et l'infraction de la loi qui proscrit l'action.

Dans le chapitre où Sénèque examine cette pensée, *Qu'on me haïsse, pourvu qu'on me craigne;* il s'écrie : « La crainte ! quelle » compensation à la haine ! Qu'on te haïsse ! eh bien, est-ce » pour qu'on t'approuve....? non.... Pour qu'on t'obéisse....? non..... » Pourquoi donc ? pour qu'on te craigne ! A ce prix, je ne vou- » drais pas même être aimé [1]. »

Parmi les idées de Sénèque, je me plais encore plus à citer celles qui montrent la bonté de son ame, que celles qui montrent la beauté de son esprit, parce que je fais plus de cas de l'une de ces qualités que de l'autre; parce que j'aimerais mieux avoir fait une belle action qu'une belle page; parce que c'est la défense des Calas, et non la tragédie de *Mahomet*, que j'envierais à Voltaire. — Mais ce *Mahomet* est en même tems un ouvrage de génie et une bonne action. — J'en conviens. — Le génie est plus rare que la bienfaisance. — D'accord. — Il se trouva, en un jour, trois cents hommes qui se firent égorger pour la patrie, et parmi ces trois cents hommes, il n'y en avait pas un capable de faire un vers d'Euripide, ou de Sophocle. — Je n'en doute pas ; mais ils sauvèrent la patrie.

Tite-Live dit d'un Romain : « C'était plutôt une ame grande » que vertueuse..... » N'en croyez rien, répond Sénèque; il faut être vertueux, ou renoncer à être grand [2].

O Sénèque, homme si bon, je suis fâché de la préférence que tu donnes au rôle cruel de Démocrite, qui se rit des malheureux humains, sur le rôle compatissant d'Héraclite, qui pleurait sur la folie de ses frères [3].

Je ne crois pas qu'il y eut d'homme moins disposé par caractère à la philosophie stoïcienne que Sénèque; doux, humain, bienfaisant, tendre, compatissant, il n'était stoïcien que par la tête : aussi, à tout moment, son cœur l'emporte-t-il hors de l'école de Zénon.

Il n'y a presque aucune condition dans la société, qui ne puisât dans Sénèque d'excellens préceptes de conduite. Il avait médité l'homme dans la retraite; il l'avait vu en action dans le grand

1. Lib. I, cap. 16, ad finem. — 2. *Ibid.* — 3. Lib. II, cap. 10.

tourbillon du monde. Pères, et vous, instituteurs de la jeunesse, lisez et relisez le chapitre 21 du même livre.

Sénèque emploie souvent des moyens subtils; mais les moyens simples et solides ne lui échappent pas.

« Avec votre égal, la vengeance est douteuse ; avec votre supérieur, c'est une folie ; avec votre inférieur, c'est une lâcheté. »

Le chapitre 30 du livre deuxième est très-beau.

Il dit, chapitre 31 : « Tous les hommes portent, au fond de » leurs ames, les mêmes sentimens que les rois ; ils voudraient » pouvoir tout contre les autres, et que les autres ne pussent rien » contre eux. »

Le beau recueil qu'on formerait des mots singuliers qu'il nous a conservés ! Tel est celui du courtisan à qui l'on demandait comment il était parvenu à une si longue vieillesse (et comment, pouvait-on ajouter, il avait conservé une aussi constante faveur), et qui répondit : *En recevant des outrages, et en en remerciant* [1].

Prexaspe dit à Cambyse, assassin de son fils, dont il vient de percer le cœur d'une flèche : *Apollon lui-même n'aurait pas tiré plus juste*....... Harpage dit à son souverain, qui lui fait servir les têtes de ses enfans, dont il venait de lui faire manger les membres : *Tous les mets sont agréables à la table des rois*....... Et cette bassesse, mon philosophe, remplit votre ame de colère, votre bouche d'imprécations ! Je vous en loue ; mais vous avez oublié vos principes sur la colère. Lorsque vous vous écriez : Un père laisser le meurtrier de son fils sans une vengeance proportionnée à l'atrocité du crime !..... Vous sentez juste ; mais de stoïcien que vous étiez, vous vous êtes fait homme.

C'est, je crois, dans le *Traité de la Colère* qu'il parle du soliloque, la pratique habituelle de Sextius [2]. A la fin de la journée, retiré dans sa chambre à coucher, Sextius s'asseyait sur la sellette. Là, juge et criminel en même tems, il s'interrogeait et se répondait : De quel défaut t'es-tu corrigé aujourd'hui ? Quel penchant vicieux as-tu combattu ? En quoi vaux-tu mieux ? Le vice s'intimidera, quand il saura que tous les soirs il sera mis à la question. Est-il rien de plus louable, de plus utile que cette espèce d'inquisition ! Quel sommeil que celui qui succède à cette en-

1. Lib. II, cap. 33. — 2. Lib. III, cap. 36.

quête ! Qu'il est doux, tranquille, profond, lorsque l'ame a reçu des éloges, des réprimandes et des conseils; lorsque, censeur de sa propre conduite, on a informé sans partialité contre soi ! « Voilà, dit Sénèque, une fonction de la magistrature, que je me » suis réservée : tous les jours je comparais à mon propre tri- » bunal, et j'y plaide pour et contre Sénèque ; je fais, de propos » délibéré et de gré, ce que des circonstances fâcheuses font faire » aux méchans et aux fous...... » Ah ! si j'y avais pensé ! Je n'ai su ce que je disais..... Il ne fallait pas en agir ainsi..... La belle occasion qui m'a échappé ! C'est à l'aide d'une longue expérience et de ces reproches réitérés, qu'on devient peu à peu meilleur, et quelquefois plus méchant; car le méchant systématique a son soliloque comme l'homme de bien : l'un se reproche le mal qu'il a fait ; l'autre, le mal qu'il a manqué de faire.

« La nature nous a formés pour la vertu..... » C'est le préjugé d'un homme de bien qui a oublié ce qu'il a fait d'efforts et de sacrifices pour devenir vertueux. Combien de passions violentes et naturelles dans le franc sauvage ! Dans l'état policé, mille vicieux pour un sage. « Le chemin de la vertu n'est ni roide, ni » escarpé.... » Le chemin de la vertu est taillé dans un roc escarpé. Celui que de longs et pénibles travaux ont conduit à son sommet, s'y tient difficilement : après avoir long-tems gravi, il marche sur une planche étroite et élastique entre des précipices. Sénèque, c'est vous-même qui l'avez dit..... « Éprouver la colère est un » supplice..... » Mais l'étouffer est un tourment..... « Est-il donc si » difficile de se vaincre soi-même ?... » Très-difficile. Quoi de plus pénible, quoi de plus incommode à manier que les passions ? Ce sont vos propres termes. Sénèque montre la vertu facile aux méchans qu'il veut corriger, et facile aux bons qu'il veut encourager.

La raison, sans les passions, serait presque un roi sans sujets.

FINIS LIBRORUM DE IRA.

L. ANNÆI SENECÆ

DE CLEMENTIA

AD NERONEM CÆSAREM.

LIBER I.

ARGUMENTUM LIBRI PRIMI.

I. Introitus laudes Neronis a Clementia continet per prosopopeiam, nec eas quidem falsas, ut deinceps videbimus. II. Ipsa quidem Clementia, ut nonnulli objiciunt, pessimum quemque sustinere potest; sed sæpe quoque tum innocentiæ, tum virtuti, pro temporum conditione, succurrit, et malos interdum ad innocentiam revocat. Verumtamen modus in clementia exercenda tenendus est. III, IV. Transit ad materiæ divisionem. Prima pars est introductionis loco, qua primus hic totus liber absumitur: secunda naturam clementiæ habitumque demonstrat, secundo libro destinata: tertia vero, quæ interiit, in ea versata est, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, eamque usu suam faciat. Ac primum clementiæ utilitas docetur. Decet autem potissimum regem, quippe qui et se et populum felicitati hac virtute donare potest. Est ille caput Reip. subjecti vero membra corporis, quibus parcat et indulgeat. V. Quin est regibus necessaria in copia peccantium, et magno animo vel maxime digna. VI. Si nullus clementiæ locus esset, e. c. in urbe magna, Romæ, quanta solitudo et vastitas futura sit, semper severe puniendo! Peccata autem in naturam humanam cadunt, et usque ad extremum ævi delinquemus. VII, VIII. Deinde ad exemplum Deorum formare se debet princeps: nam et ipsi nobis parcunt. Tum et ipsa regis dignitas et majestas poscunt, ut sit clemens, comparatus cum privatorum turba: negari quidem nequit, regis conditionem esse servitutem, sed servitutem magnitudinis, non posse fieri minorem. Omnia enim regum patent, et minima sævitia protrahitur. IX—XI. Sine hac clementia Augustus, inde a victoria Actiaca, nullam salutem securitatemque adeptus esset. Ignovit L. Cinnæ, quum lassa erat ejus crudelitas. XII. Revertitur hac occasione data ad Neronis laudes a clementia et innocentia. XIII, XIV. Opponuntur tyranni, qui per sævitiam odia, pericula, exitia sibi gignunt. XV, XVI. Bonus princeps e contrario similis est patri bono, et e lenitate crescit ejus auctoritas. Docet hoc Augustus. XVII—XIX. Jam quum multa imperandi genera sint, mite et clemens imperium optimum est, ut in animalibus mutis, ita potissimum in homine, qui maxima arte tractari debet. Medicum itaque bonum imitetur princeps. Hæc moderatio ubique cum fructu adhibetur, et prævalet: gloria quoque major inde comparatur, qua rex cæteros antestare debet. Ipsa adeo natura clementiam adhibet et flagitat. Exemplo sint inprimis apes. Hac arte inexpugnabile munimentum, amor civium, regi comparatur. XX, XXI. Punire tamen debet princeps, aut se, aut alium vindicando. Se vindicet, si opus fuerit, donando temperandove, in his præsertim qui sint inferiores. Egregie hæc tractata sunt. XXII — XXIV. In aliis vindicandis aut emendet improbum, aut cæteros meliores reddat, aut securitatem præstet; sed raro. Paucitas enim pœnarum peccata minuit: crebræ vilescunt et spernuntur. XXV. Crudelitas minime humana est et omni detestatione digna: mala atque exitia inde nascuntur.

L. ANNÆI SENECÆ
DE CLEMENTIA
LIBER PRIMUS.

Cap. I. Scribere de Clementia, Nero Cæsar, instituti, 1
ut quodammodo speculi vice [1] fungerer, et te tibi ostenderem [2], perventurum ad voluptatem maximam omnium. Quamvis enim recte factorum verus fructus sit fecisse, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipsas [3] sit, juvat inspicere [4] et circuire bonam conscientiam, tum

I. Arg. Laudat Neronem Cæsarem a bonitate et clementia ideoque et reipublicæ, seu temporum felicitate, quæ quum figura muliebri adumbratur in nummis cum symbolis pacis, abundantiæ, securitatis (vid. *Heyne*, Opuscc. Ac. Vol. III, pag. 328 sq.) etc. eam hoc capite ferme expressam putaveris: ita sibi et viam munit ad materiam, quam sibi tractandam sumpserat, et invidiam vitat, quasi præcepta daturus sit.

1. *Vice*. Idem fere est ac *partibus* (gallic. *fonction*); hac tamen vigente discrepantia, Deorum, hominum, animantiumve potius esse *partes*, de rebus vero inanimis solum *vices*, ut plurimum, dici.

2. *Te tibi ostenderem*. Ut scias ipse, quam clemens sis. Istud autem loquendi genus de imaginibus quas referre speculum solet, apud Horatium quoque reperias, lib. I, Epist. 5, vss. 21, sqq. « Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares, ne non et cantharus et lanx Ostendat tibi te.... » Quam vero clementiam per quinque annos Nero exercuit, de ea vide quid nos diximus ad lib. II, cap. 1.

3. *Quamvis..... ipsas sit*. Stoicorum dogma est, virtutem propter se ipsam, nulla pretii habita ratione, esse expetendam. Cf. ipse Noster, de Benef. lib. IV, passim, et Ciceronis Paradoxa, inprimis secundum, cui titulus: Ὅτι αὐθαρκὴς ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

4. *Juvat inspicere*. Sic cum Gronovio e codd. dedi. Antea: *juvat tamen inspicere*. Illud *tamen*, præ-

immittere oculos[1] in hanc immensam[2] multitudinem, discordem, seditiosam, impotentem[3], in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam[4], si hoc jugum[5] frè-
2 gerit, et ita loqui secum : « Ego ex[6] omnibus mortalibus » placui[7], electusque sum, qui in terris Deorum vice » fungerer; ego vitæ necisque gentibus arbiter. Qualem » quisque sortem statumque habeat, in manu mea posi- » tum est; quid cuique mortalium fortuna datum velit, » meo ore pronuntiat; ex nostro responso lætitiæ causas » populi urbesque concipiunt. Nulla pars[8] usquam, nisi » volente propitioque me[9], floret. Hæc tot millia gla- » diorum, quæ pax mea[10] comprimit, ad nutum meum

cedente *quamvis*, *licet*, ut eleganter subticeri, docet Gronov. Idem advertere est, de Benef. lib. II, cap. 17, 2; lib. IV, cap. 2, 3; namque Nostro hæc omissio perquam solemnis est. Cf. Cic. de Offic. lib. I, cap. 22, 4, ubi J. M. Heusinger. Schwarzii Tursellin. de Particul. cap. 206, laudat.

1. *Immittere oculos in*, etc. Simili mentis exsultatione luxurians Lucretius, R. Nat. lib. II, vss. 9, sqq. « Despicere unde queas alios, passimque videre Errare, atque viam palanteis quærere vitæ, Certare ingenio, contendere nobilitate, etc. »

2. *Multitudinem*. Subditos, ait *Ruhkopf*. Ego dubito, omnesque nos designari puto, « sive reges, sive inopes erimus coloni, » quicunque affectibus malis obnoxii sumus.

3. *Impotentem*. Se ipsam regere nesciam.

4. *Exsultaturam*. Omnia temere turbaturam, ut jumenta jugo excusso.

5. *Hoc jugum*. Κατ' ἔμφασιν, pro *jugum* simpliciter, quasi diceret, hoc jugum cui submissam eam vides.

6. *Ego ex*, etc. Ea verba quibus se ipsum sapiens princeps alloquitur. Laudat effuse Nostras *Diderot*, et in gallicam linguam felicissime transtulit. Vid. ad calc. hujus operis.

7. *Placui*. Fortunæ nempe vel Providentiæ, cujus imperio res humanas temperari credit Noster. Vid. libr. de Providentia. Idem supplend. cum voce seq. *electus sum*.

8. *Nulla pars*. Generaliter; supp. aut *gentium*, aut *terrarum*, aut *rerum* (*de l'empire*, *des affaires*).

9. *Nisi volente propitioque me*. Quasi de Deo : nam ea formula vetus in precando : « Uti volens propitiusque sis. »

10. *Pax mea*. Bona lectio, quam et Erasmus præstat. Statimque occurrit cap. 8 : « Tibi in tua pace armato vivendum est. » Antea tamen fuerat *pars mea*, quod obscurum et ταυτολογία est. — *Pax mea* est quam ego pacem populis dedi et salvam præsto. De pace autem interiore sermo est, ut in his Horatianis : « Ego nec tumultum, Nec mori per vim metuam, tenente Cæsare terras » (lib. IV, Od. xv, verss 17 et seqq); et his rursus : « Custode rerum Cæsare, non furor Civilis, aut vis eximet

» stringentur : quas nationes funditus exscindi [1], quas
» transportari [2], quibus libertatem dari [3], quibus eripi,
» quos reges mancipia fieri, quorumque capiti regium
» circumdari decus oporteat, quæ ruant [4] urbes, quæ
» oriantur, mea jurisdictio est [5]. In hac tanta facultate 3
» rerum, non ira me ad iniqua supplicia compulit, non
» juvenilis impetus, non temeritas hominum et contu-
» macia, quæ sæpe tranquillissimis pectoribus quoque
» patientiam extorsit : non ipsa ostendendæ per terrores
» potentiæ dira, sed frequens magnis imperiis [6] gloria.
» Conditum, immo constrictum apud me ferrum [7] est,
» summa parcimonia etiam vilissimi sanguinis [8]. Nemo

otium, Non ira quæ procudit enses Et miseras inimicat urbes ». Nam his temporibus bella exstitere tum in Oriente adversus Parthos, tum Germaniam versus cum Frisiis et Ansibariis. Vid. Tac. Annal. lib. XIII.

1. *Exscindi*. Alii *excidi*. Quum idem hæc duo verba valeant, nihil muto. Veteres enim promiscue posuisse videntur. Cf. J. F. Heusing. ad Cic. de Offic. lib. I, cap. 22. — *Quas nationes funditus exscindi*. Ut Carthaginienses, Numantini, aliæque gentes quæ ne nomen quidem suum servavere.

2. *Quas transportari*. Ut factum est in Sicambris, Ubiis, etc. ex more antiquitatis, historia Judæorum testante.

3. *Quibus libertatem dari*. Ut Græcis, Perseo devicto, etc. Quamvis tunc tamen magnarum gentium nulli concessum esset, ut propriis legibus magistratibusque regerentur.

4. *Ruant*. Emphatice pro deserantur, et ad minimum redigantur vel deleantur. Quasi Cæsaris ad vocem, ut terrarum motu ingenti, omnia corruerent et in ruinas solverentur. Vera tamen verba essent, si de Romæ incendio quod paucis post annis idem Nero jussit fieri, loquutus ille esset.

5. *Mea jurisdictio est*. Hoc est, potestatis meæ est. Jurisdictio proprie erat prætorum in judiciis privatis, et fiebat vel edicto, vel judicibus dandis : deinde vero Cæsarum esse cœpit : hinc pro potestate summa dicitur. Cf. Ernesti Clav. Cic. Jurisdictio et Ej. Excurs. II, ad Sueton.

6. *Non ipsa ostendendæ..... gloria*. Tac. Annal. lib. XVI, cap. 23 : « Ut magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum, quasi regio facinore, ostentaret. » Et ipse Noster, de Ira, lib. II, cap. 5, 4 : « Volesus nuper, sub Divo Augusto, proconsul Asiæ, quum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera....., græce proclamavit : O rem regiam ! »

7. *Ferrum est*. In antiquis edd. quibbsd. κῶλον post *est* scriptum fuit. Et *summa parc.* nomin. cas. est.

8. *Summa parcimonia etiam vilissimi sanguinis*. Illius loci credideris meminisse illustriss. v. *Racine*, in notiss. fab. *Britannicus*, Act. IV,

» non, cui alia desint, hominis nomine apud me gra-
4 » tiosus [1]. Severitatem abditam, clementiam in procinctu
» habeo [2]; sic me custodio, tanquam legibus, quas ex
» situ [3] ac tenebris in lucem evocavi, rationem reddi-
» turus sim. Alterius ætate prima motus sum [4], alterius
» ultima : alium dignitati donavi [5], alium humilitati :
» quotiens [6] nullam inveneram misericordiæ causam,
» mihi peperci. Hodie Diis immortalibus, si a me ratio-
» nem repetant, annumerare genus humanum [7] paratus
5 » sum. » Potes hoc, Cæsar, prædicare audacter, om-
nium, quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil
per te, neque vi, neque clam Reipublicæ [8] ereptum.

sc. III, quum sic Neronem Burrhus laudat :

Le sang le plus abject vous était précieux

1. *Gratiosus est.* In quibusdam *gratiosus*. Jussit Pincianus τὸ *est* reponi ex vetere lectione.

2. *In procinctu.* Id est, parata ad exercendum. Locutionem hanc a militibus in prælium proruentibus petitam esse constat.

3. *Ex situ.* Id est, neglectu et contemptu, in quo jacuerant sub Claudio. Legibus hic personam induit, ut Socrates apud Platonem in Criton. pag. 115, sq. T. I, Bip.

4. *Motus sum.* Ut veniam darem, nempe.

5. *Donavi.* Concessi ejus dign. et humil. i. e. ignovi ei propter dignitatem, etc. ejus. Simili modo jam de Ira, lib. II, cap. 21 : « Causæ suæ, et prioribus factis, et bonis in futurum promissis donetur ». Ubi vid. notata.

6. *Quotiens.* E cod. Erford. biblioth. Amplon. in textum restitui, ut Nostro familiare. Antea legebatur : *quoties*.

7. *Annumerare genus humanum.* Ut pastor populorum, ποιμὴν λαῶν, reddere creditos homines. Non eam μεταφορὰν reddidit *Diderot*, quum sic vertit : *Dieux immortels, paraissez ; interrogez-moi sur mon administration, je suis prêt à vous répondre.*

8. *Omnium, quæ in fidem tutelamque tuam venerunt, nihil per te, neque vi, neque clam Reipubl. ereptum.* Locus vexatissimus. Optimi enim codd. hic contaminati sunt : mediæ vero notæ Mss. a librariis sciolisve aucti. Codd. optimi in hac fere lectione conveniunt : *Omnia* (*oïa*) *quæ* (*q̄*) *in fidem tutelam haberi* (*beri*) *nihil* (*n̄*) *per te* (*parte*, *pte*) *neque* (*n;*) *vi*, *neque* (*n;*) *clamari* (*clam a te*) *R. P. Rarissimam.* Sigla, quæ in codd. hic occurrunt, uncinis inclusi. Hinc Gronovius secundis curis fecit : *omnium tuæ fidei et tutelæ rerum nihil per te neque vi neque clam quæri Reip. Quæri* autem ibi esset *desiderari*. Neque tamen hæc, neque alia, quæ Crusius Probabil. pag. 168, etc. proposuerunt, satisfaciunt. In vulgata scriptur. (quam nos ostendimus,

Rarissimam laudem, et nulli adhuc Principum concessam concupisti, innocentiam [1]. Non perdis operam : nec bonitas ista tua singularis ingratos aut malignos æstimatores [2] nacta est; refertur tibi gratia. Nemo unus [3] homo uni homini tam carus unquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque ejus bonum [4]! Sed ingens 6
tibi onus imposuisti [5]; nemo jam Divum Augustum, nec Tiberii Cæsaris prima tempora [6] loquitur : nemo quod te imitari velit [7] exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad anni gustum [8] exigitur. Difficile hoc fuisset, si non

primusque proposuit Pincianus, nuntians in codd. suo et Franciscano eam legi, præter τὸ *omnium* (pro quo *omnia*), offendit repetitio otiosa sententiæ præcedentis. Ante hunc pejora edebantur et a vero certe remotiora. Meliores itaque codd. exspectandi sunt.

1. *Innocentiam.* Hoc est, neminis vitæ, pecuniis, gaudiis nocere.

2. *Malignos æstimatores.* Qui gloriæ tuæ quasi invideant, qui parce laudent. *Malignus* est qui parce dat et quasi invitus. Sic apud Martialem *maligna* basia (in hoc vs. lib. XII, epigr. LV : « Ne sint basia muta, nec maligna, » ubi vide nos.) Aliquando passive accipitur pro *parce data*, ut et idem Martialis, lib. X, Epigrammat. XCVI, vs. 7 et 8 : « Tepet igne maligno Hic focus, ingenti lumine lucet ibi. »

3. *Nemo unus homo.* Quidd. codd. et edd. libb. *Nec unus homo;* alii, *Non unus homo.*

4. *Magnum longumque ejus bonum.* Exclamative, ut e scriptura nostra, quæ et omnium fere est, patet : quasi subaud. esset : *Utinam!*

5. *Sed ingens tibi onus imposuisti.* Id est, necessitatem talem te semper præstandi, ut exemplar esses. Cf. infra Consolat. ad Polybium, cap. 22, 3.

6. *Tiberii Cæsaris prima tempora.* Ipsa Germanici morte hæc tempora terminabantur (vid. Dio Cass. lib. LXVI, cap. 19), sexto imperii ann. U. C. 772. Tunc autem et clementer, et e Republica visus agere ille est : quod et in principum eorum qui sequuti sunt multis pariter advertere fuit, ut in Caligula et ipso Nerone. Et sane, omnibus fere temporibus, « Mitissima sors est Regnorum sub rege novo » (Lucan. Phars. lib. VIII) : sive imperantium animo, insciis ipsis, crudelitas irrepit, dum « Indulgentia fortunæ, novis et pravis magistris, discunt audentque » (Tacit. Hist. lib. II); sive principio fucum sævitiæ suæ illi induunt, merito rati « Novum imperium inchoantibus utilem esse clementiæ famam » (Idem, Hist. lib. IV).

7. *Quod te imitari velit.* Contendit Pincianus scribend. ex vetere lectione *qui te.* Male : nam multo elegantius id dictum : « Exempla quærenti tu tibi exemplar es. »

8. *Ad anni gustum.* Lipsii est hæc primaria emendatio, qua, judice Gronovio, nihil modestius, sagacius, verius. Antea libb. optt. *Augustum*, quæ quidem lectio haud dubie e com-

naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta;
nemo enim potest personam diu ferre. Ficta cito in na-
turam suam recidunt [1]; quibus veritas subest, quæque
(ut ita dicam) ex solido enascuntur, tempore ipso in
7 majus meliusque procedunt. Magnam adibat aleam po-
pulus Romanus, quum incertum esset, quo se statim
nobilis indoles [2] daret. Jam vota publica in tuto sunt:
nec enim periculum est, ne te subita tui capiat [3] oblivio.
Facit quidem avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ
cupiditates sunt unquam, ut in eo, quod contingit [4], de-
sinant; gradus a magnis ad majora fit, et spes impro-
bissimas [5] complectuntur insperata assequuti. Omnibus
tamen nunc civibus tuis et hæc confessio exprimitur,
esse felices: et illa, nihil jam his accedere bonis posse,
8 nisi ut perpetua sint. Multa illos cogunt ad hanc confes-

pendio scribendi: *a gustm* orta est. Proposuerat hanc emendationem Lipsius jam antea in Elect. lib. II, cap. 9. Sensus vero is est: qualem te annus unus exhibuit, talis eris semper (*gustus* enim est pars gustata qua totius dotes judicantur, et idem ferme quod gallice *échantillon*). Primos autem quinque Neronis annos imperii fuisse egregios, satis constat. Cf. Argumentum.

1. *Ficta cito..... recidunt.* Lipsius comparat Cicer. de Offic. lib. II, 12: « Ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt; nec simulatum quidquam potest esse diuturnum. »

2. *Nobilis indoles.* Quæ fere ad magna bona aut magna mala inclinat.

3. *Tui oblivio.* Hoc est, ne te, ne clementissimum tuum ingenium oblivisci videaris, in sæva et injusta lapsus. In his manifestus est Annæus perspicacitatis nimiæ. Ne dubites: suspicabatur jam aut potius clare pervidebat in imperatore tyrannum, in homine belluam: et nitebatur ultimum erumpentem sævitiam cohibere pristinorum commemoratione.

4. *Contingit.* Active sumptum a Seneca ratus est *Ruhkopf*, et eas (*cupiditates* nempe) subaudiri scribit. Sed impersonale verbum est, atque idem valet ac *evenit*, *factum est.*

5. *Spes improbissimas.* Quas qui concipit, nullum aut sperandi aut optandi modum sibi imposuit. Quod ut improbitas quædam et impudentia effrontis viri habebatur, qui quo plura obtinet, eo plura efflagitat. Ita apud Martialem accipi debet *improbum votum*, lib. IV, epigr. 1, vss. 9, 10: « Magna quidem, Superi, petimus, sed debita terris: Pro tanto quæ sunt improba vota viro? » Item lib. XII, epigram. XCVIII, vss. 1, sqq. « Uxor quum tibi sit puella; qualem Votis vix petat improbis maritus, Dives, nobilis, erudita, casta. »

sionem [1], qua nulla in homine tardior est [2]: securitas alta, affluens; jus supra omnem injuriam positum [3]. Obversatur oculis lætissima [4] forma Reipublicæ [5], cui ad summam libertatem nihil deest, nisi pereundi [6] licentia. Præcipue tamen æqualis ad maximos imosque pervenit clementiæ tuæ admiratio. Cætera enim bona pro portione fortunæ suæ quisque sentit, aut exspectat majora minoraque; ex clementia omnes idem sperant. Nec est quisquam, cui tam valde innocentia sua placeat, ut non stare in conspectu clementiam, paratam humanis erroribus, gaudeat.

II. Esse autem aliquos scio, qui clementia pessimum quemque putent sustineri; quoniam nisi post crimen supervacua est, et sola hæc virtus inter innocentes [7] cessat.

1. *Ad hanc confessionem.* Quam? eo nempe beatitudinis ventum, ut nihil jam ultra esse possit, neque implorandum quidquam nisi felicissimi sæculi diuturnitatem.

2. *Qua nulla..... tardior est.* Miseros enim facillime sese clamant homines, beatos difficile.

3. *Jus supra...... positum.* Omnibus nimirum, æquatarum legum beneficio, id contigisse, ut, ne humillimi quidem a potentissimo sua jura violari adspiciant. *Injuria* est *violatio juris*, ut sæpius.

4. *Lætissima. Lectissima* in exemplari Franciscano, quod quidem perelegans, et cæteris optime congruit.

5. *Lætissima forma Reipublicæ.* Principatus, cujus bona infra (capp. 3 et 4) mox enumeraturus est.

6. *Pereundi licentia.* Prior editio: « Nisi pereat licentia ». *Pereundi* idem est ac *semet pervertendi;* sed non de privato quoquam tam dicitur quam de ipsa Republica, cui personam tribuit. Sensus igitur est: *Nisi pereundi licentia.* Omnia bona et summam felicitatem donasti Reipublicæ, attamen custodis eam, ne immodica libertate, quod proprie est *licentia*, utatur ad omnia miscenda et turbanda, ideoque ad interitum.

II. Arg. Clementiæ tamen præstantiam ne credas aut abusu, aut prava, quam multi de ea alunt, sententia infringi: modus tenendus est, ut et malis et innocentibus succurrat clementia. Nam et apud innocentes clementiæ honor est bonis temporibus: deinde tempora interdum tam prava sunt, ut tum fortuna pro culpa sit, tum virtus ipsa non suspicione, immo vero ne pœna quidem careat; quæ ad tempora sub Tiberio, Caio et Claudio referenda esse patet: denique clementia reducit improbos sæpe ad innocentiam.

7. *Nisi post crimen..... cessat.* Hoc est, inutilis illa censenda est, nisi admissum aliquid sceleris est; neque ipsi locus est inter innocuos et probos viros. Clementia est enim *veniam*

Sed primum omnium, sicut medicinæ apud ægros usus, etiam apud sanos honor [1] est: ita clementiam quamvis pœna digni invocent, etiam innocentes colunt. Deinde, habet hæc in persona quoque innocentium locum, quia interim fortuna pro culpa [2] est; nec innocentiæ tantum clementia succurrit, sed sæpe virtuti, quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ
2 possint laudata [3] puniri. Adjice [4], quod magna pars hominum est, quæ reverti ad innocentiam possit. Sed non tamen vulgo ignoscere decet: nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum est, confusio [5] sequitur, et vitiorum eruptio. Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere a deploratis [6] sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem clementiam oportet,

dare; at non delinquentibus quis veniam dabit?

1. *Apud sanos honor est.* Quum aut eos esse se sciant qui in morbum olim cadere possint, aut quum homines alios illius auxilio quotidie ad sanitatem reduci videant.

2. *Fortuna pro culpa est.* Sive quum, aliquid sceleris aut delicti videtur immerito tamen, innocens fecisse, quod in famosis sæpe et capitalibus actionibus accidit; sive, diducta patria in civiles partes, earum pars tu exstiteris, quas belli fortuna damnaverit, etc. Cicer. pro Marcell. cap. 20: « Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim, aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam Reipublicæ. »

3. *Possint laudata puniri.* Si, v. g. capitis reum et damnatum immerito, carceris custos, e carcere effugere sinas; optime quidem fecisti, innocentis caput gladio eripiens; at punieris. Aut si Athenas ab injusta tyrannide liberaturus, vimque vi repellens, Hipparchum feriisses, clam te cives laudavissent, sed superstes Hippias mori jussisset.

4. *Adjice*, etc. Lipsius hic defectum suspicatur. Mihi secus videtur. Hac quippe periodo docet Seneca, clementiam innocentiæ quoque prodesse. Leviter tamen hæc persequitur Noster, quoniam meliori loco reservaturus erat: vid. mox cap. 3 init. Sed ea tota pars periit.

5. *Confusio.* Subaud. *omnium rerum*. Gallice, *des troubles*. Aliquando enim « Salutaris severitas vincit inanem speciem clementiæ » (Cicer. Epist. ad Brut.); neque is bonus princeps qui patiatur hebescere aciem suæ auctoritatis (idem Catilin. I). »

6. *Deploratis.* A rebus funereis desumpta vox. *Deplorati*, h. e. desperati; ii sunt super quorum tumulum comploratum fuit.

nec abscissam [1]; nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli [2]. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet [3].

III. Sed hæc suo loco [4] melius dicentur. Nunc in tres 1
partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit manumissionis [5]; secunda quæ naturam clementiæ habitumque demonstret; nam quum sint vitia quædam virtutes imitantia [6], non possunt secerni, nisi signa quibus dignoscantur impresseris: tertio loco quæremus, quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, et usu suam faciat. Nullam vero ex omnibus vir- 2

1. *Abscissam.* Hoc est, nimis angustam, omni ex parte rescissam.

2. *Tam omnibus...... nulli.* Si quis enim vitiosissimis parcit, ille aliorum perniciem imprudens parat. Sall. in Catil. « Ne sanguinem nostrum largiare; et dum paucis sceleratis parcis, bonos omnes perditum eas. » Immo credit Noster et ait supra (vid. de Ira, lib. I, capp. 15, 16), nocentis etiam quem occidi jubes interesse, ut pereat: « Tollantur e cœtu mortalium, et quo uno modo possunt, desinant esse mali; sed et hoc sine odio. Quid enim est cur oderim eum, cui tum maxime prosum, quum illum sibi eripio?.... Olim miser mori quæris! bene de te merebimur: auferemus tibi istam, qua vexaris, insaniam; et per tua alienaque volutato supplicia, id quod unum bonum tibi superest, tibi repræsentabimus mortem. »

3. *In partem human. præponderet.* H. e. si æqua lance non possunt suspendi veritas et clementia, illa lanx potius gravis sit, quæ clementiæ est.

III. Arg. Divisio libri in tres partes: e quibus prima pergit ad lib. II, cap. 3; ubi secunda orditur; tertia vero pars tota periit. Clementia est virtus, humano generi maxime conveniens et longe humanissima atque utilissima: maxime decet regem. Docet quoque consensus gentium in colendis et tuendis regibus.

4. *Suo loco.* Namque tam longis dissertationibus non est locus ante materiæ distributionem.

5. *Manumissionis.* Novo modo hanc vocem adhibuit, ut sit synon. τοῦ *commendationis*. Nam domini, qui servum libertate donarent, haud dubie hoc ipso actu ut probum hominem declarasse, putandi sunt. Commendat autem clementiam, ut recte observat Lipsius, ejusque necessitatem et fructum ostendit. Rejiculas itaque puto emendd. Lipsii: *manuductionis*; Gronovii *mappamissionis*, etc. *Manumissionis*, id est, manuductionis, χειραγωγίας, εἰσαγωγῆς, præparationis et introductionis.

6. *Vitia quædam virtutes imitantia.* Ut, e. g. dignitatem superbia, constantiam rigor, clementiam ipsam imbecillitas.

tutibus magis homini [1] convenire, quum sit nulla humanior, constet necesse est: non solum inter nos [2], qui hominem, sociale animal [3], communi bono genitum videri volumus; sed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant [4], quorum omnia dicta factaque ad utilitatem suam [5] spectant; nam si quietem petit et otium, hanc virtutem naturæ suæ [6] nactus est, quæ pacem amat
3 et manus retinet. Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quam regem aut principem decet. Ita enim magnæ vires [7] decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est [8]; nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes non tam [9] supra se esse, quam pro se [10], sciunt; cujus

1. *Homini.* Hoc est, omnibus; nam infra, ut mox videbimus, quum *specialius*, quod aiunt, de Clementia agit, ut principi maxime congruam hanc commendabit.

2. *Nos.* Hoc est, Stoicos. Idem dixit de Ira, lib. I, cap. 5, 2; et infra licet de Otio Sap. cap 28, 4.

3. *Sociale animal.* Natum ad conjungendas amicitias et societates. Non hoc tamen Stoicorum proprium et peculiare dogma est, sed quod mox sequitur, *communi bono* hominem *genitum.*

4. *Illos qui...... donant.* De Epicureis sermonem esse patet, qui humanam vitam voluptati tradunt occupandam et imperandam.

5. *Utilitatem suam.* Utilitatem dictorum factorumve quis ferat? non igitur stricte exacteque ad grammaticæ leges, sed rhetorice et logice scripsit Noster, quasi hic esset: Quidquid illi dicunt faciuntve, ad utilitatem suam respiciunt. *Utilitas* porro *sua* est quod gallice appellamus *intérêt personnel.* Clarum id ex Tacit. Histor. libro I, cap. 15: « Et, pessimum veri affectus venenum, sua cuique utilitas. »

6. *Naturæ suæ.* Hoc est: quæ suo ipsius ingenio optime conveniat. *Naturæ suæ* tamen in gignendi casu est, ut in hac phrasi: Naturæ meæ clementia est.

7. *Vires.* Recte Lipsius e codd reduxit. Antea: *virtutes magnis viris dec.*

8. *Magnæ vires decori....... potentia est.* « Nec ulla re propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda. » Cicer pro Ligar. Ibidem tragicus poeta, versibus clarissimis Octav. Ac. II, scen. II: « Pulchrum eminere est inter illustres viros, Consulere patriæ, parcere afflictis, fera Cæde abstinere, tempus atque iræ dare, Orbi quietem, sæculo pacem suo. »

9. *Non tam.* Antea sine *non.* Recepi e cod. Amploniano Erford.

10. *Non tam supra se esse, quam pro se.* Simillimus is Socraticæ sententiæ tenor, apud Xenophont. Me-

curam excubare [1] pro salute singulorum atque universo-
rum quotidie experiuntur; quo procedente, non, tan-
quam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosi-
lierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum
sidus certatim advolant [2], objicere se pro illo mucroni-
bus insidiantium paratissimi, et substernere corpora sua,
si per stragem illi humanam iter ad salutem [3] struendum
sit. Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt; latera 4
objecti circumfusique defendunt; incurrentibus pericu-
lis se opponunt. Non hic est sine ratione populis urbi-
busque consensus, sic protegendi amandique reges [4], et
se suaque jactandi, quocunque desideraverit imperantis
salus. Nec hæc vilitas sui [5] est, aut dementia, pro uno
capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus
unam animam redimere, nonnunquam senis et [6] invalidi.
Quemadmodum totum corpus animo deservit; et quum 5
hoc [7] tanto majus tantoque speciosius sit, ille in occulto

morab. Socr. lib. III : Καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσιν.

1. *Curam excubare*, etc. Audacter, data abstractivæ voci persona. Cæterum sic Consol. ad Polyb. de Claudio: « Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. »

2. *Sed tanquam ad clarum ac beneficum.... advolant*. Exemp. caus. d sidus cometes boni quid portendens. Nat. Qu. lib. VII, cap. 7, fin. Cæterum satis sæpe Veteres astris principes suos comparavere, in quæ etiam eos mutari post mortem dicebant; quos imitatus est *Chénier*, in suo *Tibère*, Act. II, sc. II :

Les princes, les héros, ces astres d'un moment,
S'effacent engloutis dans la nuit éternelle;
Mais Rome leur survit, Rome est seule immortelle.

3. *Ad salutem*. Suam nempe: ob sequentia tamen, ubi idem repetit, interpreteris ad salutem reipublicæ; quamquam prius præfero.

4. *Non hic est sine ratione........ reges*. Elogium principatus in quod primus Romanorum Seneca, tam ubertim, tam vivide se effudit, ne ullum quidem modum principali potentiæ objici petens, nisi quem ipse princeps e placito suo, non e legibus, sibi objiceret.

5. *Vilitas sui est*. Depravati aut dejecti ingenii est, libertatem suam et dignitatem ante principis pedes substernentis.

6. *Senis et invalidi*. Ut Tiberii Claudiique ante editum hoc opus, et dehinc Galbæ, Vespasiani, etc.

7. *Hoc*. Scilicet corpus.

maneat tenuis, et in qua sede latitet incertus; tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt [1]; illum [2] hæc cutis munit; illius jussu jacemus, aut inquieti discurrimus [3]; quum ille imperavit, sive avarus dominus est, mare lucri causa scrutamur [4], sive ambitiosus, jamdudum dexteram flammis objecimus, aut voluntarie [5] subsiluimus: sic hæc immensa multitudo, unius animæ circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur [6].

1 IV. Suam itaque incolumitatem amant [7], quum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, quum in prima fronte procurrunt, et adversa vulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa vertantur. Ille est enim vinculum, per quod Respublica cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipsa per se

1. *Negotium illi gerunt.* Illius ad bonum, illius ad nutum laborant.

2. *Hæc cutis.* Quæ ante oculos nostros sita est. Græcis inprimis familiaris fuit usus non pronominum ἐκεῖνος, οὗτος, ὅδε pro ἐμός: quem imitatur *Voltaire*, *Mahomet*, Act. V, sc. 4, 11:

Ce bras seul que la terre apprit à redouter,
Ce bras peut vous punir d'avoir osé douter.

3. *Illius jussu........ discurrimus.* Nam principum motus a mente esse scimus: « Et ut ipsum mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet » (Cicer. Somn. Scip. sub finem): et corpus κινητὸν est, mens αὐτοκίνητος.

4. *Mare lucri causa scrutamur.* Vid. Horat. centies hanc pecuniæ famem execratum et miratum. Et tragicus Seneca, de prima nave Argo: « Quod fuit hujus Pretium cursus? aurea pellis. » Med. Act. II, sc. III.

5. *Sive ambitiosus.... subsiluimus.* Ad Mucium Scævolam, qui coram Porsenna manum cremabat, et Curtium, qui desiluit in lacum, urbis lustrandæ causa (Liv. lib. I, cap. 13), referas.

6. *Pressura se.......... sustineretur.* Eandem necessitatem exprimit Galba, Tacit. Histor. I, cap. 16: « Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset.... »

IV. Arg. Recte principes regesque a populis defenduntur; nam ipsi defensores tunc se defendunt: recte coluntur, quoniam sine iis nulla unitas ac compages reipubl. esse potest. Et hic, quasi res venturas ante eventum pervideat, canit bella civilia et discordias quæ mortuo Nerone, exstinctaque Juliorum gente, imperium in discrimen prope ultimum adduxere.

7. *Suam itaque incolumitatem amant.* Hoc est, non tam incolumem principem volunt, quam se salvos.

futura, nisi onus et præda, si mens illa imperii [1] subtrahatur.

> ....Rege incolumi mens omnibus una;
> Amisso rupere fidem [2]..............

Hic casus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam 2
populi in ruinas aget [3]. Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frænos : quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos, reponi sibi passus non erit [4], hæc unitas et hic maximi imperii [5] contextus in partes multas dissiliet : idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit. Ideo principes regesque et quocunque alio nomine sunt tutores status [6] publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines.
Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, 3

1. *Imperii*. Bona lectio : modo post *subtrah.* intell. *Reipubl.* Nec opus erit lectione *imperio*, quam cod. Jureti exhibet, nec *imperiis* in cod. Amplon. Erford.

2. *Rege...., fidem*. Versus e Georgic. Virg. lib. IV, vss. 212, 213, desumpti.

3. *Hic casus Romanæ...... in ruinas aget*. Quam bene et apte hujus φράσεως membro priori veritas competat, jam notavimus, quum anno hoc U. C. 821 (post Chr. nat. 68) : « Asserto qui sacer orbe fuit » (Martial. lib. VII, Epigr. LXIII, vs. 10), et eo qui mox secutus est, quatuor bella civilia exarserint, Vindicis nempe, Vitellii, Vespasiani, et Galliarum; sed in inciso posteriore ultra veritatem aliquantulum est, quandoquidem rerum publicarum confusionem non necessarie dissolutio statim consequitur, neque tunc sane consecuta est.

4. *Erit*. Fortasse legebatur *fuerit* : membrorum concinnitate poscente. Sed hanc Noster sæpe neglexit, ideoque nihil muto.

5. *Hæc unitas et hic maximi imperii contextus*. Illud enim in imperio Romano præcipue mirandum fuit, in unum corpus coalescere tot provincias, moribus, cultu, lingua, cælo regionibusque dissimiles. Eamque similiter rerum omnium perturbationem, excusso jugo, Tacitus sic minatur, Histor. lib. IV, cap. LXXIV : « Nam pulsis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud quam bella omnium inter se gentium exsistent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages hæc coaluit; quæ convelli sine exitio convellentium non potest. »

6. *Et quocunque alio nomine sunt tutores status publici*. Ut Ἄρχοντες, præcipueque Ἄρχοντες ἐπώνυμοι, Athenis, Lacedæmone Ἀρχαγέται et Ἔφοροι, apud Hebræos *Judices*, apud Carthaginienses *Suffetæ*, et Romæ denuo, ante imperatorum potentiam, Consules Dictatorque.

sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se Respublica convertit [1]. Olim enim ita se induit Reipublicæ [2] Cæsar, ut seduci [3] alterum non possit sine utriusque pernicie; nam ut illi viribus opus est, ita et huic capite.

1 V. Longius videtur recessisse a proposito oratio mea: at mehercules rem ipsam premit [4]. Nam si, quod [5] adhuc colligitur [6], animus Reipublicæ tu es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam necessaria clementia sit: tibi enim parcis, quum videris alteri parcere [7]. Parcendum itaque est etiam improbandis civibus, non aliter quam membris languentibus: et si quando misso sanguine opus est, sustinendum est [8], ne ultra, quam necesse sit, [9] incidas. Est ergo, ut dicebam [10], clementia omnibus quidem hominibus, secundum naturam, maxime tamen decora im-

1. *In quem se Respublica convertit.* Non ad quem oculos Resp. intendit, sed in quem sese illa mutavit, ut jure suo possit jam dicere: « Respublica ego sum » (*L'État, c'est moi*). Quod sic sumendum esse, ne dubites, attende quæ sequuntur.

2. *Cæsar.* Augustus, qui, libertatis nomine conservato, omnes Reipubl. vires et potestates in se unum accumulavit, ideoque fecit, ut separatio membrorum et capitis non sine magno periculo institui posset. Nisi forsan sermo sit de omni et quolibet Romanorum imperatore, generaliter, sed non credo.

3. *Seduci.* Conjecit Pincianus *deduci;* sed vetus lectio *seduci* apud omnes exstat.

V. Arg. Transit ad Neronem, cui clementiam commendat, non jam ut capiti sed ut animo Reip. qui dum illi aut illius membris parcit, parcit et sibi. Accedit, quod principem magis decet, quam cæteros homines ob potentiam, qua præditus est. Deinde princeps est in terris Dei similis.

4. *Premit.* Tangit, radit; non igitur a proposito recessit.

5. *Adhuc.* Hucusque, hactenus.

6. *Si quod adhuc colligitur.* In vetustt. edd. *Si quis adhuc colligit;* quod intelligi potest: Si quis omnia collegerit quæ hactenus dicta mihi sunt, patet, etc.

7. *Tibi enim..... parcere.* Ob conjunctionem intimam, quæ tibi cum Republ. intercedit.

8. *Sustinendum est.* Hoc est, cohibenda manus, temperandum ab impetu, quasi aliquid foret sub scalpello quod retineret ictum et moraretur.

9. *Incidas.* Legebatur principio *incidat*, vel *insidat.* Primus Pincianus voluit *incidas.*

10. *Ut dicebam.* Supra cap. 3: « Nullam vero ex omnibus virtutibus magis homini convenire..... constet necesse est...... Nullum tamen clementia ex omnibus magis, quam regem aut principem decet.

peratoribus; quanto plus habet apud illos quod [1] servet,
quantoque in majore materia [2] apparet. Quantulum enim
nocet privata crudelitas [3]? Principum sævitia, bellum
est. Quum autem virtutibus inter se sit [4] concordia, nec
ulla altera melior, aut honestior sit; quædam tamen qui-
busdam personis aptior est. Decet magnanimitas quem- 3
libet mortalem, etiam illum infra quem nihil est. Quid
enim majus, aut fortius [5], quam malam fortunam retun-
dere [6]? Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laxio-
rem [7] locum habet, meliusque in tribunali, quam in
plano conspicitur [8]. Clementia in quamcunque domum
pervenerit, eam felicem tranquillamque præstabit; sed
in regia quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est me- 4
morabilius, quam eum, cujus iræ nihil obstat, cujus
graviori sententiæ ipsi, qui pereunt, assentiuntur [9], quem

1. *Plus habet apud illos quod servet.* Tot nempe hominum millia; eorumque fortunas, libertatem, caput; quibus sævus homo, sed privatus, raro obesse potest. Vid. infra: «Quantulum enim, sqq.»

2. *In majore materia.* Provinciarum incolumitate, aut immunitatibus, etc.

3. *Crudelitas.* Bona lectio; cujus in locum cave ne admittas *crudelitate*, auferendi casu.

4. *Quum autem........ sit.* Stoicum dogma est: unam solummodo esse virtutem, s. virtutes inter se pares esse. Cf. Paradoxum III: ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα, et Nostr. de Otio Sap. cap. 31, et quæ hic notavimus.

5. *Majus aut fortius.* Quidam codd. *majus infortuniis*; unde suspicati sunt interpp. *majus in infortuniis.* Sed pleonasmus hinc oriretur, cujus immunis certe Seneca fuit.

6. *Quid enim majus........ retundere?* Hoc fusius libr. de Provident. cap. 2: «Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat,» et quæ sequuntur; ubi vid. nos.

7. *Laxiorem.* Vetus lectio *latiorem.* Item dictionem *magnanimitas* adjectitiam puto. Pincianus.

8. *Hæc tamen.... conspicitur.* Homo summo loco natus et constitutus majorem copiam nactus est magnanimitatem exercendi, ut qui omnium in se oculos convertit. Quod ad τὸ *in tribunali* attinet; ne putes hic magistratum aliquem designari, quem privato opponat κατ' ἀντίθεσιν. Tempore Senecæ vox *tribunal* de loco quocunque editiore in usu esse cœpit. Exemp. caus. Plin. N. H. lib. XVI, cap. 1; Tacit. Annal. lib. II, cap. 83.

9. *Ipsi, qui pereunt, assentiuntur.* Nam «Necessaria est ista doloris refrænatio, utique hoc sortitis vitæ genus, et ad regiam adhibitis mensam.

nemo interrogaturus est [1], immo, si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem [2], ipsum sibi manum injicere [3], et potestate sua in melius placidiusque uti, hoc ipsum cogitantem? Occidere contra legem nemo non potest; servare nemo, præter me [4]. Magnam fortunam magnus animus decet; qui nisi se ad illam extulit et
5 altior stetit, illam quoque infra terram deducit [5]. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, et injurias atque offensiones superne despicere. Muliebre est, furere in ira: ferarum vero, nec generosarum quidem, præmordere et urgere projectos. Elephanti leonesque transeunt, quæ impulerunt [6]: ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæva et inexorabilis ira: non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat [7]: at si dat vitam, si dat digni-

Sic editur apud illos, sic bibitur, sic respondetur: funeribus suis arridendum est. » De Ira, lib. III, cap. 15; quem paullo ante locum, vide Prexaspis et Cambysis historiam. In secundo libro, cap. 33: Unus ex aulicis interrogatus quo pacto in aula senex factus esset, « Injurias, inquit, accipiendo et gratias agendo. »

1. *Interrogaturus* reduxi ex Erasm. codd. Lipsii edd. adstipulantib. Editio Gronov. et Bip. *interpellaturus*. Lipsius explicat: Cur ita fecerit? nedum ut accusaturus.

2. *Nec deprecaturus quidem*. Apud quosdd. edd. legitur *est* inter τὸ *deprec.* et *quidem*; at superfluit.

3. *Ipsum sibi manum injicere*. Id est, impetum suum reprimere, sibi imperare, ut a sæviendo abstineat. Id referendum ad *quid enim est memorabilius, quam.....*

4. *Occidere..... præter me*. Regiæ omnipotentiæ clarissimum jus, et quod gallic. appellamus *droit de grace*.

5. *Illam quoque infra terram deducit*. Tantopere contemptui exponit, ut ille ne vita, adspectu quidem dignus putetur. Quæ locutio in quocunque sermone occurrit: e. c. apud Homer. Il. δ, 182, Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών! ζ, 464; ρ, 416, etc. ap. Virg. multis locis. Loca alia e Cicer. post redit. ad Quirit. cap. 4, fin. al. et e Xenophontis Anabasi, cap. VII, lib. 19, fin. pag. 385, T. II, Opp. ed. Thiem. laudavit Gronov.

6. *Elephanti..... quæ impulerunt*. Sic Claudianus, de Laud. Stilicon. lib. II, sub init. « Obvia prosternas, prostrataque more leonum Despicias, alacres ardent qui frangere tauros, Transiliunt prædas humiles. »

7. *Non multum enim.. .. exæquat*. Nam is non multum ab eo distat, eodem fere loco positus est, quum tamen multum supra eum eminere deberet, cui, etc.

tatem periclitantibus et meritis amittere, facit quod nulli
nisi rerum potenti licet [1]. Vita enim etiam superiori eri- 6
pitur; nunquam nisi inferiori datur. Servare, proprium
est excellentis fortunæ [2]: quæ nunquam magis suspici
debet, quam quum illi contingit idem posse quod [3] Diis,
quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali.
Deorum itaque sibi animum afferens princeps, alios ex
civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat,
alios in numerum relinquat [4], quosdam esse gaudeat,
quosdam patiatur.

VI. Cogita te [5] in hac civitate, in qua turba per latis- 1

1. *Potenti*. Recte probarunt Gruterus et Gronov. e codd. optim. notæ: cf. cap. 21, 2. Antea: *potienti*. Gronov. ad Liv. lib. XXIII, cap. 16, not. 3, docuit has voces sæpe confundi, licet discrepent sensu: nam *rerum potenti* est *domino*; *potienti* est *tyranno*. Cæterum res satis nota.

2. *Servare proprium est excellentis fortunæ*. Nam solvere et frangere facillimum; creare aut servare difficillima res est. Unde Tragicus, in Medea: « Servare potui, perdere an possim rogas! » Cicero, Senecæ propior, in fine Orat. pro Ligario: « Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut possis, nec natura tua melius quam ut velis conservare quam plurimos. »

3. *Contingit idem posse quod Diis*. Εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, τοὺς ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι τοὺς Θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν. Strabon. X. Claudian. IV Consul. Honor. 276: « Nam cum vincamur in omni munere, sola Deos æquat clementia nobis. »

4. *In numerum relinquat*. Id est, in turbam sine nomine et vilem. Qua vi hic vocem *numerus* positam videmus, hac Horat. jam usurpaverat lib. I, Ep. II, vs. 27: « Nos numerus sumus et fruges consumere nati. » Eadem apud Græcos potestate occurrit quoque ἀριθμὸς, e. c. apud Aristoph. Nub. vs. 1203, sqq. Εὖγ', ὦ κακοδαίμονες, τί κάθησθ' ἀβέλτεροι, Ἡμέτερα κέρδη τῶν σοφῶν, ὄντες λίθοι, Ἀριθμὸς, πρόβατ', ἄλλως ἀμφορῆς νενησμένοι: et in Euripid. Heraclid. Εἰδὼς μὲν οὐκ ἀριθμὸν, ἀλλ' ἐτητύμως Ἄνδρ' ὄντα τὸν σὸν παῖδα.

VI. Arg. Ex immensa Roma, quam innumerabilis complet habitantium multitudo, finge eos subito amoveri qui aliquid deliquere: quæ subinde solitudo! quod silentium! Ergo clementia utendum vel ob multitudinem peccantium; si omnes enim peccantes puniendi essent, nemo a pœna liber erit. Idem argumentum ad iram coercendam adhibet lib. II, capp. 7 et 8, ubi: « Atqui si irasci sapiens debet turpiter factis, nihil est ærumnosius sapiente, » etc.

5. *Cogita te*. Scilicet esse. Lipsius ad hunc locum ait: « Nonne ad Neronem omnis sermo? ergo, Cogita tu ». Mihi quidem hæc emendatio haud necessaria esse videtur: sejungas modo verba, ut feci: exclamandi nota posita post τὸ *aratur*. Infinitivo

sima itinera sine intermissione defluens eliditur [1], quotiens aliquid obstitit, quod cursum ejus velut torrentis rapidi moraretur; in qua tribus eodem tempore theatris viæ postulantur [2]; in qua consumitur, quidquid terris omnibus aratur [3]! quanta solitudo et vastitas futura sit, si nihil relinquitur, nisi quod judex severus absolverit. Quotus quisque ex quæstoribus [4] est, qui non ea ipsa
2 lege teneatur, qua quærit [5]? Quotus quisque accusator vacat culpa [6]? et nescio, an nemo ad dandam veniam dif-

autem sequente hoc verbum interdum carere constat e Cic. Epp. ad Attic. lib. IX, cap, 2, post med. lib. XVI, cap. 2, post med. Ita *Ruhkopf*: Nos cum Lipsio libenter faceremus non eam duntaxat propter causam quam ipse allegavit, sed quod mox legatur *futura sit;* qui conjunctivus modus, ut loquuntur grammatici, verbum aliquod ante se requirit; quod ni sit *Cogita*, nuspiam erit. Potest *cogita te* exoriri ab antiqua et mala lectione *cogitate* quam aliquis sciolus pro *cogita tu* hic scripserit.

1. *Eliditur.* Pro comprimitur, cogitur; ὑπερβολικῶς.

2. *In qua tribus....... postulantur.* Hoc est, in qua ad tria theatra eodem temporis articulo concurrit magno impetu populus, ideoque postulat, ut de via decedatur et locum alii dent, ne voluptate ludis adsidendi privetur. Sic Gronovius locum per se facilem expediit, Lipsio hic hærente, dativi commodi s. scopi, quem vocant grammatici, parum memoro. Sic Varr. de R. R. lib. I, cap. 60, *olea esui;* sic ipse, de Ira, lib. II, cap. 25, *aqua potui;* ubi lectio princeps et vulgata olim *aqua potui erogata*, a Lipsio optime repudiata est, abjecto τῷ *erogata*. Tria autem hæc theatra erant: Balbi, Marcelli, Pompeii (de quibus ad Dio. Cass. lib. XXXIX, cap. 38, lib. LIV, cap. 25, 26; Tacit. Annal. XIV, 20, ibique Lips. Plin. Histor. Natur. lib. XXXIV, cap. 7, lib. XXXV, cap. 15, Vitruv. lib. III, cap. 9; Tertull. lib. de Spectaculis; Plutarchus in Pomp. Victor et Rufus in Region. IX, et Porphyrio Grammatic. Ne autem demirere quod tam emphatice de tribus theatris Annæus exclamet, cogita aut memento in immensum patuisse hæc, v. g. esse in Pompeiano, item in Marcelli theatro 80,000 loca, ita ut plus hominum in dimidia unius parte contineretur quam nunc omnes Lutetiæ nostræ theatrales casulæ caperent, etiamsi ab imo ad summum complerentur.

3. *Aratur.* Agricultura comparatur in provinciis extra Italiam (Tacit. Annal. III, 54), *verritur*, ut cum Horatio, I, Od. 1, vs. 10. Hinc aratores Siciliæ ap. Cicer. in Verrinis, id est, agros colentes, et pro iis decumas solventes.

4. *Quæstoribus.* Id est, quæsitoribus, prætoribus, qui quæstioni criminali præessent. Ernesti Clav. Cic. Prætor. Quæstio.

5. *Quærit.* Antiquitus edd. libri, *quæritur.*

6. *Quotus quisque accusator vacat*

ficilior sit, quam qui illam petere sæpius meruit. Peccavimus omnes, alii gravia, alii leviora; alii ex destinato, alii forte impulsi, aut aliena nequitia ablati; alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus, et innocentiam inviti ac renitentes perdidimus [1]. Nec delinquimus tantum, sed usque ad extremum ævi delinquemus. Etiamsi quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.

VII. Quoniam Deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi Deos velit [2]. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit usque ad ultimam infesta perniciem [3]? Ecquis regum erit tutus, cujus non membra aruspices [4] colligant? Quod si Dii, placabiles et æqui, delicta potentium non

culpa? De Ira, lib. II, cap. 7: « Alius delator venit ejus criminis cujus manifestior reus est. »

1. *Peccavimus omnes...... perdidimus.* Ipse Noster, de Ira, lib. II, cap. 27: « Si volumus æqui omnium rerum judices esse, hoc primum nobis suadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. » Mox, cap. 28: « Alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus, in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. » Vid. not.

VII. Arg. Commendat clementiam ab exemplo Deorum, ad quorum exemplar rex formare se debet; atqui Deos iratos quis principum optaverit? Tum gratior puri et sereni cæli adspectus quam procellarum et fulminis. Præterea difficile magis severo regi ignoscitur, quam privato.

2. *Se talem......... Deos velit.* Nam « Regum tremendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Jovis. »

3. *Ultimam perniciem.* Εὐφημισμὸς pro mortem.

4. *Ecquis regum..... colligant? Tutus cujus...* h. l. est: ita tutus ut hujus... Ergo totius sententiæ tenor est: « Quis a periculis tam remotus, ut non hunc Deus fulmine sustulerit caduco (Horat. III, IV) ». Etenim aruspicum erat loca fulmine tacta Diis consecrare (bidentalia vocabantur a bidente hostia sacrificata), ideoque et fulguritorum membra trunca disjectaque postquam collegissent, sepulcro condere. Nefas autem alium quemquam humatorum ossa movere. Unde Horatius, Art. Poet. vss. ultt. « Nec satis apparet, cur versus factitet, utrum Minxerit in patrios cineres, an triste bidental Moverit incestus. » Id ex lege Numæ attulit Lipsius, et docte locum expedivit.

statim fulminibus persequuntur [1], quanto æquius est,
hominem hominibus præpositum miti animo exercere
imperium, et cogitare, utrum mundi status gratior ocu-
lis pulchriorque sit sereno et puro die, an quum frago-
ribus crebris omnia quatiuntur, et ignes hinc atque illinc
2 micant! Atqui non alia facies est quieti moderatique im-
perii, quam sereni cæli et nitentis. Crudele regnum,
turbidum tenebrisque obscurum est, inter trementes et
ad repentinum sonitum expavescentes; nec eo quidem
qui omnia turbat inconcusso. Facilius [2] privatis ignosci-
tur, pertinaciter se vindicantibus; possunt enim lædi,
dolorque eorum ab injuria venit [3]. Timent præterea con-
temptum : et non retulisse lædentibus gratiam [4], infir-
mitas videtur, non clementia. At cui ultio in facili est,
is omissa ea, certam laudem mansuetudinis consequitur.
Humili loco positis exercere manum [5], litigare, in rixam

1. *Dii placabiles et æqui...... persequuntur.* Similiter Dei clementiam pingit Claudian. de Laudib. Stilich. lib. II, verss. seqq. « Ætherii patris exemplo, qui, cuncta sonoro Concutiens tonitru, Cyclopum spicula differt In scopulos et monstra maris, nostrique cruoris Parcus, in Œtæis exercet fulmina silvis. » Arctius Senecæ vestigiis adhærens *Chénier, Bataviade*, Ch. II, ait :

La foudre dans ses mains déjà prête à partir
N'attend, pour s'arrêter, que notre repentir.

2. *Facilius.* Pincianus se negat hac in voce sensum reperire, et vult rescribi *difficilius* : male.

3. *Possunt enim....... venit.* « Potest enim iis aliquid damni infligi; et quem dolorem intime concipiunt in vindictam et pœnas mox erupturum, ille a damno quod passi sunt, originem trahit. At imperantis altius est solium quam huc subditorum inimicitiæ perveniant; altius est caput, quam quod inferiorum humiles manus attigerint; damnum ergo non patitur. Ac, si vindictam cupit, id feritas est, non dolor.

4. *Et non retulisse lædentibus gratiam?* Ironice, hoc est, retulisse damnum per talionem. In malam partem quoque dici, exemplis probavit Gron. nunc facile e lexicis petendis. Sensus porro est : Si ultionis parum curiosus exstiterit vir gregarius, cui neque divitiæ neque stemmata, nec potestas, ille imbecillis infirmique animi videbitur, et quod virtus fortasse est, vitio dabitur. At principem omnes sciunt eum esse qui de injuriis illatis facile ulciscatur; quarum ergo si negligens fuerit, hic certe clemens magnusque, nullo obstrepente clamabitur.

5. *Exercere manum.* E codd. omnibus reduxi, Lipsio non refragante :

procurrere, ac morem iræ suæ gerere, liberius est: leves inter paria [1] ictus sunt; Regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia non ex majestate est.

VIII. « Grave putas, eripi loquendi arbitrium regibus, 1
quod humillimi habent? Ista, inquit [2], servitus est, non imperium. » Quid tu? non experiris istud nobis esse, tibi servitutem? Alia conditio est eorum qui in turba, quam non excedunt, latent; quorum et [3] virtutes, ut appareant, diu luctantur, et vitia tenebras habent [4]. Vestra facta dictaque rumor excipit: et ideo nullis magis curandum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa 2
tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent? Possum

hoc est, jactare manum, huc illuc ferre: quod est proprie jurgantium, et ad jurgia provocantium. Antea: *exserere*.

1. *Inter paria*. Non inter pares duntaxat, sed inter res ipsas inanimas, quibus paritas competit; ut vasa duo ænea, per oppositionem vasi vitreo quod ænei vis offenderet. Cæterum hic, quamvis latius generaliusque sumpta vox est, homines tamen specialius designat.

VIII. Arg. Alia regum conditio est quam privatorum in vita communi, nec quæ privatis licent, ea quoque regibus sunt permissa; v. g. nec rex in via publica solus aut inermis ambulat, et, ut Dii, cælo veluti suo affixus est. Loquatur hic, omnes audiunt; irascatur, tremuere cuncta. Modice ergo irascatur necesse est. Tum privatis ex vindicta securitas, regibus e mansuetudine.

2. *Inquit*. Scilicet, quidam. Recte e codd. reduxit Gronov. spectat enim ad imprudentem, vel adulatorem, quem Seneca sibi, alloquenti Cæsarem, hoc modo intercedere finxit. Antea: *inquis*. *Quid tu* (adulator) nos interpellas? *nonne* tu ipse *experiris*, nos esse liberos, quibus loquendi quidquid velint ac debeant, arbitrium est, te vero esse revera servum, cui non liceat dicere quæ sentias. Gronov. τῷ *non* e plurium codd. jussu, et τῷ *tibi* de conjectura deletis, legi mavult, aut, *Quid? tu non experiris, istam vobis esse servitutem?* aut: *non experiris consulere nobis esse tibi servitutem?* Ut ad Cæsarem referantur verba, non ad adulatorem. Neque tamen intercedam, si quis verba: *Ista..... servitutem?* adversarii, ad Cæsarem dirigentis, quem sibi fingit Seneca, esse credat. Nihil muto.

3. *Et* non pro *etiam;* sed opponitur τῷ *et* quod mox sequitur. Sensus: Eorum qui in populo latent etiam præclare facta ægre in lucem emergunt; imperantium et eorum qui cervicibus publicis imminent, vel minima statim innotescunt.

4. *Et vitia tenebras habent*. Quod

in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamvis nullus sequatur comes, nullus sit domi, nullus ad latus gladius : tibi in tua pace [1] armato vivendum est. Aberrare a fortuna tua non potes; obsidet te, et quocumque descendis, magno apparatu sequitur. Est hæc summæ [2] magnitudinis servitus, non posse fieri minorem : sed cum Diis tibi communis ista necessitas est; nam illos quoque cælum alligatos [3] tenet, nec magis illis descendere datum est, quam tibi tutum [4]. Fastigio tuo affixus
3 es [5]. Nostros [6] motus pauci sentiunt; prodire nobis, ac recedere, et mutare habitum, sine sensu publico, licet : tibi non magis, quam Soli, latere contingit. Multa contra te lux est [7] : omnium in istam conversi oculi sunt. Prodire te putas? oriris [8]; loqui non potes, nisi ut vocem tuam, quæ ubique sunt gentes, excipiant; irasci non potes, nisi ut omnia tremant; sic neminem potes affli-
4 gere, nisi ut quidquid circa fuerit, quatiatur. Ut fulmina

quidem nunquam principibus contigit. Claudian. in IV Cons. Honorii : « Monebo Ut te totius medio telluris in orbe Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse Facta palam, nec posse dari regalibus usquam Secretum vitiis. »

1. *In tua pace.* Vid. sup. cap. 1, pag. 190 not.

2. *Summæ.* Ex Erasm. et cod. Erford. Amplon. reduxi. Antea : *summa;* typothetæ, ut videtur, vitio, ap. Gronov. Lips. et Bipont.

3. *Alligatos.* Intell. sidera, quæ Stoici Deos censent. Cursum ea suum tenent inconcussum et æqualem in cælo.

4. *Tutum.* Recte Lipsius restituit ex optimis edd. e. c. Erasm. Senec. de Brevit. Vit cap. 4, 3. « Cupiunt, etc. » Abesse tamen bene posset.

5. *Est hæc summæ..... affixus es.* Hanc eandem sententiam notare potes de Tranq. Anim. cap. 10, fin. ubi, postquam dixit superbiam detrahendam rebus per se superbis et deferendam altam fortunam in planum, subjungit : « Multi quidem sunt quibus necessario hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi cadendo, descendere. »

6. *Nostros.* Plebeiorum nempe.

7. *Multa contra te lux est.* Id est, ex adverso lumen immensum effunditur. In multa luce versaris. Inde mox, *oriris.*

8. *Oriris.* His nimirum qui te, non antea visum, vident, instar solis es, in quem omnium oculi convertuntur, spargentem late optimum lumen et calore solum fœcundantem. Horat. lib. IV, Od. v, vss. 6, sqq. « Vultus

paucorum periculo cadunt, omnium metu [1]; sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent : non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo, qui omnia potest. Adjice nunc, quod privatos homines ad accipiendas injurias opportuniores acceptarum patientia fecit. Regibus certior est mansuetudine securitas. Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat [2] : voluntas oportet ante sæviendi, quam causa, deficiat. Alioquin quemadmodum præcisæ arbores plurimis ramis repullulant, et multa satorum [3] genera, ut densiora surgant, reciduntur : ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum, qui interfecti sunt, et propinqui, et amici, in locum singulorum succedunt [4].

IX. Hoc quam verum sit, admonere te exemplo domestico [5] volo. Divus Augustus fuit mitis Princeps, si

ubi tuus Affulsit populo, Gratior it dies, Et soles melius nitent.» Æschyl. in Agamemn. Σοῦ γὰρ μολόντος δωματῖτιν ἑστίαν, Θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι σημαίνεις μολών.

1. ***Paucorum periculo cadunt, omnium metu.*** Eamdem ἀντίθεσιν Cic. pro Cluent. cap. 46 : « Ut pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat.» Unde Annæanam desumptam puto.

2. ***Quia frequens...... irritat.*** Referendum id non ad ***Regibus certior est ex mansuetudine securitas***, sed ad id quod sequitur. « Voluntas sæviendi oportet ante deficiat, quam causa.»

3. ***Satorum.*** Gignend. cas. a ***sata***, οὐδετέρῳ γένει et absolute sumptum generaliterque.

4. ***Singulorum succedunt.*** Hæc observaverat haud dubie eventa sub tyrannis Tiberio, Caio, Claudio, qui ante Neronem regnaverant. Quod secutus ***Racine***, in eximio dramate ***Britannicus :***

Vous allumez un feu qui ne pourra s'éteindre.
Craint de tout l'univers, il vous faudra tout craindre,
. . . .
Soutenir vos rigueurs par d'autres cruautés,
Et laver dans le sang vos bras ensanglantés.

IX. Arg. Exemplo Cæsaris Augusti, qui mansuetudine et clementia inimicos suos corrigebat et vincebat, illustrantur quæ antea dixerat.

5. ***Domestico.*** Quatenus Neronis mater Agrippina filia erat Cæsaris Germanici, qui filius Drusi et Antoniæ minoris, filiæ M. Antonii triumviri ex Octavia minore, sorore Augusti. Cf. Sueton. Nero, cap. 1. Tum, quum a Claudio adoptatus in Juliorum Claudiorumque gentem transiisset, utrimque in Cæsaream domum relabebatur.

quis illum a principatu suo æstimare incipiat [1]. In communi quidem Republica [2] gladium movit : quum hoc ætatis esset, quod tu nunc es, duodevicesimum egressus annum [3], jàm pugiones in sinum amicorum [4] absconderat, jam insidiis M. Antonii consulis latus petierat, jam fuerat collega proscriptionis [5] : sed quum annum quadragesimum transisset, et in Gallia moraretur, delatum est ad eum indicium, L. Cinnam, stolidi ingenii virum, in-
2 sidias ei struere [6]. Dictum est et ubi, et quando, et

1. *Divus Augustus.... incipiat.* Id est ab ann. U. C. 723—725, ante Ch. nat. 31—29, quibus « Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis, sub imperium accepit » (Ita Tac. Annal. lib. I, cap. 1). Antehac vero crudeliter se gesserat. Quod notum, et mox Seneca fatetur.

2. *In communi quidem Republica.* Hoc est, dum potestas et rerum administrandarum cura, plurium, non unius, esset, ut postea fuit.

3. *Quum hoc ætatis....... egressus annum.* Ergo anno vel primo, sed extremo Neroniani principatus scriptum opus fuit; vel altero, sed ineunte; quandoquidem natus ille anno U. C. 790 (quod id. ac Chr. Nat. 37) imperator consalutatus fuit ann. 807.

4. *Amicorum.* Anne M. Tullii Ciceronis et C. Toranii cædes h. l. Noster significat? Hunc enim Octavius tutorem habuerat, et Octavii pater collegam in ædilitate; illius vero opera senatusconsultum factum quo duodeviginti annos vix egressus puer, comparato in Antonium exercitui dux legebatur, et cum Hirtio et Pansa coss. in Gall. Cisalp. mittebatur, D. Bruto opem laturus qui in Mutina obsidebatur (ann. ant. Chr. nat. 44). Multis forsan hoc arriserit. Ego maluerim tamen ad Pansam referre, quem traditur Octavius manu sua in prælio apud Mutinam interemisse.

5. *Jam fuerat collega proscriptionis.* Senec. Trag. Octav. vss. 505, sqq. « Ille qui meruit pia Virtute cælum Divus Augustus, viros Quot interemit, nobiles, juvenes, senes, Sparsos per orbem, quum suos mortis metu Fugerent Penates, et trium ferrum ducum, Tabula notante deditos tristi neci. » Cf. et Cic. Epp. ad Div. 12, 23; et Sueton. Octav. capp. 10, 70, aliique.

6. *Sed quum annum...... struere.* Quum Augustus natus sit ann. U. C. 690, quæ Noster narrat facta sint oportet ann. U. C. 738, quum Augustus in Gallia moraretur anno ætatis 48. Enimvero Dio Cass. dissentit de anno et loco, qui fusius hæc in ann. U. C. 757 narrat, lib. LV, 14–21. Appellat enim eum Cneium Cornelium. Sed jam supra observavimus, Nostrum, historiæ parum curiosum, loca, tempora, quid quod nomina? interdum confundere. Dioni itaque assentior : Cinna enim consul fuit a. U. C. 758; quem adeo nostrum locum ante oculos habuisse puto. Exposuit autem Dio eodem fere modo rem, διαλογισμῷ inter Augustum et Liviam inserto. Sueton. cap. 19, hanc conjurationem neglexit. Hinc Nostras *Pierre Corneille* argumentum cepit

quemadmodum aggredi vellet : unus ex consciis defere-
bat. Constituit se ab eo vindicare, consilium amicorum
advocari jussit. Nox illi inquieta erat, quum cogitaret
adolescentem nobilem, hoc detracto, integrum [1], Cn.
Pompeii nepotem [2] damnandum. Jam unum hominem oc-
cidere non poterat : cum M. Antonio proscriptionis
edictum inter cœnam dictarat [3]. Gemens subinde voces
emittebat varias, et inter se contrarias. « Quid ergo? 3
ego percussorem mecum securum ambulare patiar, me
sollicito? Ergo non dabit pœnas, qui tot civilibus bellis
frustra petitum caput, tot navalibus, tot pedestribus
præliis incolume, postquam terra marique pax parta
est [4], non occidere constituit, sed immolare [5]? » nam
sacrificantem placuerat adoriri [6]. Rursus silentio inter-

unius e nobilissimis tragœdiis quas quis audierit, *Cinna;* et Annæi præsertim locos omnes fabulæ suæ inseruit, modo fusius explicans, modo stricte et μεταφράσει sola contentus : quas imitationes ad calcem libri collocandas curavimus. Est et apud Italos novos de simili materia tragœdia elegantissimi *Metastasii*, cui nomen *la Clemenza di Tito;* qua in fabula quamvis de Augusto et Cinna non agatur, Augusti et Cinnæ, aliis sub nominibus, res tota exhibita est. Cf. quoque *Montaigne*, qui, in suis *Essais* (lib. I, cap. 28), Senecæ narrat. gallice vertit prope ad verbum.

1. *Hoc detracto, integrum.* Innocentem, ἀμύμονα, hanc modo perfidiam exciperes.

2. *Cn. Pompeii nepotem.* Ex filia Cn. Pompeii nepos fuit; cf. Dio Cass. lib. LV, cap. 14. Ea, Cornelio Fausto, Sullæ dictatoris filio, nupta, peperit cum aliis et hunc Cornelium Cinnam. Hirt. Bell. Afric. cap. 95. Cæsar, post Thapsense prælium, Faustum et Afranium vivos captos interfici jussit : Pompeiæ cum Fausti liberis incolumitatem suaque omnia concessit.

3. *Cum M. Antonio....... dictarat.* Lipsius emend. *qui M.* bene a Gronov. repulsus. Junctim enim proscriptionis edictum dictabant. Dio Cass. lib. XLVI, cap. 55, 56.

4. *Postquam terra marique pax parta est.* Bis enim, immo, ut quibusdam placet, ter, Augusto imperante, templum Jani clausum fuit : primo, fuso Antonio, confectisque civilibus bellis, ann. U. C. 723 (ant. Ch. nat. 31), Augusto V et Sexto Apuleio coss. mox, post Cantabricum bellum, eodem IX, M. Junio Silano coss. ann. U. C. 735; tum circa natalem Domini, h. e. ann. U. C. 753.

5. *Immolare.* Proprie *immolare* est molam ponere in cornua victimarum; quæ vox pro trucidare in sacris faciendis usurpabatur, ne malis ominibus quid fieret.

6. *Sacrificantem placuerat adoriri.*

posito, majore multo voce sibi, quam Cinnæ irascebatur. » Quid vivis, si perire te tam multorum interest? 4 quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuant. Non est tanti vita, si, ut ego non peream, tam multa perdenda sunt. » Interpellavit tandem illum Livia uxor, et : « Admittis, inquit, muliebre consilium? Fac quod medici[1] solent : qui ubi usitata remedia non
5 procedunt[2], tentant contraria. Severitate nihil[3] adhuc profecisti : Salvidienum[4] Lepidus[5] secutus est, Lepidum Muræna[6], Murænam Cæpio[7], Cæpionem Egnatius[8], ut alios[9] taceam, quos tantum ausos pudet : nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia. Ignosce L. Cinnæ. Deprehensus est : jam nocere tibi non potest, prodesse famæ tuæ potest. » Gavisus, sibi quod advocatum invenerat, uxori quidem gratias egit : renuntiari[10] autem extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, imperavit, et Cinnam unum ad se arcessit; dimissisque omni-

Quod in tragicæ fabulæ contextu non præteriit modò nominatus *Corneille*. Nam fingitur Cinna dicere, Act. I, scen. III :

Demain au Capitole il fait un sacrifice;
Qu'il en soit la victime; et faisons en ces lieux
Justice à tout le monde à la face des Dieux.
. . . .
C'est de ma main qu'il prend et l'encens et la coupe;
Et je veux, pour signal, que cette même main
Lui donne, au lieu d'encens, d'un poignard dans le sein.

Item Augustus, Act. V, scen. I; vid. ad fin. operis.

1. *Fac quod medici*, etc. Eadem Livia apud Dionem Cass. lib. LV, cap. 17, init. adhibuit. Eadem apud magnum *Corneille*.

2. *Non procedunt*. Hoc est, bonum eventum non habent.

3. *Severitate nihil*, etc. Cf. Sueton. Octav. c. 19. Vell. Pat. lib. II, c. 88.

4. *Salvidienum*. De illo, Dio Cass. lib. XLVIII, cap. 33; LIV, 3, 15.

5. *Lepidus*. M. Æmil. Lepid. ex Bruti sorore F. Antonii gener.

6. *Muræna*. Cui cognomen aliud Varro.

7. *Cæpio*. Q. Fannius Cæpio, vir aliunde obscurus. Istius quidam et Murænæ conjurationes jungunt. Suet. Tib. cap. 8 : « Fannium Cæpionem, qui cum Varrone Muræna in Augustum conspiraverat, reum majestatis apud judices fecit et condemnavit.

8. *Egnatius*. Rufus. Dio Cass. lib. LIII, c. 24. Tacit. Annal. lib. I, c. 10.

9. *Alios*. Nam ne ultimæ quidem sortis hominum conspiratione et periculo caruit. Sueton. l. l.

10. *Renuntiari*. Id est, nuntiari.

bus e cubiculo, quum alteram Cinnæ poni cathedram
jussisset : « Hoc, inquit, primum a te peto, ne me 6
loquentem interpelles, ne medio sermone meo procla-
mes : dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te,
Cinna, quum in hostium castris [1] invenissem, non fac-
tum tantum mihi inimicum, sed natum, servavi, patri-
monium tibi omne concessi. Hodie tam felix es, et tam
dives, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi pe-
tenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum
militaverant, dedi [2]. Quum sic de te meruerim; occidere
me constituisti. » Quum ad hanc vocem exclamasset, 7
procul hanc ab se abesse dementiam : « Non præstas,
inquit, fidem, Cinna : convenerat, ne interloquereris.
Occidere, inquam, me paras. » Adjecit locum, socios,
diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset fer-
rum. Et quum defixum videret, nec ex conventione jam,
sed ex conscientia tacentem : « Quo, inquit, hoc 8
animo [3] facis? Ut ipse sis princeps? male mehercule cum
populo Romano agitur [4], si tibi ad imperandum nihil præ-
ter me obstat. Domum tueri tuam non potes; nuper
libertini hominis gratia in privato judicio superatus es.
Adeo nihil facilius potes, quam contra Cæsarem advo-

1. *In hostium castris*. Quorum? non liquet. Videtur ad Sextum Pompeium, Cinnæ avunculum, respexisse, qui a. U. C. 718 ab Augusto devictus est. Dio Cass. lib. XLIX, cap. 20. Senec. de Benef. lib. IV, cap. 30, 1.

2. *Sacerdotium tibi.... dedi*. Satis callide beneficium illud suum Augustus commemorat, quamvis leve illud et, si quis rem bene excusserit, parvi æstimandum. Ea enim dignitas maxime appetenda est quæ non decus tantum inane et irritum, sed et potentiam conciliat; at sacerdotiis cohonestari licet amplissimi viri sæpe gauderent, parum hinc potestatis derivabatur; et cui nec apud cives auctoritas erat, nec in milites imperium, nec publicæ pecuniæ in promptu, ille quomodo res novas inchoasset? quomodo imperanti metum injecisset?

3. *Quo animo*. Hoc est, quid consilii habens? quid sperans cupiensque?

4. *Male mehercule, cum populo romano agitur*. Populi romani male se res habent. Ἐναλλαγή quasi diceretur : Populus romanus male cum rebus suis agit. Supra laudatus *Mon-*

care[1]? Cedo[2], si spes tuas solus impedio, Paullusne[3] te, et Fabius Maximus[4], et Cossi, et Servilii[5] ferent, tantumque agmen nobilium, non inania nomina præferentium,
9 tium, sed eorum qui imaginibus suis decori sunt? » Ne totam ejus orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem (diutius enim quam duabus horis locutum esse constat), quum hanc pœnam[6], qua sola erat contentus futurus, extenderet: « Vitam tibi, inquit Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac[7] parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. » Post hæc detulit ultro consulatum, questus quod non auderet petere; amicissimum fidelissimumque

taigne vertit: « Vrayement il va bien mal à la chose publique, si, etc. »

1. *Adeo nihil..... advocare?* Quum tu libertino homini, ne nobili quidem, nuper succubuisti, facillimum hoc putas esse, advocare sc. amicos, consilii conscios, id est, comparare, qui adsint tibi, consilium suggerant, patrocinentur; verbo, conjurationem facere contra me multo potentiorem illo libertino? Hanc Gronovii explicationem præfero Lipsianæ: « adesse, causam agere; nam manet in re illa judiciali. » Gronov. laudat e Nostro, de Ira, lib. III, cap. 13, 3, al.

2. *Cedo.* Dic, precor, utrum, etc. Vulgaris et triti sermonis vox, et eadem fere quam gallice, *voyons*.

3. *Paullusne.* L. Æmil. Paullus, cæterique nobilissimi homines, et viri consulares, aliique qui majoribus suis præclaris digni sunt.

4. *Fabius Maximus*. Unus ex antiquorum Maximorum (id cognomen, Reipub. temporibus, Valeriis solum et Fabiis gentibus contigit; inter eos Rullianus et Cunctator supereminuere) nepotibus; ille ipse qui Augusto carissimus, postea minus gratus fuisse creditur, quod ipsius ex Agrippa nepotes Liviæ filiis anteponeret (Conf. Tacit. Ann. lib. I, c. 5, init.), et qui Ovidium exsulem multo honore prosecutus est.

5. *Cossi et Servilii.* Servilii et Cornelii (qua ex gente Cossi fuerunt) nobilissimi Romanorum censebantur, si Æmilios, Julios, Claudiosque exceperis. Porro notum ex omnibus fere scriptoribus est, usitatum tunc nobilissimis viris majorum imagines in atrio dispositas servare, quæ loco suo demovebantur, quum exsequiæ fierent. Ergo longa imaginum serie, id est, patrum suorum gloria et laudibus multi gloriabantur. Sed his, de quibus sermo est, majores etiam sui gloriari jure possent; non imagines ipsis decori sunt, sed ipsi imaginibus suis.

6. *Hanc pœnam......... extenderet.* Exspectatione, formidine injecta, ne vita privaretur.

7. *Parricidæ.* Improbo, scelesto, sacrilego, qui patrono suo et servatori mortem intenderit.

habuit; hæres solus fuit illi [1]; nullis amplius insidiis ab ullo [2] petitus est.

X. Ignovit abavus [3] tuus victis; nam si non ignovisset, quibus imperasset? Sallustium [4], et Cocceios [5], et Dellios [6], et totam cohortem primæ admissionis [7] ex adversariorum castris conscripsit. Jam Domitios [8], Messallas, Asinios [9], Cicerones [10], et quidquid floris in civitate erat,

1. *Hæres solus fuit illi.* Quod dicebatur hæres ex asse. Porro sic Augustus accepit quater decies millies, h. e. 4,000,000,000 sestertium, vel ad (nostr. pecun.) 800,000,000 fr.

2. *Ullo.* Recte a Lipsio prælatum, sensu postulante. Proinde reduxi. Antea : *illo.*

X. Arg. Ob hanc clementiam cujus exempla enumerat et initio capitis et in fine securum Augusti imperium fuit, et post mortem pro Deo habitus est.

3. *Abavus.* Sat exacte; abavus enim est avi avus, gall. *trisaïeul.* Augustus vero inter Neronis majores abavi locum obtinet. Nam Agrippina mater erat; Germanicus avus; Antonia minor, mater avi; Octavia, avia avi : atque Octavia Augusti soror fuit. Vel alio modo, quum Tiberium Augustus, Germanicum Tiberius adoptavissent, Germanicus avus, Tiberius proavus, Augustus abavus Neroni fuit.

4. *Sallustium.* C. Crispum, ex sorore nepotem Sallustii, historici, hortis suis celebrem, quos huic patruus testamento tradiderat, et ex Horat. lib. II, Od. II, notum. Ad. præter. Tacit. Annal. lib. III, cap. 30, et Plin. N. Hist. lib. II, cap. 34.

5. *Cocceios.* Cocceia gens ante Imperatores ignota ad summam tunc claritudinem pervenit. Hic Noster loquitur potissimum de M. Cocceio Nerva, qui fuit inter proavos Nervæ postea principis. Hic erat legum peritissimus, et consulatu functus est ann. U. C. 718 seu 714. Sigon. in Chronolog. Liv. Shotti Obss. p. 607. De eo breviter Tacitus, Annal. lib. IV, cap. 58.

6. *Dellios. Dellios* ego rescripsi e Dion. Cassod. libb. XIII, XXIII, aliisque, quos inter et Horat. lib. II, Od. III, vs. 4, ubi metrum arguit Dellium vel Dillium legi oportere. Antea *Duillios.* Cæterum satis notus hic ex Horat. lib. II, Od. III, et Dio Cass. lib. L, cap. 23, præsertim e Senec. patris Suasoriarum libro, p. 7, Bip. ubi Dellium Messalla Corvinus desultorem bellorum civilium vocat; μεταφορᾷ ab equis sumpta, quorum modo in hunc, modo in illum eques desilit : novissime ille ab Antonio transfugit ad Cæsarem.

7. *Primæ admissionis.* Id est, primi loci : honestiores et quasi interiores amicos. De Benefic. lib. VI, cap. 33, 3. Graccho et Livio Druso adscribitur mos, amicos suos in classes distribuendi; amici primæ, secundæ, tertiæ admissionis, ex ordine, quo admittebantur. Cf. Lipsius ad Tacit. Annal. lib. VI. cap. 9. Sueton. Tib. 46. Vespas. 14, ubi Intpp.

8. *Domitios.* Cn. Domitius ab Antonio transfugit, abavus Neronis. Sueton. Nero, cap. 3.

9. *Asinios.* Pollio. In Antonii partibus : de Ira, lib. III, cap. 23, 3.

10. *Cicerones.* Filium M. Tullii,

clementiæ suæ debebat. Ipsum Lepidum quamdiu mori passus est [1]? Per multos annos tulit ornamenta principis retinentem, et pontificatum maximum [2], non nisi mortuo illo, transferri in se passus est; maluit enim illum
2 honorem vocari, quam spolium [3]. Hæc eum clementia ad salutem securitatemque perduxit: hæc gratum ac favorabilem reddidit, quamvis nondum subactis Reipublicæ cervicibus manum imposuisset [4]: hæc hodieque præstat illi famam, quæ vix vivis principibus servit. Deum esse,
3 non tanquam jussi, credimus. Bonum principem Augustum, et bene illi convenisse Parentis nomen [5], fatemur; ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores principibus solent esse, quam injuriæ, nulla crudelitate exsequebatur; quod probrosis in se dictis arrisit; quod dare illum pœnas apparebat, quum exigeret; quod quoscumque ob adulterium [6] filiæ

qui in Bruti partibus fuit. Dio Cass. lib. XLIX, c. 16. Erat Tibulli amicus.

1. *Mori passus est.* Lipsius restituit e libris fidis. Oxymoron facile intelligas. Antea *passus non est?* — *Quamdiu mori passus est.* Hoc est, quantum temporis concessit, ut vita exiret et æmuli quondam viri adspectu principem liberaret! Nam vixit post Octavii victoriam annos 23. Vid. not. 3.

2. *Pontificatum maximum.* Quod tamen e publicis muneribus præclarissimum fuit, quanquam sane minus potentiæ conferret quam honoris. Unde callidi Octavii ne mireris modestiam; illa enim magis appetebat rapiebatque ante omnia quæ parvum et infirmum principatum stabilitura magis videbantur. Tum Lepido neque id ingenii erat, neque ea ambitio, ut per eum civilis belli unquam vulnera recrudescerent.

3. *Ipsum Lepidum quamdiu....... spolium.* Lepidus Triumvir devictus ab Augusto, ann. U. C. 718, ante Chr. nat. 36 (Dio Cass. lib. XLIX, cap. 12), et mortuus est ann. U. C. 741 (Dio Cass. lib. LIV, cap. 27); quo anno pontificatum max. suscepit Augustus.

4. *Nondum subactis...... manum imposuisset.* Vulgo dicitur *civium cervicibus; Reipublicæ* audacius est. Quod ait nondum tunc imperatorem salutatum Octavium, verum est; nam Actiacum prælium evenit ann. U. C. 723, ant. Christ. 31.

5. *Bene illi convenisse Parentis nomen.* Nam id ei delatum nomen, non quidem decreto sed consensu Senatus et plebis acclamatione. Vid. Sueton Aug. cap. 58.

6. *Filiæ.* Scilicet Juliæ. Reduxi ut vulgatam eamque bonam lect. ante Lipsium, cui τὸ *familiæ* magis arri-

suæ damnaverat, adeo non occidit [1], ut dimissis [2], quo tutiores essent, diplomata [3] daret. Hoc est ignoscere, quum scias multos futuros, qui pro te irascantur, et tibi alieno sanguine gratificentur [4], non dare tantum salutem, sed præstare [5].

XI. Hæc Augustus senex, aut jam in senectutem annis 1
vergentibus! In adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quæ invitus oculos retorquebat. Comparare nemo mansuetudini tuæ audebit Divum Augustum, etiamsi in certamen juvenilium annorum deduxerit senectutem plus quam maturam [6]. Fuerit moderatus et clemens: nempe post mare Actiacum Romano cruore [7] infectum; nempe post fractas in Sicilia classes, et suas et [8] alienas;

debat. « Nec enim, ait, sola Julia mater adulteravit, sed et filia ejus, Augusti neptis; et utriusque admissarios ultum ivit. » Facile tamen intellectu est, nostram lect. præferendam esse : quis enim *familiam* de aliquot ad eam pertinentibus personis dixit? cf. de Brevit. Vit. cap. 5, 4. Rem per se notam attigit Sueton. Oct. capp. 64, 65, al. Cæterum, ingeniosissimi inter Germanos viri *Wieland* παράδοξον notum, qui Juliæ causam præclare egit..... (Opp. Tom. XXIV, p. 338, sq. ed. noviss.) constat.

1. *Quod quoscunque...... non occidit.* Dio Cass. lib. LV, cap. 10. Alia tradere videbatur Lipsio; sed Augustus Julium Antonium aliosque occidi jussit, sed non prætextu adulterii, cum filia perpetrati, sed conspirationis.

2. *Dimissis.* Id est, relegatis.

3. *Diplomata.* Literas cursus publici dedit, ut jussu principis transveherentur. Vid. Ernesti Clav. Cicer. ad Diploma.

4. *Alieno sanguine gratificentur.* Gratiam captent, non sanguinem quidem suum profundentes, sed aliorum.

5. *Præstare.* Id est, tutum reddere.

XI. Arg. Ad priora Augusti revertitur, et scelestam optimi principis juventutem incusat; negatque vere huic clementiam fuisse. Mox ad Neronis Cæsaris laudes reversus, mansuetudinis veræ dat definitionem, aitque illam firmamentum potentiæ; tum modo suo exponit quod discrimen inter regem et tyrannum.

6. *Etiamsi in certamen........ plus quam maturum.* Licet ille admodum senex juveni tibi comparari sese velit et petat. Plusquam maturam autem dixit quod ultra septingentos annos Augustus duraverit.

7. *Post mare Actiacum Romano cruore infectum.* De hac pugna inutile est disserere, qua Cleopatræ Antoniique arma oppressa sunt, et Urbis imperium in Octavii manus pervenit.

8. *Nempe post fractas..... alienas.* In bello cum Sexto Pompeio, cujus naves Agrippa scidit; sed antehac his deleta Cæsariana classis erat;

nempe post Perusinas aras [1], et proscriptiones. Ego vero clementiam non voco lassam crudelitatem. Hæc est, Cæsar, clementia vera, quam tu præstas, quæ non sævitiæ pœnitentia cœpit: nullam habere maculam, num-
2 quam civilem sanguinem fudisse. Hæc est in maxima potestate, verissima animi temperantia, et humani generis, communis patriæ, nunc dicatæ tibi, amor [2], non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum exemplis corruptum, quantum in cives suos liceat [3], experiendo tentare, sed hebetare aciem imperii sui. Præstitisti, Cæsar, civitatem incruentam; et hoc, quod magno animo gloriatus es, « Nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, » eo majus est mirabiliusque, quod nulli unquam citius gladius commissus
3 est [4]. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores præstat: ornamentumque imperiorum est simul certissima salus [5]. Quid enim est, cur reges consenue-

e. c. ann. U. C. 714, secundum Dion. Cass. lib. XLVIII, capp. 18 et 31, lib. XLIX, cap. 1, sqq. a. U. C. 718.

1. *Nempe post Perusinas aras.* Divo Julio Cæsari exstructas, Idibus Martiis hostiarum more trecentos ex dedititiis electos utriusque ordinis mactari jussit Perusia capta, ann. U. C. 713. Sueton. Octav. cap. 15. Dio tamen Cass. lib. XLVIII, cap. 14, quadringentos mactatos esse scribit. Chronologiam in his neglexit Noster.

2. *Communis patriæ, nunc dicatæ tibi, amor.* Hanc lectionem erui e codd. siglis. Quum enim ibi sit: *copiœnditte sibi mor*: seu *comprehendit te sibi mor.* Putavi literarum apices id docere, quod dedi: sensu manifesto. Atque eo magis hanc mihi libertatem condonatum iri spero, quod codd. ope lectionem mutavi, quam suo Marte Rudolfus Agricola nobis obtruserat, nullo codice suffultam. Dederat autem: *incomprehensibilis.* Lipsius emendaverat *communis parentis similis amor*: et Gronov. qui verba hæc desperatæ sanitatis esse pronuntiat, *commendatissimus amor.*

3. *Quantum in cives suos liceat.* Vide infra ad cap. 18 notata ad hæc verba: « Aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet. »

4. *Nulli.... citius... commissus est.* Vix annum septimum et decimum peragebat Nero, quum *jure gladii*, id est, imperio solus potitus est.

5. *Clementia ergo........ certissima salus.* Claudian. IV Consul. Honor. « Non sic excubiæ nec circumstantia tela Quam tutatur amor. » Et Plin. in Paneg. « Hæc arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, muni-

rint [1], liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas est [2]? Quid interest inter tyrannum et regem (species enim ipsa fortunæ ac licentia par est), nisi quod tyranni in voluptate [3] sæviunt, reges non nisi ex causa ac necessitate [4]?

XII. « Quid ergo? non reges quoque occidere solent? » Sed quoties id fieri publica utilitas persuadet: tyrannis sævitia cordi est. Tyrannus autem a rege distat factis, non nomine. Nam et Dionysius major [5] jure meritoque præferri multis regibus potest; et L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium? Descenderit licet Dictatura sua, 1

mento non egere. » Copiosius Noster paullo infra : « Securitas securitate mutua paciscenda est. Non opus est instruere in altum editas arces, etc. »

1. *Quid enim est, cur reges consenuerint?* Quod tyrannis raro evenit. Thales interrogatus Τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος; Γέροντα, ἔφη, τύραννον: quid difficile vidisset, Tyrannum, inquit, senem. Ad hoc facit Juvenal. Sat. X, quamvis reges et tyrannos non discernens: « Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci Descendunt reges et sicca morte tyranni.

2. *Brevis potestas est.* Poeta : « Invisa nemo imperia retinuit diu. » Et sic fere Aristotel. Politic. X : Δύο δέ εἰσιν αἰτίαι δι' ἃς ἐπιτίθενται ταῖς τυραννίσιν, μῖσος καὶ καταφρόνησις.

3. *In voluptate sæviunt.* Hoc est, inter voluptates suas habent et numerant subditorum gemitus, gratissimum putant sævire.

4. *Quid interest...... necessitate.* Nova, si ad hæc tempora respicias distinctio, et quæ ad recentiorem opinionem potius quam ad Veterum exacta est. Nam tyrannus hic olim fuit qui in civitate quam aut populi aut primorum auctoritas regebat, vi regnum occupaverat. Quod nostra vox *usurpateur* non male redderet; quanquam non omnes ii tyranni vocabantur quibus apud nos usurpatoris nomen conveniret. Si quis enim in hoc imperio cui unius voluntas lex est, in solium vi evehitur, ille rex est, non tyrannus. Sic apud Persas, Darius ὁ Ὑστάσπου, rex audiit.

XII. Discrimen inter regem tyrannumque. Cf. Platon. De Republ. lib. VIII et IX, inde a pag. 220, T. VII. Bip.

5. *Dionysius major.* Qui Syracusanorum tyrannus imperium filio tradidit, non servaturo. Ille apud nos vocatur *Denis le Tyran*, filius *Denis le Jeune*. Quod autem de eo Annæus dicit, hunc jure præferri posse multis regibus, quadamtenus verum est, sed et quadamtenus falsum. Nam, ut rei militaris peritus et literarum amans et administrandæ reipublicæ imprimis studiosus, sic ille crudelis fuit erga inimicos, immo et nonnunquam erga eos quos in amicis habebat, neque unquam ullius sanguini, pecuniæ, religionibus pepercit.

et se togæ reddiderit [1], quis tamen unquam [2] tyrannus tam avide humanum sanguinem bibit, quam ille, qui septem millia civium Romanorum contrucidari jussit?
2 Et quum in vicino, ad ædem Bellonæ sedens, exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: « Hoc agamus, inquit, P. C., seditiosi pauculi meo jussu occiduntur [3]. » Hoc non est mentitus: pauci Sullæ videbantur. Sed mox ille Sulla: « consequamur, quomodo hostibus irascendum sit [4], utique si in hostile nomen cives, et ex eodem corpore abrupti, transierint [5]. » Interim hoc quod dicebam, clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit, uterque licet non minus armis valletur; sed alter arma

1. *Descenderit... reddiderit.* Quum dictator in sago esset, quippe qui bello gerendo plerumque creabatur, opposita est toga, vestis civilis. Sequentem historiam de crudelitate Sullæ jam attigimus ad de Ira I, 2, 3. Variant auctores in numero definiendo: aliis quatuor millia commemorantibus, Dionys. Halic. V, fin. Floro III, 21, aliis ut Valerio Max. IX, 2, quatuor legiones. Noster tamen sibi constitit de Benef. V, 16; Plutarcho parum abludente, qui ipsa pæne verba Senecæ expressit, ut ex eodem fonte hausisse videantur.

2. *Quis tamen unquam tyrannus.* Notandum id: *quis quam tyrannus* pro *quis alius quam tyrannus*, vel, *quis nisi tyrannus.*

3. *Occiduntur.* Tristius quiddam et atrocius Sulla dixit quam τὸ *occiduntur;* scil. *puniuntur, commonefiunt.* Vid. Plutarch. Syll. cap. 30, qui fidelissimus omnium narrator, sic verba dictatoris refert: Νουθετεῖσθαι γὰρ αὐτοῦ κελεύσαντος ἐνίους τῶν πονηρῶν. Idem significat Lucanus, Phars. lib. II, dum *Syllanæ lustrans cadavera pacis*, ait: «Tot simul infesto juvenes occumbere leto Sæpe fames, pelagique furor subitæque ruinæ, Aut cæli terræque lues, aut bellica clades, Nunquam pœna fuit. » Idem de tranquillitate viri, dum tot simul neci mandarentur: « Intrepidus tanti sedit securus ab alto Spectator sceleris; miseri tot millia vulgi Non piguit jussisse mori. »

4. *Consequamur quomodo hostibus irascendum sit. Consequamur* subaud. *scientiam*, post quasi diceret: Sciamus tandem quomodo, etc. *Quomodo* autem *irascendum* est: Quomodo, non in irarum impetum vanum effundenda vis animi sit, sed in ultionem et cædes prorumpendum.

5. *Sed mox ille Sulla: consequamur, quomodo hostibus irascendum sit, utique si in hostile nomen..... transierint.* Sic dedi e cod. Erford. Amplon.: optimo, ut opinor sensu. Interpositis enim de suo τοῖς *Hoc non est....videbantur*, adjicit Seneca reliqua Sullæ verba, quæ hac occa-

habet, quibus in munimentum pacis utitur; alter ut
magno timore magna odia compescat. Nec illas ipsas 3
manus, quibus se commisit, securus adspicit [1]; contra-
riis in contraria agitur [2], nam et invisus est, quia time-
tur, et timeri vult, quia invisus est [3]: et illo exsecra-
bili versu, qui multos dedit præcipites, utitur: *Oderint
dum metuant* [4]! ignarus quanta rabies oriatur, ubi supra
modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet 4
animos; assiduus vero et acer, et extrema admovens, in
audaciam jacentes excitat, et omnia experiri suadet. Sic
feras lineis et pinna clusas contineas: easdem a tergo
eques telis incessat: tentabunt fugam per ipsa quæ fu-
gerant proculcabuntque formidinem [5]. Acerrima virtus
est, quam ultima necessitas extundit. Relinquat oportet 5
securi aliquid metus, multoque plus spei quam pericu-
lorum ostentet: alioquin ubi quiescenti paria metuuntur.

sione locutus erat. « Sic reperiemus, etc. » Apud Plutarch. Sull. c. 30, solum hæc quæ citavimus, Sulla ait: νουτεθεῖσθαι γὰρ αὐτοῦ κελ. ἐν. τῶν πον. Quæ Sullæ verba, ea apprime et loco et persona loquentis digna sunt. Proinde Lipsii emend. supersedeamus.

1. *Nec illas ipsas...... adspicit.* Poeta: « Necesse est multos timeat, quem cuncti timent. » Tum notum e Claudiani IV. Cons. Honorii, id: « Sors ista tyrannis Convenit, etc. »

2. *Contrariis in contraria agitur.* Satellites ipsi, qui eum defendunt et securum præstant, metum quoque ei incutiunt. Pacem simul præstant et minas belli.

3. *Nam et invisus est...... invisus est.* Ita ut jam bonus fieri, etiamsi huic libuerit, non expediat. Vid. infr. cap. 13, init.

4. *Oderint, dum metuant!* Jam attulit hanc sententiam, quem locum adi, et exsecratus est splendidissime, de Ira, lib. I, cap. 16.

5. *Sic feras..... formidinem.* Apud Antiquos, *Formido* vocatur retis venatorii quoddam genus, constans lineis funiculis, rubente pinna obductis, quibus silva cingi (*claudi*, Heynii Obss. ad Tibull. lib. I, 4, 49.) solebat. Hanc ita describit Gratius Faliscus: « Sunt quibus immundo decerptæ vulture plumæ Instrumentum operis fuit, et non parva facultas; Tantum inter nivei jungantur vellera cycni: Et satis armorum est. Hæ clara luce coruscant Terribiles species: ab vulture dirus avaro Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res. » Nemesianus, de eadem: « Linea quinetiam magnos circumdare saltus Quæ posset, volucresque metu concludere prædas, Figerat innexas non una ex alite pinnas. Namque ursos, magnosque sues, cervosque

incurrere in pericula juvat, et aliena anima [1] abuti. Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, quibus ad communem salutem utatur : gloriosusque miles (publicæ enim securitati dare operam videtur) omnem laborem libens patitur, ut parentis custos. At illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui [2].

1 XIII. Non potest habere quisquam bonæ ac fidæ voluntatis ministros, quibus in tormentis, et equuleo, et ferramentis ad mortem paratis [3] utitur, quibus non aliter quam bestiis homines objectat : omnibus rebus noxior [4] ac sollicitior, ut qui homines Deosque testes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, ut non liceat illi mutare mores. Hoc enim inter cætera vel pessimum habet crudelitas, quod perseverandum est, nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda

fugaces Terrificant, linique vetant transcendere septum. » Itidem Senec. Tragic. Anapæst. in Hippol. Act. I, sc. 1 : « Picta rubenti linea pinna Vano claudat terrore feras. »

1. *Aliena anima*. Vita quæ jam ipsorum non est. Aliena anima existimanda est, cui tantum periculum imminet, ut durare vix possit.

2. *Acerbum et sanguinarium..... sui*, h. e. quem tyrannum armis suis tutantur, illius mox ipsos tædeat satellites pigeatque.

XIII. Arg. Tyrannorum misera conditio ad bonorum regum beatam vitam.

3. *Ferramentis.... paratis*. Ut in Regulo, quem Carthaginienses resectis palpebris illigatum in machina clavis ferreis apta vigilando necasse dicuntur. Cic. in Pison. 19. Cf. ad de Provid. 3, 5. Ferramentum, ait *Ruhkopf*, de quocunque instrumento, sc. qualibet machina ferrea aut ferro obducta dici constat, e. c. de gladio, cruce. Ego nescio an tam late illa vox pateat; et de machinis solis intelligo, quales modo ipse nominavit Annæus equuleos, qualia et quæcumque ad quæstionem dandam idonea sunt. Forte et specialius Noster in mente habuit Apegam hanc quam Nabis tyrannus Lacedæmoniorum repererat, fœminam ferream aculeis novaculis gladiolisque rigentem, quam inimicos adire amplectique jubebat, ita ut mucronibus undique pungerentur, stringerenturque.

4. *Rebus noxior*. Omnium MSS. lectio : i. e. omnibus actionibus suis et omni respectu culpa dignior et soll. etc. eo perductus, etc. τὸ *ut qui.... timeat* ad explicandum τὸ *sollicitior* adjectum puto. Removi itaque e textu Lipsii emendationem *reis* : in Bipont. est operarum vitio : *rei*.

sunt[1]; quid autem eo infelicius, cui jam esse malo
necesse est[2]? O miserabilem illum, sibi certe (nam cæ- 2
teris misereri ejus nefas sit), qui cædibus ac rapinis po-
tentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam
externa, quam domestica; quum arma metuat, ad arma
confugiens; non amicorum fidei credens, non liberorum
pietati[3]! Qui ubi circumspexit quæque fecit, quæque fa-
cturus est, et conscientiam suam plenam sceleribus ac
tormentis adaperuit[4], sæpe mortem timet, sæpius optat,
invisior sibi quam servientibus. E contrario is[5] cui curæ 3
sunt universa, quanquam alia magis, alia minus tue-
tur, nullam non Reipublicæ partem tamquam sui nutrit,
inclinatus ad mitiora, etiamsi ex usu est[6] animadver-
tere, ostendens quam invitus aspero remedio manus ad-
moveat[7]; in cujus animo nihil hostile, nihil efferum
est; qui potentiam suam placide ac salutariter exercet, 4
approbare imperia sua civibus cupiens, felix abunde

1. *Scelera enim sceleribus tuenda sunt.* Jam Nostratis *Racine* locum excitavimus (*Britannicus*, Act. IV, scen. III):

Soutenir vos rigueurs par d'autres cruautés,
Et laver dans le sang vos bras ensanglantés.

2. *Cui jam esse malo necesse est?* Hanc scelestam vitam agendi necessitatem expresserunt *Boileau*, Epistol. X, 165:

Dans le crime il suffit qu'une fois l'on débute;
Une chute toujours attire une autre chute.
L'honneur est comme une île escarpée et sans
bords,
On n'y peut plus rentrer dès qu'on en est dehors.

Et nuperius *d'Avrigny* (*Jeanne d'Arc*, Act. I.)

Ainsi donc, sous la loi d'un funeste pouvoir,
Le devoir est un crime et le crime un devoir.

3. *Qui cædibus ac rapinis.....pietati.* Dionysium majorem præsertim hic expressum putes. Cf. modo Cic. Tusc. lib. V, cap. 20, 21.

4. *Et conscientiam..... adaperuit.* Eamdem fere sententiam Tacitus Ann. lib. VI, cap. 6, sub fin. « Si tyrannorum mentes recludantur, possint adspici laniatus et ictus; quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur. » Ex loco magno Platon. lib. IX, de Rep. p. 255. T. VII, expressit, cujus et Noster memor fuisse videtur.

5. *E contrario is*, etc. Præclara stamina apud Platonem l. l. exstant eorum quæ hic enuntiata sunt.

6. *Etiamsi ex usu est.* Hoc est, quanquam expedit, utilitatem et necessitatem habet.

7. *Quam invitus..... admoveat.* Huc pertinet quod supra dixit, cap. 10, fin. de Augusto: « Dare illum

sibi visus, si fortunam suam publicaverit; [1] sermone affabilis, accessuque facilis; vultu, qui maxime populos demeretur [2], amabilis, æquis desideriis propensus, nec iniquis [3] acerbus, a tota civitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines secreto loquentur, quæ
5 palam. Tollere filios cupiunt, et publicis malis sterilitas indicta recluditur: bene se meriturum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale sæculum ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus, nihil præsidiis eget; arma ornamenti causa habet.

1 XIV. Quod ergo officium ejus est? quod bonorum parentum, qui objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter solent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis sanus filium a prima offensa [4] exhæredat? nisi magnæ et multæ injuriæ patientiam evicerint [5], nisi plus est quod timet, quam, quod damnat, non accedit ad decretorium stylum [6]. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem et pejore loco jam positam revocet; simul deplorata est [7], ultima [8] experitur:

pœnas apparebat, quum exigeret. »

1. *Si fortunam..... publicaverit.* Id est, in publicum derivaverit.

2. *Populos demeretur.* De populis optime meretur, populis sibi devincit et conciliat.

3. *Nec iniquis.* E Lipsii conjectura reduxi: sensu postulante. Legebatur antea: *etiam.*

XIV. Arg. De officio boni principis exponit, quale sit.

4. *A prima offensa*: bona lectio. Id est, statim post, s. propter primam offensam. Alii, minus bene: *ad primam offensam.*

5. *Evicerint.* Sic recte, noli emendare *evicerunt.* Futurum enim exactum, est tempus indicativi.

6. *Decretorium stylum.* Id est, ad ultimam sententiam ferendam, qua aliquid decernitur, ut mutari non amplius possit. Hinc ita appellantur arma decretoria, quibus de victoria aut vita cernitur, opponuntur lusoriis, quibus animi causa utimur. Cf. Ep. CII, CXVII.

7. *Deplorata est.* Scilicet indoles. Bene se habet. Gronovius tamen mavult e codice: *deploratum est*, scil. negotium.

8. *Simul..... experitur.* Ubi, postquam, simul atque de eo actum est, exhæredationem scribit; nec eo tamen consilio ut filio revera nihil relinquat, sed ut metu egestatis eum contineat, revocetque ad meliora.

nemo ad supplicia exigenda pervenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum 2
est [1], quem appellavimus Patrem Patriæ [2], non adulatione vana adducti. Cætera enim cognomina honori data sunt. Magnos [3] et Felices [4] et Augustos [5] diximus, et ambitiosæ majestati quidquid potuimus titulorum congessimus, illis hoc tribuentes : Patrem quidem patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos reponens [6]. Tarde sibi pater membra sua [7] abscidat: 3
etiam quum absciderit, reponere cupiat : et in abscidendo gemat, cunctatus multum diuque. Prope enim est, ut libenter damnet, qui cito : prope, ut inique puniat, qui nimis. Erixonem equitem Romanum [8] memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat [9], po-

1. *Quod parenti, etiam Principi faciendum est.* Πατὴρ δ᾽ ὣς, ἤπιος ἦεν. Odyss. lib. II.

2. *Patrem patriæ.* Hoc cognomen jam notavimus cap. 10, ab universis repentino maximoque consensu Augusto delatum esse.

3. *Magnos.* Ut Pompeium Cæsaris æmulum imparem, qui patris sui (Cn. Pompeii Strabonis) cognomen obscurum *Magni* titulo mutavit. « Africa tota subacta et in ditionem redacta, Magnique nomine in spolium inde capto, etc. » ait Plin. Nat. Hist. lib. VII, cap. 27, pag. 29. Bip. Tom. II, Plutarch. Pomp. cap. XIII, pag. 460: Καὶ προελθὼν ἀπήντησεν αὐτῷ, καὶ δεξιωσάμενος ὡς ἔνην προθυμότατα, μεγάλῃ φωνῇ Μάγνον ἠσπάσατο, καὶ τοὺς πάροντας οὕτως ἐκέλευσε προςαγόρευσαι· σημαίνει δὲ μέγαν ὁ Μάγνος. Ἕτεροι δέ φασιν ἐν Λιβύῃ πρῶτον ἀναφώνημα τοῦτο τοῦ στράτου πάντος γίνεσθαι, κράτος δὲ λαβεῖν καὶ δύναμιν, ὑπὸ Σύλλα βεβαιωθέν.

4. *Felices.* Ut Sullam. Lucanus, lib. II : « Hisne salus rerum, Felix his Sulla vocari, His meruit medio tumulum sibi tollere Campo? » Vid. quæ ad Consol. ad Marc. cap. 12, 6.

5. *Augustos.* Nomen antea Diis divinisque rebus impositum Octavio imperanti detulit senatus, detulit deinde omnibus qui regnavere, præmisso edicto quo vetabatur, ne quis id nominis sibi assumeret; ita ut mox Imperatoris συνώνυμον evaserit.

6. *Suaque..... reponens.* Id est, ponens. Verba enim composita ex *re* pro simplicibus adhibent scriptores Augustei et insequentis ævi. Ernesti ad Sueton. Octav. 78.

7. *Abscidat.* Et mox *abscidendo* refinxi codd. secutus. Antea : *abscindat*, *abscindendo*.

8. *Erixonem equitem Romanum*, etc. Seneca unus hoc tradidit.

9. *Occiderat.* Sic omnes libri. Bene hariolationem nonnullorum : *ceciderat* repressit Lipsius.

pulus in foro graphiis [1] confodit. Vix illum Augusti Cæsaris auctoritas infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.

1 XV. T. Arium [2], qui filium deprehensum in parricidio exsilio damnavit [3], causa cognita, nemo non suspexit, quod contentus exsilio, et exsilio delicato [4], Massiliæ parricidam continuit, et annua [5] illi præstitit, quanta præstare integro [6] solebat. Hæc liberalitas effecit, ut, in qua civitate nunquam deest patronus pejoribus [7], nemo dubi-

1. *Graphiis.* Stylis ferreis, ima parte acutis, superiore latis, quibus scriberent et delerent litteras in pugillaribus factas. Usus graphiorum in hac re occurrit interdum : Sueton. Cæs. 82. Calig. 28. Gladiis autem pacis tempore in urbe cincti non erant Romani : sed quum nemo sine pugillaribus esset paullo doctior, nec graphio carere poterat.

XV. Arg. Quum bonus princeps animum patris gerat, exempla affert patris, filium moderate punientis, et boni principis.

2. *T. Arium.* Mureto hæc debetur lectio, quam effinxit e codd. scriptura : *Tarium* (quem L. Tarium Rufum ipso Augusti imperio consulem fuisse ann. U. C. 737, fasti docent, notante Lipsio). Placet hæc lectio propterea quoque, quod Augusti amicitia cum Ario seu Areo nota est. — In nominibus magnam Mss. codd. esse diversitatem, constat. Sic cap. præced. § 3. Erixonem, alii Trixonem, alii Buxonem tradunt. — *T. Arium.* Nisi is sit Areus, qui in Consol. ad Marc. IV, 2, (vid. ib. not.) ut Augusti philosophus et amicus commemoratur, unicus hic locus est, in quo ejus mentio fit. Arei filii memorantur ap. Sueton Octav. 89. Scribitur et Arius Reimar. ad Dion. T. I, pag. 647. Cæterum Seneca unus hanc rem tradidit.

3. *Exsilio damnavit.* Quomodo damnavit? Ipse ergo, inquies, forsan judex, aut forsan prætor urbanus fuit? Mirandum tamen licuisse ei qui læsus fuerat contra læsorem decernere. Sequentia rem omnem tibi explanabunt. *Exsilium* proprie fuit relegatio (cf. § 4) quoniam *continuit*, hoc uno loco eum clausit et circumscripsit.

4. *Delicato.* Lipsio monente prætuli vulgatæ *delegato*, parum idoneo sensu. *Delicato* spectat tum ad urbem Massiliam, in qua delicate vivere licebat; tum ad divitias quibus hunc gaudere pater optimus voluit. Lipsius idcirco laudat Milonis jocum in Ciceronem : Tu si ita dixisses, non sic Massiliæ mullos ederem, e Dion. Cass. lib. XL, 54.

5. *Annua.* Scilicet pecuniam annuam, unde alimenta, vestes aliaque vitæ necessaria haberet; immo multo plus, quum delicato (hoc est, *deliciarum pleno*) exsilio frui huic concessum sit. Sueton. Tib. 50.

6. *Integro.* Hoc est, innocenti. « Integer vitæ, etc. » Horat. lib. I, Od. XXII. Gall. dicimus *intègre*.

7. *In qua civitate nunquam deest patronus pejoribus.* Id de multis

taret, quin reus merito damnatus esset, quem is pater
damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exem- 2
plo dabo, quem compares bono patri bonum Principem.
Cogniturus [1] de filio T. Arius, advocavit in consilium
Cæsarem Augustum. Venit [2] in privatos penates, assedit,
pars alieni consilii fuit. Non dixit ; « Immo in meam domum veniat » : quod si factum esset, Cæsaris futura erat
cognitio, non patris. Audita causa, excussisque [3] omnibus, 3
et his quæ adolescens pro se dixerat, et his quibus arguebatur [4], petiit [5], ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quæ Cæsaris fuisset [6]. Deinde priusquam aperirentur codicilli [7], juravit, se T. Arii hominis locupletis hæreditatem non aditurum [8]. Dicet aliquis : pusillo animo timuit, ne videretur locum spei suæ
aperire velle filii damnatione. Ego contra sentio. Quilibet 4
nostrum debuisset adversus opiniones malignas satis fiduciæ habere in bona conscientia : Principes multa debent etiam famæ dare. Juravit, se non aditurum hæreditatem.

causis : primo quidem ob hanc humani ingenii consuetudinem ut afflictos ærumnososque homines innocentes judicemus ; tum quod divites tantum et elegantes viri Massiliæ relegarentur. Quis enim pauper hanc in urbem migrasset, ubi vitia etiam magno constabant ? et quis, nisi dives, post multa sceleste turpiterque admissa, id impetravisset, ut in voluptuarias domos, nomine exsilii, mitteretur ?

1. *Cogniturus*. Sententiam laturus erat : nam propter patriam potestatem erat privatus filiorum judex et censor. Affinibus congregatis et Cæsarem advocavit.

2. *Venit*. Ille nempe, Augustus haud infra majestatem suam, ratus si in privata domo judicaret.

3. *Excussisque omnibus*. Hoc est, iis rebus accurate consideratis quæ ad causam pertinebant.

4. *Arguebatur*. Convincebatur.

5. *Petiit*. Ipse Cæsar. Alii, *petit*.

6. *Ne ea omnium fieret, quæ Cæsaris fuisset*. Ne adulationis certamine id omnes alii censerent, quod ipse Cæsar censuisset.

7. *Aperirentur codicilli*. Hoc est, urnam in quam codicillos conjecerant. Codicilli autem sunt pugillares, in quibus sententiam quisque suam conscripserat. Ergo *aperire codicillos* idem fere est quod nobis *dépouiller les suffrages*.

8. *Juravit..... aditurum*. Præcavit itaque, ne quis crederet, ipsum hæreditatis spe sententiam suam tulisse. Morem hujus sæculi, ut orbi, aut qui

Arius quidem eodem die et alterum hæredem[1] perdidit, sed Cæsar libertatem sententiæ suæ redemit[2]: et postquam approbavit gratuitam esse severitatem suam, quod principi semper curandum est, dixit : Relegandum, quo patri videretur. Non culleum, non serpentes, non carcerem decrevit[3], memor non de quo censeret, sed cui in consilio esset. Mollissimo genere pœnæ contentum esse debere patrem dixit in filio adolescentulo, impulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia[4], timide gessisset[5]: debere illum ab urbe et a parentis oculis submoveri.

XVI. O dignum, quem in consilium patres advocarent! o dignum, quem cohæredem innocentibus liberis scriberent! Hæc clementia Principem decet, ut quocumque venerit, mansuetiora omnia faciat. Nemo regi tam vilis

beneficia a Cæsaribus accepissent, hos sive ex asse, sive ex parte hæredes vel superstitibus liberis scriberent, fuse enarrabimus ad Consol. ad Marc. 19, 2. Augustum quidem hæreditates minime appetiisse, docet Sueton. c. 66, fin. quamvis tamen, ut supra jam notavimus, ex amicorum morientium testamentis quadragies millies, h. e. 4,000,000,000 H. S. (nostræ monetæ fere 800 *millions*) accepisset.

1. *Arius.......... perdidit.* Filium, quum Cæsar se hæreditate abdicasset.

2. *Redemit.* Aptissime. Fingamus enim fuisse Ario quinquagies (nostræ monetæ fere *un million*); jam emit Augustus jus liberi suffragii vicies quinquies sestert.

3. *Non culleum..... decrevit.* Supplicia parricidarum solennia, ut capite et ore obvolutis in carcerem ducti, deinde in fluvium conjicerentur culleo, id est, sacco coriaceo insuti (una cum serpente, simia, gallo gallinaceo et cane, ex lege Pompeii, § 9, Instit. de publicis judiciis). Juvenal. lib. VIII, cap. 214, ib. Intpp. Cic. de Invent. lib. II, cap. 50. Pro Sext. Roscio Amerin. cap. 26.

4. *Proximum erat ab innocentia.* Innocentiæ non simillimum, sed proximum.

5. *Se...... timide gessisset.* Et propter hoc forsan, in parricidis deprehensus esset. Scilicet patris interficiendi consilium cepisset, inchoatumque non perfecisset, in exsequenda cæde trepidus et hærens.

XVI. Arg. Clementia itaque, ut cuique homini, ita præsertim principi honori ducenda est. Quod firmat illorum exemplis quibus dominationis genus quoddam est, patri nempe in liberos, præceptori in discipulos, tribunoque in milites; immo et mutorum animalium quæ domandi peritus benigne punit, benigne docet, ut

sit, ut illum perire non sentiat : qualiscunque, pars imperii est. In magna imperia ex minoribus [1] petamus exemplum ! Non est unum imperandi genus : imperat Princeps civibus suis, pater liberis, præceptor discentibus, 2
tribunus vel centurio militibus. Nonne pessimus pater videbitur, qui assiduis plagis liberos, etiam ex levissimis causis, compescet ? Uter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificabit discipulos, si memoria illis non constiterit [2], aut si parum agilis in legendo oculus hæserit [3], an qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit ? Tribunum centurionemque da sævum : desertores faciet ; quibus tamen ignoscitur [4]. Numquidnam æquum est, gravius homini et durius imperari, quam imperatur 3
animalibus mutis ? atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magister. Fiet enim formidolosus et contumax, nisi eum tactu blandiente permulseris. Idem facit venator, qui instituit catulos vestigia sequi, quique jam exercitatis utitur ad excitandas vel persequendas feras. Nec crebro illis minatur ; contundet enim animos, et quidquid est indolis, comminuetur trepidatione degeneri ; nec licentiam vagandi errandique passim concedit. Adjicias his licet tardiora agentes jumenta : quæ quum ad

vel feras excitent et persequantur, vel equitem patiantur.

1. *Ex minoribus*. Imperiis.

2. *Memoria illis non constiterit*. Memoria deficiente lapsi sint, et aliquantulum in recitandis auctoribus immorentur.

3. *Aut si parum agilis..... hæserit*. Quod eo facilius evenire debuit, quum literæ majusculæ seu unciales semper essent, et una serie nec ulla interpunctione adhibita semper scriberentur.

4. *Quibus tamen ignoscitur*. Quocumque te vertas, nullum sensum idoneum exprimas. Sequi debebat : tribunus tamen mitis monitionibus emendabit, quibus ignoverit. Puto itaque verba quædam hic excidisse. Lipsii interpunctione nihil proficimus. « Tu, ait, interpunge : *desertores faciet. Quibus..... ignoscitur ? N.* etc. Sententia aperta. Ignosci volumus, et quibus ? hominibus. Atqui et brutis ignoscitur et molliter habentur : cur non magis illis ? » Mox *contundet* reposui : in Gronov. Bip. al. est *contunde* operarum vitio.

contumelias et miserias nata sint, nimia sævitia coguntur jugum detrectare.

1 XVII. Nullum animal morosius est, nullum majore arte tractandum, quam homo; nulli magis parcendum. Quid enim stultius, quam in jumentis et canibus erubescere iram exercere, pessima autem conditione sub homine hominem [1] esse? Morbis medemur, nec irascimur: atqui et hic morbus est animi: mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum ægro. Mali
2 medici est, desperare, ne cures. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debebit, cui credita salus omnium est: non cito spem projicere, nec mortifera signa pronuntiare. Luctetur cum vitiis, resistat; aliis morbum suum exprobret; quosdam molli curatione decipiat, citius meliusque sanaturus remediis [2] fallentibus. Agat Princeps curam, non tantum salutis, sed etiam honestæ cicatricis. Nulla regi gloria est ex sæva animadversione; quis enim dubitat posse? at contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit [3].

1 XVIII. Servis imperare moderate, laus est; et in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura;

XVII. Arg. Homo præ cæteris animalibus blande tractetur a rege, quippe qui boni et benigni medici similis esse debet.

1. *Sub homine hominem esse.* Tò *hominem* de suo inseruit Lipsius, me suffragante.

2. *Sanaturus remediis fallentibus.* Lucret. R. N. lib. IV, vss. 11, sqq. « Nam veluti pueris absinthia tetra medentes Quum dare conantur, prius oras, pocula circum, Contingunt mellis dulci flavoque liquore, Ut puerorum ætas improvida ludificetur Labrorum tenus; interea perpotet amarum Absinthî laticem, deceptaque non capiatur; Sed potius, tali tactu recreata, valescat.

3. *Impendit.* Gallice: *Sacrifie.*

XVIII. Arg. Quum et laus sit, servis moderate imperare, quanto major esse debet principi, hominibus ingenuis, ejus tutelæ creditis, clementer imperare! Exemplum domini, crudelissimi in servos suos, Vedii Pollionis apponitur.

quæ parcere etiam captivis et pretio paratis[1] jubet. Quanto justius jubet, hominibus liberis, ingenuis, honestis, non ut mancipiis abuti, sed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita servitus sit, sed tutela[2]? Ser- 2
vis ad statuam licet confugere[3]. Quum in servum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune jus animantium vetet[4], quia ejusdem naturæ est, cujus tu. Quis non Vedium Pollionem[5] pejus oderat, quam servi sui, quod murænas sanguine humano saginabat: et eos qui se aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud, quam serpentium[6], abjici jubebat? O hominem mille mortibus 3
dignum! sive devorandos servos objiciebat murænis, quas esurus erat, sive in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret[7]. Quemadmodum domini crudeles tota civitate com-

1. *Pretio paratis.* Servis, ὠνητοῖς, ἀργυρωνητοῖς.

2. *Quanto justius..... sed tutela?* Optime Tacit. de hoc genere imperii quo res vulgo diversissimæ principatus et libertas sociantur, lib. I, Hist. cap. 16: « Neque enim hic, ut in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus et cæteri servi; sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem. »

3. *Servis.... confugere.* Imperatoriam nempe; nam imperatorum temporibus hunc morem invaluisse, ut servi injuria aut pœna afficiendi ad statuam principis (quæ quidem multæ fuere), ut ante ad aram et templa, et græco more, tanquam ad asylum confugerent, egregie docuit Lipsius, ad Tacit. Annal. III. Excurs. F. p. 406, Tom. IV, nost. edit. Ed.

4. *Licere commune jus animantium vetet.* Jus animantium hic id fere est quod vocamus *les droits de l'homme*. Ἀντίθεσις est τοῦ *licere* cum τῷ *vetet*; quasi diceretur: Licere omnia non licet. Cæterum nihil unquam minus utiliter quam id Neroni dictum, qui, quum propinquorum, amicorum, Romanorum omnium cervicibus acrior in dies incumberet, dictitabat: « Nescisse hactenus Cæsarem quantum imperatori liceret ». Regnaverant tamen Tiberius et Caius!

5. *Quis non Vedium Pollionem*, etc. Cf. de Ira, lib. III, cap. 40: « Fregerat unus ex servis ejus, etc. » Idem Plin. Hist. Nat. lib. IX, cap. 29: « Invenit in hoc animali documenta sævitiæ Vedius Pollio, eques Romanus, ex amicis Divi Augusti, vivariis eorum immergens damnata mancipia, etc. »

6. *Vivarium, quid aliud quam serpentium.* Id est, vermium (cf. Plin. VII, 52. Bip. ubi pediculi ita vocantur cum notione contemptus). Serpentes sæpe id valent quod τὰ ἑρπετά. Cæterum forma murænæ similes sunt, ut anguillæ, serpentibus.

7. *Sive devorandos.... ut sic aleret*,

monstrantur, invisique et detestabiles sunt; ita regum et
injuria latius patet et infamia, atque odium sæculis tra-
ditur. Quanto [1] autem non nasci fuit, quam [2] numerari in-
ter publico malo natos?

1 XIX. Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis
decorum regenti sit, quam clementia: quocumque modo
is, et quocumque jure præpositus [3] cæteris erit. Eo scili-
cet formosius id esse magnificentiusque fatebimur, quo
in majori præstabitur potestate, quam non oportet noxiam
2 esse, si ad naturæ legem componitur. Natura enim com-
menta est regem [4]: quod et ex aliis animalibus licet

Seu magnificum crederet sanguine humano, re omnium pretiosissima, animalia pasta edere; seu tantum sanguine humano animalia muta pascere. Non tangit Annæus, forte an consilio, causas omnes sævitiæ; quarum prima murænarum amor quidam, quo in stulta sæpe magni viri delabebantur. L. Licinius Crassus, orator, murænam in piscina domus suæ natam, atratus, tanquam filiam luxit. Misericors hic fuit plus æquo et pronior in lacrimas; ille immanis et sævus: sed uter insanior? et quid mirum, quibus in locis viliores erant servi quam homines novi, plebeii, proletarii, et piscis aliquando pluris constabat quam mancipium, si vir bonus murænam atratus lugeret, a viro malo murænas ἀργυρωνήτων sanguine innutriri?

1. *Quanto*. Pro *quanto melius*.

2. *Non nasci fuit, quam*. Hanc lectionem germanam, in cod. Nazariano unico servatam, prætulit Gronovius ut elegantiorem, quam quum librarii non intellexissent, temere emendarunt. Τῷ *esse* autem, sequente τῷ *quam* seu *sed*, etc. inest vis τοῦ melius esse, præstare, sufficere. Quem usum multis exemplis docuit Gronov. Obss. IV, 8, nec Nostro infrequentem: e. c. Nat. Qu. VII, 30, 3, «non erat impelli, sed agitari.» Nat. Quæst. I, præf. § 3, «non fuerat nasci.» Non dubitavi Gron. sequi, quo ipsæ regulæ criticæ duxerunt. Antea: *non nasci melius fuit*.

XIX. Arg. Ab exemplo apum clementia suadetur imperantibus; quarum rex sine aculeo est. Redit inde ad tyrannorum miseriam quos innumeræ et perpetuæ sollicitudines dilacerant, et ad boni principis felicitatem qua nihil magnificentius meliusque in rerum universitate est.

3. *Quocunque jure præpositus*. Quodcunque potestatis imperiique genus huic mandatum sit, sive rex, sive consul dictatorve fuerit, sive annuam et brevem, sive perpetuam dignitatem habeat.

4. *Natura enim commenta est*. Ad id *Ruhkopf*: Dignitatem regiam præstitit, condidit. Plato originem tyrannidis a divitiis nimiis et luxu inde orto, ideoque et morum corruptione derivavit. T. VII, pag. 221, sq. de Republ. VIII, Bip. Sed iis exceptis quæ de Platonica sententia

cognoscere, et ex apibus [1], quarum regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum : et amisso rege totum dilabitur examen : nec unquam plus unum [2] patiuntur, melioremque pugna quærunt. Præterea insignis regi forma est [3], dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore.[4] Hoc tamen maxime distinguitur. Iracundissimæ, ac pro corporis captu [5] pugnacissimæ sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt; rex ipse sine aculeo est [6]. No-

narrat, errare eum liquet. Non ait Seneca tantum dignitatem regiam a natura esse, sed ostendisse naturam in apum rege, quæ regibus dotes maxime convenirent.

1. *Quod...... apibus*, etc. Quæ hic de apibus traduntur, ea fere omnia apprime conveniunt cum iis, quæ et recentiores de apibus observarunt. In eo tamen differunt, quod nobis rectius dux apum regina quam veteribus rex appellatur : est autem unica fœmina et mater omnium apum. An, ut Noster affirmat, sine aculeo illa sit, in ancipiti est, ut ait Plinius, Nat. Hist. lib. XI, cap. 17 : « Ecce in re parva villisque nostris annexa, cujus assidua copia est, non constat inter auctores : rex nullumne solus habeat aculeum, majestate tantum armatus; an dederit eum quidem natura, sed usum ejus illi tantum negaverit ». Aristotel. H. A. lib. V, cap. 21, et Columella, lib. IX, aculeum pernegavere. Cæterum cf. Virgil. Georg. lib. IV, vss. 152, sq. ib. Intpp. Plin. Nat. Hist. lib. XI, cap. 10, sq. 17, sq. Qui vero breviter et bene collecta legere velit potiora, quæ recentiores de apibus observarunt, is adeat *Buffon*, *Histoire Naturelle*, et *Funke*, *Naturgeschichte* et *Technolog.* Tom. I, pag. 481, sqq. qui nec recentissimas de apum œconomia et natura observationes, pag. 493, prætermisit; modo fontes suos addidisset.

2. *Nec unquam plus unum patiuntur.* Hoc est, nec patiuntur diutius plus unum esse et posse quam omnes, nisi quis dignus erit principatu, quod statim ineunte prælio declarat victoria.

3. *Insignis regi forma est.* Codd. duo Mss habent *insignis regi forma*, dempto τοῦ *est.*

4. *Hoc.* Quod sequentia declarabunt, scil. regem armatæ gentis inermem esse.

5. *Pro corporis captu.* Si ad exigui corporis captum respicias. *Captus* est idem ac *comprehensio*, sive active ea vox sumatur (quatenus nempe comprehendere, attingere illæ possunt), sive passive (quatenus comprehendi, tangi). Melius tamen passive. Quod ad sententiam totam pertinet, idem Virgilius sic expressit, Georg. lib. IV, vs. 83 : « Ingentes animos angusto in pectore versant. »

6. *Rex ipse sine aculeo est.* Vid. hujus capitis Argumentum, et supra not. 1. Cæterum jure an falso id dixerit Seneca, ad rem minime pertinet; nam eadem semper consequentia est. Etiamsi enim aculeo regina apum instructa sit, ubi ille aculeus pun-

luit illum natura nec sævum esse, nec ultionem magno
constaturam petere; telumque detraxit, et iram ejus iner-
3 mem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est.
Est enim illi mos, exserere se in parvis, et ingentium re-
rum documenta minima agere[1]. Pudeat, ab exiguis ani-
malibus non trahere mores; quum tanto hominum mode-
ratior esse animus debeat, quanto vehementius nocet.
Utinam quidem eadem homini lex esset; et ira cum telo
suo frangeretur; nec sæpius liceret nocere quam semel;
nec alienis viribus exercere odia! facile enim lassaretur
furor, si per se sibi satisfaceret, et si mortis periculo vim
4 suam effunderet. Sed ne nunc quidem illi cursus tutus
est[2]. Tantum enim necesse est timeat, quantum timeri
voluit, et manus omnium observet, et eo quoque tempore,
quo non captatur, peti se judicet, nullumque momentum
immune a metu habeat. Hanc aliquis ægram[3] vitam sus-
tinet, quum liceat innoxium illis et ob hoc securum, sa-
lutare potentiæ jus, lætis omnibus, tractare? Errat enim,
si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rege

gere non potest, videtur natura noluisse imperanti placere sævitiam ultionemque magno constaturam.

1. *Ingentium rerum documenta minima agere.* Cur Lipsio *minima* seu *minimis*, et Jureto *de minimis* præ vulgata arriserit, equidem vix intelligo. Vulgata egregie se habet. Quid enim manifestius est, quam hæc naturæ usitatissima via consilii, quæ indiciis minimis nos agat ad ingentes res ordinandas? Nisi forte displiceat continenti textu scripta *doc.* et *min.* quum hoc ad τὸ *agere*, illud ad τὸ *ingentium rerum* referri debeat. Nam hoc est quinque verborum ξύνταγμα et ξύστημα: Agere (h. e. reddere, efficere) minima (res minimas) docum. ing. rerum; hoc vero καταψήφισμα: e minimis documenta ad ingentes res sibi extundere, a parvarum rerum habitu ac tenore magnitudinem edoceri.

2. *Sed ne nunc quidem illi cursus tutus est.* Ad novam γνωμὴν exsilit. Modo nempe id in votis suis exclamavit: Periculum summum huic adesse qui ultionem vel semel exercuerit. Nunc votorum compotem sese fingit, immo ait non modo summum in discrimen incurri, postquam ultio exacta est, sed dum exigitur, non solum postquam in hostis supplicio sese ira explicuit; sed eo ipso tempore quo in adversarium fertur et invisum caput tandem ferit.

3. *Ægram* reduxi ex Erasm. al. Grutero quamvis refragante, qui

tutum est. Securitas securitate mutua paciscenda est [1]. Non 5
opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire [2], nec latera montium abscidere, multiplicibus se muris turribusque sepire : salvum regem in aperto [3] clementia præstabit. Unum est inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius est quam vivere optantibus cunctis, et vota non sub custode nuncupantibus [4]? si paullum valetudo titubavit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne quod illi contingit, sibi quoque evenire deputet? In hoc [5] assiduis bonitatis argumentis probavit, non Rempublicam suam esse, sed se Reipublicæ. Quis huic audeat struere aliquod periculum? quis ab hoc non, si possit, fortunam quoque avertere velit, sub quo justitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent; sub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat? Nec 7

agere commendavit, quod in Gron. Bip. etc. derivatum est. *Ægram* sensus loci quoque commendat.

1. *Securitas securitate mutua paciscenda est.* Vid. supr. cap. XI, pag. 220, not. 5, ubi hunc locum non prætermisimus.

2. *In adscensum arduos colles emunire* est vulgata lectio. In manusc. Herbipolit. apud Dominicanos est : *nec in asc. arduo calle muniri.* Quod præfert Schottus. Mox *abscidere* dedi codd. Mss. secutus. Antea *abscindere.*

3. *In aperto.* Ne lateas, Imperator, intra lapidum congeriem et lancearum ensiumque ferreos muros; sed prodeas in publicum : incolumem te bonitas præstabit. Cæterum simile quid quoque apud Claudian. legebatur IV Cons. Honorii : « Non sic excubiæ, non circumstantia tela Quam regem tutatur amor. »

4. *Et vota non sub custode nuncupantibus.* Tale quid in publicis precationibus certe factum esse videtur sub tyrannis Caio, Claudiove : quo spectant Plinii Nat. Histor. lib. XXVIII, cap. 3, Bip. verba hæcce : « Vidimusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus : et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, etc. » Et Noster hanc consuetudinem Caligulæ, quamvis in alia re, custodem dandi tradidit, de Ira, lib. II, cap. 33, 4. Lipsius de delatoribus cogitasse videtur, et propter Plinii Panegyr. 67 et 68.

5. *In hoc.* Lipsius reponere mavult, *is hoc*, vel, *qui*: si tamen, addit, non aliquis hic defectus. Fortasse erat : *ita hoc.*

alio animo rectorem suum intuetur, quam, si Dii immortales potestatem visendi sui faciant, intueamur [1] venerantes colentesque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui se ex Deorum natura gerit, beneficus ac largus, et in melius potens? Hæc affectare, hæc imitari decet: maximum ita haberi, ut optimus simul habeatur [2].

1 XX. A duabus causis [3] punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium. Prius de ea parte disseram, quæ ipsum contingit. Difficilius est enim moderari, ubi dolori [4] debetur ultio, quam ubi exemplo [5]. Supervacuum est hoc loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat, ut innocentiæ faveat, et appareat, ut non minorem agi rem periclitantis, quam judicis, sciat [6]: hoc ad justitiam,
2 non ad clementiam pertinet. Nunc [7] illum hortamur, ut manifeste læsus, animum in potestate habeat, et pœnam, si tuto poterit, donet; sin minus, temperet; longeque sit in suis, quam in alienis, exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit: ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eum qui quum suis stimulis exagitetur, non prosilit; qui intelligit magni animi esse, injurias in summa potentia

1. *Intueamur*. Hanc codd. lectionem alteri *intueremur*, cum Lipsio præfero.

2. *Habeatur*. Male nonnulli scripti: *habeare*. Universe enim disputat Seneca, nec locus idoneus allocutioni ad Neronem est.

XX. Arg. Vindicta principis aut privata, aut publica est.

3. *A duabus causis*. Id est, ob, vel propter. E codd. recte reduxit Gron. Antea: *Duabus de causis*.

4. *Ubi dolori*. Proprio, quum se aliquis vindicat.

5. *Ubi exemplo*. Publicæ vindictæ causa.

6. *Appareat, ut non minorem agi rem periclitantis quam judicis sciat*. Sic Rudolfus Agricola, Lipsio et Gronov. suffragantibus, restituit e libris; i. e. ut innocentiam adjuvet et ut cogitet judex, etiam quum se vindicat, non minorem periclitantis, quam sui respectum habendum esse. Sic bene loci sensum expedit Gronov. Antea: « ut appareat non minus rem agi ..... quam judicis ».

7. *Nunc*. Spectat ad præcedentia.

pati, nec quidquam esse gloriosius principe impune læso.

XXI. Ultio duas res præstare solet : aut solatium af- 1
fert ei qui accepit injuriam, aut in reliquum securitatem. Principis major est fortuna, quam ut solatio egeat; manifestiorque vis, quam ut alieno malo opinionem sibi virium quærat. Hoc dico, quum ab inferioribus petitus violatusque est : nam si, quos pares aliquando habuit, infra se videt, satis vindicatus est. Regem et servus occidit, et serpens, et sagitta : servavit quidem nemo, nisi
major eo quem servavit. Uti itaque animose debet tanto 2
munere Deorum, dandi auferendique vitam potens; in his præsertim, quos scit aliquando simile fastigium [1] obtinuisse : hoc arbitrium adeptus [2], ultionem implevit, perfecitque quantum veræ pœnæ satis erat. Perdidit enim vitam, qui debet[3]; et quisquis ex alto ad inimici pedes abjectus, alienam de capite regnoque [4] sententiam exspectavit, in servatoris sui gloriam vivit, plusque nomini ejus
confert incolumis, quam si ex oculis ablatus esset. Assi- 3
duum enim spectaculum alienæ virtutis est : in triumpho cito transisset. Si vero regnum quoque suum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo unde deciderat, ingenti incremento surgit laus ejus, qui contentus fuit, ex rege victo nihil præter gloriam sumere. Hoc est etiam ex victoria sua triumphare, testarique, nihil se quod dignum
esset victore, apud victos invenisse. Cum civibus, et igno- 4

Mihi non est sermo de justitia, sed de clementia.

XXI. Arg. Ultio et vindicta principi indecora : quandoquidem neque satisfactione (*solatio*), neque securitate (*opinione aliorum de viribus suis*) indiget.

1. *Simile fastigium*. E Pinciani conjectura est, a Lipsio recte probata. Antea : *suo fastigio*. Cod. Lipsii : *sibi fastigium*. *Sibi* autem cum *simile* in codd. interdum confunditur.

2. *Hoc arbitrium adeptus*. Id. est, judicium, sententiam. Si res ita decisa, dijudicata est.

3. *Perdidit..... debet* eam victori.

4. *Regnoque*. Bona Lipsii conjectura, libris quibusdam *regioque* dantibus : aliis vero, *regiamque*, quæ et vulgata lectio ante Lipsium erat.

tis, atque humilibus, eo moderatius agendum est, quo minoris est, afflixisse eos. Quibusdam libenter parcas: a quibusdam te vindicare fastidias: et non aliter, quam ab animalibus parvis et obterentem inquinantibus reducenda manus est; at in iis, qui in ore civitatis servati punitique erunt [1] occasione notæ clementiæ utendum est.

1 XXII. Transeamus ad alienas injurias: in quibus vindicandis hæc tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant. Ipsos[2] facilius emendabis minore pœna: diligentius enim vivit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditæ parcit; impunitatis genus est,
2 jam non habere pœnæ locum. Civitatis autem mores magis corrigit parcitas animadversionum: facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium: et minus gravis nota est, quam turba damnatorum levat: et severitas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit auctoritatem. Constituit bonos mores civitati Princeps; et vitia eruit [3] si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam invitus, et cum magno tormento ad castigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipsa cle-

Totus contextus probat receptam Lipsii conjecturam. Codex Herbipolit. habet quoque *regnoque*.

1. *At in iis qui in ore..... erunt.* Id est de quibus omnes loquentur, sive servatis, sive punitis.

XXII. Arg. Et in puniendis delictis ne sit severior princeps, invitus et mitis ad pœnas accedat, et sequatur, quæ a legibus observata videmus.

2. *Ipsos.* Malos facilius ad virtutem reduces, si dignitas et integritas eorum non omnino deleta est.

3. *Et vitia eruit.* E Gronovii conjectura recepi. Muretus dederat *facilius compescit*, e sola conjectura; nam Pinciani codd. plures præbebant: *facilius reprimit.* Erasmus dederat: *et vitia compescit.* Erford. codd. *vitia ejus emendat.* At codd. Nazar et Colon., qui in optimis sunt, *et vitia ejus.* Ex quo manifestum est, utramque vocem a Seneca non esse. Nec *constituere vitia* dici potest, idem valere quod *et redigere in ordinem et coercere*, quæ Gruteri sententia erat, recte a Gronov. repulsa. Ex *ejus* fecit Gronov. *eruit*,

mentia regentis. Gravior multo pœna videtur, quæ a miti viro constituitur.

XXIII. Præterea videbis ea sæpe committi, quæ sæpe 1
vindicantur. Pater tuus [1] plures intra quinquennium culleo insuit [2], quam omnibus sæculis insutos accepimus. Multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quamdiu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altissimi viri et rerum naturæ peritissimi maluerunt, velut incredibile scelus et ultra audaciam positum præterire, quam, dum vindicant, ostendere posse [3] fieri.
Itaque parricidæ cum lege cœperunt; et illis facinus 2
pœna monstravit [4]; pessimo vero loco pietas fuit, postquam sæpius culleos vidimus, quam cruces [5]. In qua civitate raro homines puniuntur, in ea consensus fit inno-

quod recipiendum duxi, sensu etiam postulante tale hoc verbum. Conjici quoque posset a Senecæ manu esse: *eradit* (Ep. II.).

XXIII. Pœnarum frequentia delicta non minuit, sed auget, quin immo gignit; quod probatur parricidiorum numero, quæ sæpius multo quam antehac fiebant, sæviente in dies gravius quam antea Claudio. Qua in urbe tot scelesti puniuntur, traducunturque per ora hominum, hic plerique mox pares fiunt.

1. *Pater tuus.* Claudius, qui Neronem, Agrippina uxore ducta, adoptavit. Suet. Claud. c. 39. Neron. c. 7.

2. *Culleo insuit.* Insui jussit, ut parricidas: conf. de Ira, lib. I, cap. 26, 4. supra ad cap. 15, 5. Rem ipsam tetigit Sueton. Claud. 34. init.

3. *Summa enim.....fieri.* Solonem intellexisse videtur; vide quod Cicero pro Roscio Amerin. 25, exposuit.

4. *Itaque parricidæ.....monstravit.* Hæc cupidius enunciata videntur. Falsa esse quivis intelliget, quandoquidem alioqui omnium legum et necessitas et vis aboleatur necesse est. Tum distinguendum sedulo est, quis rerum status nos veluti obsideat, et temporum, locorum gentiumque adhibenda ratio. Quibus in locis populus novus ac tener in adolescentiam crescit, neque vicinarum gentium pravos mores sibi miscet, pudicitia et integritas amorque parentum valent: hic nec impudicas senescentium civitatum libidines, nec auro emptitiam fidem, nec parricidium intempestivæ leges indicant. At ubi nihil sanctum adeo est quod non violaverint perditi cives, lege opus est. Solonem hic ganniunt; at Solo, si Claudianorum temporum æqualis fuisset, talem legem flagitavisset a Claudio sanciri. Et, ut quæ sentio omnia expediam, persuasum mihi est ante Romæ parricidia exstitisse quam ro gata lex est in parricidas.

5. *Cruces.* Vid. de Providentia, lib. III, cap. 9. Duriora igitur suppliciorum genera in usu fuisse innuit.

centiæ [1], et indulgetur velut publico bono [2]. Putet se innocentem esse civitas ; erit [3] : magis irascitur a communi frugalitate [4] desciscentibus, si paucos eos esse viderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere civitati, quanto plures mali sint.

1 XXIV. Indicta est aliquando a Senatu sententia [5], ut servos a liberis cultus distingueret [6] : deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare

1. *Consensus fit innocentiæ.* Hoc est ad innocentiam omnes adspirant, aut adspirare videntur.

2. *Indulgetur velut publico bono. Publico bon.* casus dandi est, non auferendi ; et *incisæ* sensus : Indulgentia exercetur erga omnium innocentiam (etiam si ab illa semel aut bis aberraverit aliquis) ut erga publicum bonum.

3. *Putet se innocentem esse civitas* : *erit.* Congruunt hæc antecedentibus, falsa falsis. Immutato vero Annæani placiti tenore, verum haberemus, scilicet : « Sit innocens, civitas : innocentem esse se putabit ; » sed non vice versa.

4. *Frugalitate.* Idem hic frugalitas est quam integritas, severi mores. Et hac de causa Pisonum multis cognomen Frugi datum est.

XXIV. Arg. Eadem persequitur quæ supra incepit, aitque periculosum civitati tot malos ostentari ; et exemplum a servulis sumit quos noluit Senatus a liberis veste et cultu distingui, ne multitudinem illi suam, dominorumque paucitatem adverterent. Tum remisse imperanti principi melius parere cives ait, quam illi qui nemini ignoscit ; ingenii humani contumacia, et nobilium animalium quæ mansuetudo sola ducit.

5. *Indicta est aliquando a Senatu sententia.* Lectio est codd. quam et Erasmus in suis invenit. Proinde reduxi. Multi tamen non probant, inter quos Pincian. eminet. Mss. nonnulli *inducta.* Rem igitur, nisi fallor, a Seneca uno memoratam hoc loco discimus. Promulgatam sententiam postea non admissam apparet. *Dicta* idem quod *indicta*, id est, *præfinita:* vid. J. M. Heusinger. ad Cic. de Off. lib. I, cap. 10, 11. Legebatur antea : *Dicta........ in Senatu sententia.* Vel (ex. g. ed. Paris. 1602, in-fol.), inverso ordine : *In Senatu dicta est aliquando sententia.* Placere posset quoque : *Jam dicta*, etc.

6. *Ut servos a liberis cultus distingueret.* Tunica enim et servi et tenuiores cives liberique homines induti erant (Horat. I, Epist. VII, vs. 65 : « Vilia vendentem tunicato scruta popello ; » et incertus auctor Dialog. Orat. « Quod sæpius vulgus imperitum et tunicatus hic populus transeunt, eos nomine vocat et digito demonstrat »). Rara, nisi honestioribus, in publicum prodeuntibus, toga fuit, aut clientibus, quum patronum salutaturi adirent, aut deducerent : Unde Martiali, in notissim. Epigramm. (lib. X, XLVIII) inter felicitatis summæ elementa numeratur « Toga rara, » et paulo infra excidit, (lib. X, Epig. LI, vs. 6) læta ἐκφρόνησις : « O tunicata quies ! » Et apud Græcos eadem cultus ratio valuit.

nos cœpissent [1]. Idem scito metuendum esse, si nulli
ignoscitur : cito apparebit, pars civitatis deterior quanto
prægravet [2]. Non minus Principi turpia sunt multa sup-
plicia, quam medico multa funera. Remissius imperanti
melius paretur. Natura contumax est humanus animus,
et in contrarium atque arduum nitens, sequiturque faci-
lius, quam ducitur. Et ut generosi atque nobiles equi me- 2
lius facili fræno reguntur, ita clementiam voluntaria in-
nocentia impetu suo sequitur, et dignam putat civitas,
quam servet sibi : plus itaque hac via proficitur. Crudelitas
minime humanum malum est, indignum tam miti [3] animo.
Ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac [4] vulneribus;
et, abjecto homine, in silvestre animal transire [5].

XXV. Quid enim interest, oro te, Alexander, leoni 1
Lysimachum [6] objicias, an ipse laceres dentibus tuis? tuum
illud os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius
ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum ca-
pacem [7]! Non exigimus a te, ut manus ista, exitium fami-

1. *Deinde apparuit...... cæpissent.* Simile quid Plato de Republ. IX: p. 253, 4, Tom. VII, Bip. Τί δέ; εἴ τίς θεῶν ἄνδρα ἕνα, ὅτῳ ἐστὶν ἀνδράποδα πεντήκοντα, ἢ καὶ πλείω, etc.

2. *Prægravet.* In alteram trutinæ lancem.

3. *Indignum tam miti animo.* Nil humano ingenio mitius dicentem vid. de Ira, lib. I, cap. 5, et notas.

4. *Ferina ista rabies est.... vulneribus.* Eamdem in sententiam effusus est quoque supra.

5. *Transire.* Id est, mutari.

XXV. Arg. Violenta dicta in Alexandri inclementiam, Lysimachum amicum leoni objicientis. Sævitiæ modum et finem deesse, ita ut tandem in rabiem et furorem degeneret, occidatque occisionis voluptate tantum ducta. Sed periculum imminere tyrannidibus tam nefariis, non ex uno duntaxat, sed ex omnibus; et ut draconum ingentium furori, ut pestilentiæ, ut incendiis vastis, sic tyranno omnes obstare, et in ejus exitium uno animo conspirari.

6. *Lysimachum.* Confer. de Ira, lib. III, cap. 17, 3; 22, 5, fin. Ultus autem esse dicitur Alexander Lysimachi misericordiam, deplorantis Callisthenem ab Alexandro irato injuste et crudeliter interemptum (Nat. Quæst. III, 25. Cf. *Buhle*, Vita Aristotelis in Aristotel. Opp. Tom. I, p. 98, sq. Bip.).

7. *Edendorum hominum capacem.* Ita immensum ut capiat (h. e. contineat) devorandos homines. *Capax* non est *habilis* (gall. *capable*),

liarium certissimum[1], ulli salutaris sit; ut iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem[2] cædemque satietur: clementia vocatur, si ad occidendum amicum
2 carnifex inter homines eligitur[3]! Hoc est, quare vel maxime abominanda sit sævitia, quod excedit fines, primum solitos, deinde humanos. Nova supplicia conquirit, ingenium advocat[4], instrumenta excogitat, per quæ varietur atque extendatur dolor; et delectatur malis hominum. Tunc ille dirus animi morbus ad insaniam pervenit ultimam, quum crudelitas versa est in voluptatem, et jam
3 occidere hominem juvat. Nam talem virum a tergo sequitur eversio, odia, venena, gladii; tam multis periculis petitur, quam multorum ipse periculum est[5]: privatisque nonnunquam consiliis, alias vero consternatione publica circumvenitur[6]. Levis enim et privata pernicies non totas urbes movet; quod late furere cœpit, et omnes ap-

sed *qui capit, continet, comprehendit.*

1. *Exitium familiarium certissimum.* Cliti mortem innuit, quem ebrius inter mensæ delicias Alexander interemit.

2. *Citra sanguinem cædemque.* H. e. sine sanguine et cædibus; ante sanguinis rivos, exspirantiumque corporum aggestas moles.

3. *Clementia vocatur si.... eligitur!* Hanc lectionem, ab Erasmo probatam, reduxi. Sensus est: Non hoc postulamus a te, ut crudelitatem exuas, sed ne ipse amicorum tuorum carnifex sis: tu clemens vocaris, si carnifice ad hoc utaris. Gron. emendavit: *Clementia vocetur, ad occidendum amicum carnifex inter homines*; cujus scripturæ rationem reddidit Obss. lib. I, cap. 6, mihi quidem parum probatam.

4. *Ingenium advocat.* Non, ut interpretatur *Ruhkopf*, ad opem ferendam, sed ad supplicia nova conquirenda, instrumenta excogitanda, etc.

5. *Tam multis periculis..... periculum est.* Et quam multi hunc metuunt, tam multos hic reformidat; quot ipsius libido pericula subditis creat, tot ipsi a subditorum male compressis doloribus imminent; quot timores injicit, tot ipse sollicitudinibus distringitur.

6. *Circumvenitur.* Intra iratorum frementiumque multitudinem ita clauditur, ut neque in fugam via ulla jam pateat, neque vivum vallum queat aliqua perrumpere. *Consternatio* autem publica num bene dicitur tyrannum *circumvenire?* Nimirum indignantes viri et audaces in principem malum ruunt, non trementes et illorum similes quos « per terras humilis *stravit* pavor. » Ergo vereor ut metaphoræ suæ Annæus hic fidelis esse videatur.

petit, undique configitur[1]. Serpentes parvulæ [2] fallunt, 4
nec publice conficiuntur [3] : ubi aliqua solitam mensuram
transiit, et in monstrum excrevit, ubi fontes potu [4] infecit,
et si afflavit [5], deurit obteritque quacumque incessit, bal-
listis petitur[6]. Possunt verba dare [7], et evadere pusilla
mala ; ingentibus obviam itur. Sic unus æger nec domum 5
quidem [8] perturbat : at ubi crebris mortibus pestilentiam
esse apparuit, conclamatio civitatis, ac fuga est, et Diis
ipsis manus intentantur[9]. Sub uno aliquo tecto flamma
apparuit : familia vicinique aquam ingerunt ; at incen-
dium vastum, et multas jam domos depastum, parte
urbis obruitur.

XXVI. Crudelitatem privatorum serviles quoque ma- 1

1. *Configitur.* Μεταφορικῶς ; quasi pernicies vivum aliquid esset.

2. *Serpentes parvulæ fallunt.* Oculos, (*échappent à l'œil*).

3. *Conficiuntur.* Vulgatam lectionem *consequuntur*, quæ nullum idoneum sensum promit, mutavit Lipsius in *conquiruntur* (invenerat enim in uno Ms. *consequiruntur*). Propius abest a scriptis *conficiuntur*, quod meliori, ut puto, jure recepi, quam quo post Lipsium omnes edd. invasit τὸ *conquiruntur*.

4. *Infecit.* Vitiavit, venenum injiciens laticibus.

5. *Si afflavit.* Sic omnes Mss. et edd. e. c. Erasm. Sed parum placet : τὸ *si* enim offendit lectorem : hinc Lipsius emend. *suo afflato.* Melius oratio procederet, si esset : *sibilo.*

6. *Ubi..... petitur.* Ut illa in Africa serpens portentosæ magnitudinis (ex Boarum genere) quam Attilius Regulus cum magna militum clade occidit. Epitom. Liv. lib. XVIII. Aul. Gell. lib. VI, cap. 3.

7. *Verba dare.* Hoc est, decipere. Incusantur nempe et accersuntur, sed purgare sese tentant, et quum parum noceant, non absolvuntur, sed omittuntur.

8. *Nec domum quidem.* Nedum civitatem ; ut, si crebrescant mortes : vid. infr.

9. *Intentantur* e cod. optimo reduxit Gronov. Antea, *intenduntur*, et ipsa bona lectio. — *Et Diis ipsis manus intentantur.* Exemplum præstat Suetonius in vit. Caligulæ, 5, init. « Quo defunctus est die (Germanicus), lapidata sunt templa, subversæ Deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. » Idem iræ genus constat et nunc perstitisse apud Asiæ atque Africæ quasdam gentes, quarum nempe Dii, si precantium vota in irrito fuerint, vapulant.

XXVI. Arg. Quum crucis supplicium exspectantes, servi tamen aliquando dominum sævum interimunt, ut ulciscantur, sic tyrannorum crudelitas a gentibus integris sæpe vindicari potest. At secura grassetur, quid veri boni hinc manat? quod imperantibus leone et urso eveniret.

nus sub certo crucis periculo[1] ultæ sunt : tyrannorum, gentes populique, et quorum erat malum, et hi quibus imminebat, exscindere aggressi sunt. Aliquando sua præsidia in ipsos consurrexerunt, perfidiamque, et impietatem, et feritatem, et quidquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt[2]. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse docuit? Non diu apparet[3] ne-
2 quitia, nec quantum jubetur, peccat. Sed puta tutam esse crudelitatem : quale ejus regnum est? non aliud, quam captarum urbium forma, et terribiles facies publici metus[4]. Omnia mœsta, trepida, confusa : voluptates ipsæ timentur. Non convivia secura ineunt[5], in quibus lingua sollicite etiam ebriis custodienda est[6] : non spectacula, ex quibus materia criminis ac periculi quæritur[7]. Apparentur licet magna impensa, et regiis opibus,

Sed felicitatem et vitam beatam bonorum principum laude dignissimam omnes sciunt, omnes aiunt. Exscidium facere, vulgaris potentiæ est; salutem dare, optimæ et altissimæ.

1. *Sub certo.... periculo*. Cruci affigi apud Romanos servilem pœnam fuisse satis constat post Lipsii et deinceps Salmasii disputationes de cruce. Cæterum videtur Noster ad hunc Largum respexisse, quem servi sui, ob intractabilem animum infensi, quum unanimes conspirassent, trucidavere.

2. *Aliquando sua præsidia......... exercuerunt*. Ipse Noster de Caligulæ morte exponendo docet, de Const. Sap. 18.

3. *Apparet*, recte Gronov. reduxit e Mss. et occupaverat jam Erasmus. Antea, *paret*. Est autem τὸ *apparere* voc. propr. et synon. *ministrare*.

4. *Terribiles facies publici metus*. In horribiles facies explicans se publicus metus.

5. *Non convivia secura ineunt*. Timent nempe ne venenum immixtum dapibus aut vino sit.

6. *In quibus...... custodienda est*. Ne quis dicta quæ improvidus effudit imperatori annuntiet, criminandi occasionem rapiens. Hæc enim iis temporibus frequentissima fuerunt « adempto (ut ait Tacit. Agric. c. 2) per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. » Contrarium quam dulce sit Martialis bene extulit, quum Epigramma sic claudit quo amicos ad cœnam vocat (lib. X, Epigr. XLVIII, vss. 21, 22, 24) : « Accedent sine felle joci, nec mane timenda Libertas et nil quod tacuisse velis...... Nec facient quemquam pocula nostra reum. »

7. *Non spectacula........ quæritur*. Aurigatorum factionibus favebant ita acriter Romani, ut ex hoc sæpe jurgia, immo seditiones orirentur. Imperatores quoque studio earum rerum

et artificum exquisitis nominibus ; quem tamen ludi in
carcere juvent ? Quod istud, Dii boni, malum est, oc- 3
cidere, sævire, delectari sono catenarum, et civium ca-
pita decidere, quocumque ventum est multum sangui-
nis fundere, adspectu suo terrere ac fugare ? Quæ alia
vita esset, si leones ursique regnarent ? si serpentibus
in nos, ac noxiosissimo[1] cuique animali daretur potestas ?
Illa rationis expertia et a nobis immanitatis crimine dam-
nata[2], abstinent suis, et tuta est etiam inter feras[3] simi-
litudo : horum[4] ne a necessariis[5] quidem rabies temperat 4
sibi[6], sed externa suaque in æquo habet[7], quo possit
exercitatior a singulorum cædibus deinde[8] in exitia gen-
tium serpere[9]. Et injicere tectis ignem[10], aratrum vetustis

exarsere ; et hinc delatores calumniandi etiam optimos viros ansam sæpe habuere, principis inimicum hunc fingentes, qui probatos principi aurigas non probaret. Specialius hæc forte ad Caligulam spectant. Suet. Cal. 30. Cf. Plinii Panegyr. c. 34.

1. *Noxiosissimo.* Bona lectio, quæ in codd. et Erasm. est.

2. *A nobis immanitatis crimine damnata.* Quæ nos fera immansuetaque animalia nulla non die appellamus, quæ crudelissimæ immanitatis nomine incusamus damnamusque. Cf. ad de Ira, lib. II, cap. 8, § 2.

3. *Etiam inter feras.* In codd. et multis edd. *inter feras*, neque præcedente τῷ *etiam*, neque consequente.

4. *Horum.* Tyrannorum nempe.

5. *Necessariis.* Id est, cognatis, affinibus. Notavimus jam supra apud Latinos *necessitates* sæpe vocari, quod Galli dicimus *les liens de famille*, *les liens du sang* ; ita ut τὸ *necessarii* jam non mireris esse, τοῦ *consanguinei* συνώνυμον.

6. *Temperat sibi.* Advertendum τὸ *sibi* cum τῷ *a necessariis.* Res mira et tantillum moratura, duas sic ab uno verbo *temperare* voces pendere. Tamen in Georg. I, 360, Virgilius eodem sensu exclamat ; « Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis ! »

7. *Externa suaque in æquo habet.* Hoc est, nemini parcit, et in suos non minus crudeliter quam in externos sævit.

8. *Singulorum cædibus deinde.* Optime hic perversum ordinem Pincianus restituit ; quum antea legeretur : *a singulorum deinde cædibus.*

9. *Horum ne*, etc..... *serpere.* Quæ hic legis, perspicacissimi *Diderot* conjecturæ eximie favent. Nam omnia hæc non diceret, nisi discipuli feri male emollitum animum arbitraretur jam in scelus inclinari, et ipsius ante oculos Neroniana jam feritas e fragili velo traluceret. Nonne et videtur prophetæ similis, ultimi Cæsarum vitam omnem exsequi, nec solum sævitiam narrare, sed et sævitiæ modos gradusque ?

10. *Injicere tectis ignem.* Id ille Annæanæ sapientiæ discipulus Nero exercuit non in unam alteramve do-

urbibus inducere [1] potentiam putat : et unum occidi jubere aut alterum, parum imperatorium credit; nisi eodem tempore grex miserorum [2] subjectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam [3] putat. Felicitas [4] illa, multis salutem dare, et ad vitam ab ipsa morte revocare, et mereri clementia civicam [5]. Nullum ornamentum [6] Principis fastigio [7] dignius pulchriusque est, quam illa corona ob cives servatos [8]: non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Hæc divina potentia est, gregatim ac publice servare; multos autem occidere, et indiscretos, incendii ac ruinæ potentia est.

mum, non in oppidum modicum, sed in Romam ipsam : quibus de causis? et quid meditans? Trojæ exscidium renovare et ex alta turri cernere, canere; auream sibi domum exstruere de ruinis; et de nomine suo Urbem Neropolin appellare.

1. *Aratrum vetustis urbibus inducere*. Quas funditus deleri jussit, ex more antiquitatis satis noto. Horat. Carm. I, XVI, 20, 21.

2. *Nisi eodem tempore grex miserorum*, etc. Et id Nero, quum Christianorum corpora tot necibus, tot suppliciis subdidit. Vid. Tacit. Annal. lib. XV, 44.

3. *In ordinem coactam*. Id est, repressam. Cf. Cons. ad Helv. 13, 3.

4. *Felicitas illa*. Suppl. *est*, et *illa* pro *illud* sumitur; quasi diceret : « Illud est felicitas summa, » vel « hæc est felicitas, etc. »

5. *Mereri clementia civicam*. Subaud. ut patet, *coronam*. Ea vox sæpe omittitur quum de variis coronarum speciebus una narratur. Similiter admodum Martialis ad Domitianum, lib. VIII, Epigr. ultim. vs. ultim. « Fiet et ex hedera civica nostra tibi. » Porro civica is donabatur, qui civem periculo summo salvum præstitisset.

6. *Nullum ornamentum principis*, etc. Hæc corona civica (erat autem quercea) in vestibulo Cæsarum, jam inde ab Augusti consulatu sexto (ann. U. C. 727) aptata est. Dio Cass. lib. LIII, cap. 16. In signum victoriæ laureatæ erant fores eorum, in signum clementiæ corona civica ornatæ. Vid. Consol. ad Polyb. cap. 35, 4. Ad hunc locum præter et ad hæc citata, conf. Sueton. Calig. 22; Sueton. ad Tib. cap. 26, et Claud. cap. 17.

7. *Principis fastigio*. Hoc est, principis magnitudine et excelso loco. Non absimilis Flaccus, lib. III, Od. XXI, vss. 19 et 20 : « Iratos Regum apices. »

8. *Ob cives servatos*. Inscriptio est quam sæpe in Romanorum numismatibus quæ exstant, reperimus hodie.

L. ANNÆI SENECÆ

DE CLEMENTIA

AD NERONEM CÆSAREM

LIBER II.

ARGUMENTUM LIBRI SECUNDI.

Orditur a magna et sublimi Neronis in latrones animadversuri voce: Vellem nescire literas! quam sibi causam de clementia ad Neronem scribendi fuisse pronuntiat, ut, quod nunc natura et impetus sit, judicium fiat. I, II. Sequitur, quam lib. I, cap. 3, § 1, pollicitus erat, secunda tractationis pars, de natura clementiæ habituque. Ac primum clementiæ definitiones proponuntur: in quibus constituendis et distinguendis, ut Stoicus, longus multusque est. III. Opponitur autem crudelitas, quam unice ad pœnas refert, et separat a feritate. IV. Deinde docet, quomodo clementia a misericordia distet: illa virtus est, hæc vitium pusilli animi, ex decretis Stoicorum, qui contra adversarios, stoicam sectam ut duram calumniantes, defenduntur. VI, VII. In sapientem docet misericordiam non magis cadere, quam veniam. Fin.

Scripti sunt libri de Clementia primo regni Neroniani anno, conf. lib. I, IX, 1. Ideoque non falsæ sunt laudes, quibus Nero a Seneca hisce libris extollitur; nam quinquennium primum Neronis felix faustumque fuisse, Burrho Nostroque apud eum gratia atque auctoritate florentibus, ex historiæ monumentis satis superque constat; (modo Britannico datum venenum excipias; nam hoc scelus anno secundo exsecutus ille est). Subscribo Lipsii judicio: « et vero digni Principe libri ac materies; atque utinam legant, et mites simul magnosque animos ab iis sumant! » Perquam apposite Augusti exemplum Neroni ante oculos identidem ponitur ad imitandum. Dolendum vero est, et posteriorem libri secundi partem, et totum librum tertium injuria temporis interiisse! Cæterum jam ante Senecam de regis officiis, ideoque de clementia Xenocrates, Platonis discipulus, στοιχεῖα πρὸς Ἀλέξανδρον περὶ βασιλείας (Fabric. B. G. lib. III, pag. 192); Aristoteles (ib. pag. 309); et Theophrastus (ib. pag. 447), scripserunt. Cum Nostro Panegyrici contendi merentur.

L. ANNÆI SENECÆ

DE CLEMENTIA

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. Ut de clementia scriberem, Nero Cæsar, una me 1
vox tua maxime compulit; quam ego non sine admiratione, et, quum diceretur, audisse memini [1], et deinde aliis narrasse. Vocem generosam, magni animi, magnæ lenitatis, quæ non composita [2], nec alienis auribus [3] data, subito erupit, et bonitatem [4] tuam cum fortuna tua liti-

I. Arg. Laudat rursus Neronem ob dictum egregium : « Vellem nescire literas! » et optat jurare omnes principes in illud, aureumque sæculum instaurari. Clemens igitur Nero existimandus est, clemens ille princeps, cujus nomen, ut aliquis dixit, sævum imperatorem non tam designat, quam ipsam sævitiam! Certe clementer ille se gessit per quinque annos ineuntis imperii; non quidem quod boni clementisque ingenii foret, sed quod aliquantisper cicuratam Senecæ præceptis et matris metu indolem nondum persona exsuisset.

1. *Audisse memini.* Unum exemplar *audisse me memini.* Quod non ita rejiciulum.

2. *Quæ non composita.* Id est, ex conventione aliqua et præmeditatione, ideoque artificiose confecta ac elaborata; ut imperantium dicta responsaque omnia quæ subitaneo indolis impetu et αὐτοσχεδιαστὶ effusa vulgus credit, immerito tamen, ut plurimum.

3. *Alienis auribus data.* Hoc est, *mandata*, ut statim in plausus iretur, et tuæ mansuetudinis laudes a circumstrepentibus aulicis inchoarentur diu repetendæ.

4. *Et bonitatem.* Recte sic dedit Gronov. e codd. præter Muretum, qui dederat, *sed bonitatem* e sola conjectura quam prior Pincianus proposuerat. Sententia poscit *et.* Vox illa neque ficta erat, subito enim erupit, neque alienis auribus data, sed naturæ dicentis congruebat. Sic bene Gronov. Muretum redarguit. — *Fortunam* cum Lipsio de dignitate imperatoris explices, quæ

gantem [1] in medium adduxit! Animadversurus in latrones
duos [2] Burrhus præfectus tuus [3], vir egregius, et tibi Prin-
cipi notus [4], exigebat a te, scriberes, in quos et ex qua
2 causa animadverti velles: hoc sæpe dilatum, ut [5] aliquando
fieret, instabat. Invitus invito quum chartam protulisset,
traderetque, exclamasti: «Vellem nescire literas [6]!» O
dignam vocem, quam audirent omnes gentes, quæ Ro-
manum imperium incolunt, quæque juxta jacent dubiæ
libertatis [7], quæque se contra viribus aut animis attol-

justitiam a principe exerceri volebat.

1. *Bonitatem cum fortuna tua litigantem.* Non, parem fortunæ tuæ bonitatem, h. e. summam, inexsuperabilem; sed imperatoriæ severitatis muneribus contrariam, quum jubeat pœnam infligi justitia, deprecetur bonitas.

2. *Duos.* Quum mox sequitur: *in quos* etc. τὸ *duos* corruptum puto. Fortasse scriptum erat: *ductos* sc. in vincula. — *Latrones.* Grassatores milites.

3. *Burrhus præfectus tuus.* Afranius Burrhus. De eo conf. Dio Cass. lib. LXI, cap. 3, 4; LXII, 13. Nero eum interfici jussit, ann. U. C. 815, post Chr. nat. 62. Vid. Sueton. Ner. cap. 35, fin. Fuit egregiæ militaris famæ vir ab Agrippina, Claudio etiamnum imperante, ad regimen cohortium admotus, ideoque præfectus solus prætorio in Lusii Getæ et Rufii Crispini locum. Moneo hoc, ne *præfectus* h. l. synonymum esse putes τῷ *custos morum.* A Tacito sæpe laudatur, e. c. Annal. lib. XII, cap. 42, lib. XIII, cap. 6, lib. XIV, cap. 51. Hunc *Racine*, ex imperatoriæ juventæ rectoribus unum ostensurus (Tragœd. *Britannicus*) Senecæ antetulit. Docta disputatio de Burrho exstat in Actis Societ. lat. Ienens. anni 1752, p. 156, sqq. Cæterum ille fuisse dicitur, cui Paulus Apostolus a centurione Julio traditus est. Act. Apostol. XXVIII, 16.

4. *Notus.* I. e. familiaris, γνώριμος. Muretus tamen argute conjecerat: *natus.* Sed Mss. et Erasm. vulgatam tuentur. Mox *scriberes* Lipsio displicuisse videtur, quare mavult *subscriberes*; sed *scriberes* bene se habet et Annæanum est; occurrit quoque eodem sensu infra, 2, 3.

5. *Aliquando.* Idem hic valet ac tandem.

6. *Vellem..... literas!* Et Sueton. Ner. c. 10, affert: « Et quum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: Quam vellem, inquit, nescire literas!» Quod non omisit Nostras *Racine*, in jam laudata Fabula *Britannicus*, act. IV, sc. III, Burrhum inducens, qui sic principem bonitatis pristinæ commonefacit:

Un jour, il m'en souvient, le Sénat équitable
Vous pressait de souscrire à la mort d'un coupable;
Vous résisties, Seigneur, à leur sévérité;
Votre cœur s'accusait de trop de cruauté;
Et plaignant les malheurs attachés à l'empire,
Je voudrais, disiez-vous, ne pas savoir écrire.

7. *Dubiæ libertatis.* H. e. nec in provinciarum numerum relatæ, nec sui juris tamen; quæ legibus quidem suis adhuc utuntur, e. c. Judæi, et

lunt[1]! O vocem, in concionem omnium mortalium mit- 3
tendam[2], in cujus verba Principes regesque[3] jurarent!
O vocem publica generis humani innocentia dignam, cui
redderetur antiquum illud sæculum[4]! Nunc profecto con-
sentire decebat[5] ad æquum bonumque, expulsa alieni cu-
pidine, ex qua omne animi malum oritur: pietatem integri-
tatemque cum fide ac modestia resurgere, et vitia diuturno
abusa regno tandem felici ac puro sæculo dare[6] locum.

II. Futurum hoc, Cæsar, ex magna parte sperare et 1
confiteri[7] libet: tradetur ista animi tui mansuetudo, dif-

regibus suis parent, sed sola Cæsaris clementia.

1. *Quæque se contra viribus aut animis attollunt.* Innuit tum Parthorum regnum, tum præcipue barbaras Germaniæ gentes, de quibus sic Tacit., German. cap. 37: « Sexcentesimum et quadragesimum annum Urbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. Ex quo si ad alterum imperatoris Trajani consulatum computemus, ducenti ferme ac decem anni colliguntur: tamdiu Germania vincitur! Medio tam longi ævi spatio, multa invicem damna: non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere; quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. »

2. *In concionem omnium ..... jurarent.* Si reges regnum suum auspicentur, ideoque de imperio quæcumque bona promittant.

3. *Jurarent.* Secutus sum Gronovium in eo tamen dicto haud audiens ei, quod τῷ *regesque* deleto *utinam* scribi maluit: *principes utinam jurarent.* Antea: *jurent*: s. ap. Erasm. *juramentum faciant* (quod tamen puriter latine non dicitur). Imperfectum hic requiritur propter sequens *redderetur*: et sic Noster loqui amat.

4. *Antiquum illud sæculum.* De aureo sæculo agi liquet, quod est antiquissimum omnium est. Ovid. in Metamor. lib. I, 89: « Aurea prima sata est ætas, etc. »

5. *Consentire decebat.* Pro *jamdudum decet* omnes homines unanimes concordesque esse.

6. *Nunc profecto....... dare locum.* Nunc optimum esset tempus, in quo genus humanum conspiraret ad virtutem et innocentiam colendam, etc.

II. Arg. Eamdem materiam persequitur; speratque fore ut in similitudinem Neronis mansueti et boni omnes imperii gentes reformentur, et recti mores revertantur. Tum a materia paullulum recedens, considerat quam frequenter vehementia et alta ἀποφθέγματα a viris pravis aut sævis, quam raro a bonis pronuntiata sint.

7. *Confiteri*, recte Gronov. tuetur contra Lips. *confidere* præferentem. Præterquam enim quod receptæ lectionis major est auctoritas codd. et Mss. exquisitius est *confiteri*, id est, de magna re, nec temere dicenda, post aliquam dubitationem aut dissimulationem, ideoque deliberationem exponere.

fundeturque paullatim per omne imperii corpus, et
cuncta in similitudinem tui [1] formabuntur. A capite bona
valetudo : inde omnia vegeta [2] sunt atque erecta [3], aut
languore demissa, prout animus eorum viget [4], aut mar-
cet. Et erunt cives, erunt socii digni hac bonitate, et in
totum orbem recti mores revertentur : parcetur ubique
2 manibus. Tuis diutius me morari hic patere, non ut blan-
dum auribus tuis [5] : nec enim mihi hic mos est; maluerim veris [6] offendere, quam placere adulando; quid ergo est ? præter id [7] quod bene factis dictisque tuis quam familiarissimum esse te [8] cupio, ut, quod nunc natura et im-

1. *Insimilitudinem tui.* Edd. quidam antiquitus *tuam.*

2. *A capite bona valetudo* : *inde omnia vegeta.* In libris antiq. plurimis : *A capite bona valetudo. Ea transibit in omnes. Vegetata*, etc. Ubi Pincianus volebat priora verba *a capite* superioribus adjungi. Tum scribebat : *bona valetudo in omnes vegeta est*, omisso τῷ *transibit* quod interpolatum bene divinavit. Felicior Lipsius reduxit lectionem quam ostendimus e codd. partim, partim ingenio.

3. *Atque erecta.* Antea legebatur *aut erecta.* Emendavit Rittershus. Sacr. Lect. IV. lib. 3. cap. 269.

4. *Viget.* Hoc dedi, Erasmo, qui hoc in codd. suis invenerat, obsecutus, et oppositione ipsa jubente. Sæpissime autem *vigere* et *marcere* sibi et alias opponi notum est. Quam oppositionem τοῦ *vivere* et *marcere* inesse, Gronovius, qui lect. *vivit* ante Erasm. in edd. obviam ope codd. tuetur, nullis exemplis idoneis adstruxit.

5. *Parcetur ubique manibus. Tuis diutius me morari hic patere, non ut blandum auribus tuis.* Nusquam vis, cædes, raptus regnabunt. Tuis factis et verbis hic me immorari patiaris diutius, non tanquam *blandum*, i. e. adulatorem. Hæc est lectio codd. a Lipsio et Gronov. bene restituta. Discessi tamen a viris hisce doctissimis in eo quod, interpunctione mutata, post *manibus* puncto posito, τὸ *Tuis* ad τὸ *morari* retuli, sensu, ut videbatur, postulante. Antea : *parcetur ubique manibus tuis. Diutius me morari hic patere, non ut blandum auribus tuis.*

6. *Maluerim veris*..... Hoc est, veritate. Idem de se Seneca professus est ap. Tacit. Annal. lib. XV, cap. 61, ubi Granio Silvano percunctanti dicit : « Nec sibi promptum in adulationes ingenium ; idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui sæpius libertatem Senecæ quam servitium expertus esset. » De hoc agemus quoque infra, in Argum. ad Consol. ad Polybium.

7. *Præter id.* E codd. Mss. recepit Gronovius. Antea legebatur *propter id* : sensu refragante.

8. *Factis dictisque tuis quam familiarissimum esse te.* Hoc est, te quotidie cupio tua facta dictaque alta mente versare, meditari, et illis animum tuum imbuere.

petus est fiat judicium [1]; illud mecum considero, multas
voces magnas, sed detestabiles, in vitam humanam per-
venisse, celebresque vulgo ferri : ut illam : « Oderint,
dum metuant [2] ! » Cui Græcus versus similis est, qui se
mortuo terram misceri ignibus jubet, et alia hujus [3] notæ.
Ac nescio, quomodo ingenia immania et invisa, materia 3
secundiori [4] expresserunt sensus vehementes et concita-
tos [5]. Nullam adhuc vocem audivi ex bono lenique animo-
sam [6]. Quid ergo est? ut raro, invitus, et cum magna

1. *Ut quod nunc..... fiat judicium.* Ut quod nunc ante facis quam cogitaveris, facias quoque post cogitationem; ut, quod naturali et innato impetu exsequeris, id postea adhibito judicio exsequare.

2. *Oderint..... metuant!* Quam eleganter et splendide exsecratus est supr. vid. de Ira, in lib. I, cap. 16, 26. Quod autem has voces magnas vocat, sui parum meminit; nam dicebat hoc ipso loco nihil magnum quod vitiosum. Vid. ad cap. fin.

3. *Cui græcus versus..... notæ.* Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί (me defuncto terra misceatur ignibus). Hunc versum posthac Nero in deterius adeo vertit. Nam dicente quodam in sermone convivii ἐμοῦ, κ. τ. λ. immo, inquit Nero, ἐμοῦ ζῶντος (me vivo). Sueton. Ner. c. 38. Dio Cass. LVIII, 23, tradit, hunc versum sæpe Tiberium in ore habuisse. Alludit eo Cic. de Finib. III, 19, fin. Euripideus ille versus e dramate deperdito esse putatur. Nos; *après moi le déluge.*

4. *Secundiori.* Id est obsequentiori, faciliori, translatione a fingendo et cera desumpta. De Vita beat. 27, 4, « mollem cedentemque materiam; » de Benef. VI, 29, 1. Recte recep. Gronov. e codd. Antea: *fecundiori*, sensu improbante. Modeste proposuerat vir acutissimus Lipsius, legendum: *nescio quomodo ingenia, immani et invisa materia, fecundiori ore e.*, a Gronovio vehementer improbatum. Nescio, ait Seneca, quomodo tyrannis sensus vehementes et concitati facilius, se dante ac præbente materia, exciderint.

5. *Sensus vehementes et concitatos.* Ut id quo desinit Senecæ Medea: « Per alta vade spatia sublimi æthere, Testare nullos esse qua veheris Deos; » id Neronis in Octavia, Act. II, sc. II: « Stulte verebor, ipse quum faciam, Deos: » vel si ad voces non compositas, sed effusas subita vehementia, attenderimus, hæc Agrippinæ ad astrologos filii parricidium nuntiantes: « Occidat, modo imperet; » aut Vitellii quum Othonis cadaver jam putre spectaret: « Mortui inimici corpus nunquam male olet. »

6. *Nullam..... animosam.* Lipsius ad h. l. observat: « Quid mirum? nam bonitas placida est et jacens: nec impetum in verbis, quum in animo non habeat, capit. » Enimvero huic sententiæ non subscripserim. Conferas modo collectionem apophthegmatum regum et ducum apud Plutarch. T. VIII. p. 82, sqq. Hutten. ubi multa æque animosa invenies dicta regum, quæ scilicet præteriisse

cunctatione, ita aliquando scribas necesse est illud, quod tibi in odium literas adduxit; sed, sicut facis, cum magna cunctatione, cum multis dilationibus.

1 III. Et ne forte decipiat nos speciosum clementiæ nomen, aliquando et in contrarium abducat, videamus quid sit clementia, qualisque sit, et quos fines habeat. Clementia est temperantia animi, in potestate ulciscendi: vel, lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis. Plura [2] proponere est tutius, ne una definitio parum rem comprehendat, et, ut ita dicam, formula excidat [3]: itaque dici potest et inclinatio animi

2 ad lenitatem in pœna exigenda. Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat. Si dixerimus, clementiam esse moderationem, aliquid ex merita ac debita pœna remittentem; reclamabitur, nullam virtutem quidquam minus debito facere. Atqui [4] hoc omnes intelligunt, clementiam esse, quæ se flectit citra id quod merito constitui posset. Huic contrariam imperiti putant severitatem; sed nulla virtus virtuti contraria est.

1 IV. Quid ergo opponitur clementiæ? Crudelitas, quæ

Senecæ intererat, quum Neronem laudibus extollere constituisset.

1. *Scribas*. Id est, subscribas sententiæ criminali, quæ fecit, ut illam vocem emitteres, et artem scribendi invisam tibi reddidit.

III. Arg. Pars secunda operis ubi clementiæ definitiones. Conf. Cic. de Invent. lib. II, cap. 54, qui tamen locus dubiæ lectionis est.

2. *Plura*. Recte Gronov. recepit e codd. et Erasm. Mutatio enim generis optimis auctoribus familiaris est. Antea Pincianus e conjectura dederat *plures*; sc. definitiones

3. *Formula excidat*. Id est, ne laxior aut angustior sit, quam pro veritate. Jam supra monuimus de Ira, lib. II, cap. 28, esse locutionem juris. Formula excidere, formula cadere dicitur is, qui a formula, seu verborum conceptionibus et formis, in causa privata solemnibus, e. c. in testamentis, sponsionibus, etc. recessisset, et plus minusve dixisset. Ernesti Clav. Cic. Formula. Simile quid et apud Anglos hodieque in usu est.

4. *Atqui*.... Hic responsio incipit.

IV. Argum. Opposita est igitur

nihil aliud est, quam atrocitas animi in exigendis pœnis. Sed quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen sunt : tamquam, qui ignotos homines et obvios non in compendium [1], sed occidendi causa occidunt [2]. Nec interficere contenti, sæviunt ; ut Sinis ille et Procrustes [3], et piratæ, qui captos verberant, et in ignem vivos imponunt. Hæc crudelitas quidem : sed quia nec ultionem sequitur [4] (non enim læsa est), nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen), extra finitionem nostram cadit : quæ finitio continebat in exigendis pœnis intemperantiam animi. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati sævitia est, possumus insaniam vocare : nam varia sunt genera ejus [5], et nullum certius, quam quod in cædes hominum et laniationes pervenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, 3

clementiæ crudelitas (quam et simili modo Cic. in Verr. V, cap. 44, opponit) ; quæ definitur et a feritate distinguitur, allatis exemplis. Ut autem a severitate crudelitas differt, sic a clementia misericordia quæ vitiis annumeranda est, nedum virtutibus.

1. *In compendium*. Id est, lucri et utilitatis causa.

2. *Occidendi causa occidunt*. Simili locutione supra de Ira, lib. I, cap. 16, sub init. « Jam non causis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris ; sed satis tibi est magna ad peccandum causa peccare. »

3. *Sinis ille et Procrustes*. E Pinciani conjectura derivata lectio. Antehac : Busiris ille et Procrustes. In exemplariis aliis *Osiris et Siris*, unde *Sinis* facile concludendum. — *Sinis ille et Procrustes*. Latrones famosi. Quorum quidem ille, in Isthmo ad Corinthum, homines arboribus flexis curvatisque alligabat, et sic dabat distrahendos ; unde huic cognomen additum Pityocamptes a græc. vocab. *χάμπτειν* *curvare*, et *πίτυς*, *pinus* (Apollod. lib. III, cap. 16, 2; Plutarch. Thes. cap. 8 : ibiq. Leopold. qui nostrum locum non neglexit). Idem ille censendus ac Sciron cujus ossa in rupes mutata sunt. Procrustes vero in Attica, qui viatores lecto metiebatur : si longiores essent, prominentes corporis partes amputabat ; sin breviores, pedes extendebat (Plutarch. Thes. cap. XII, ibiq. Leopold.). Utrumque Theseus sustulit, quum, Trœzene profectus, Athenas in urbem patriam tenderet.

4. *Ultionem sequitur*. Hoc est, ad ultionem tendit animo conceptam. Συνώνυμον hoc loco τὸ *sequitur* τοῦ *venatur*.

5. *Varia sunt genera ejus*. Sic Iram (de Ira, lib. I, cap. 1) brevem insaniam, μανίαν ὀλιγοχρόνιον, dixit ; et notum præterea apud Stoicos omne

modum non habent. Sicut in Phalari [1], quem aiunt non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum sævisse. Possumus effugere cavillationem [2], et ita finire, ut sit crudelitas inclinatio animi ad asperiora. Hanc clementia repellit longius a se : nam
4 severitatem illi convenire, certum [3] est. Ad rem pertinet, quærere hoc loco, quid sit misericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant, et bonum hominem vocant misericordem. At [4] hæc vitium animi est [5]. Utraque [6] circa severitatem, circaque clementiam posita sunt : quæ vitare debemus, ne per speciem severitatis in crudelitatem, neve per speciem clementiæ in misericordiam incidamus.

vitium insaniæ genus quoddam existimari ; quod tamen alio modo exprimebant, dicentes *omnes stultos insanire*, præmisso nimirum hoc, stultos eos qui peccarent. Vid. Cic. Paradox. penult. ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται, et Horat. lib. II, Sat. III, cujus totius materia in his unicis versibus est : « Quem mala stultitia, et quæcumque inscitia veri Cæcum agit, insanum hunc Chrysippi porticus et grex Autumat. »

1. *Phalari*. Vid. quæ notavimus ad lib. II, de Ira, cap. 5. Phalaris tyrannorum quos Sicilia protulit celeberrimus, si Dionysium exceperis et Agathoclem, Astypalææ ex illustri gente natus Leventinis et Gamariis primum præfuit, Agrigentoque mox potitus, tyrannidem ita stabilivit, ut hunc frustra imperio deturbare inimici tentaverint.

2. *Cavillationem*. Obtrectationes eorum hominum qui loquentibus docentibusque nunquam non obstrepunt, non tam veritatis studio calentes quam jurgii et longæ disputationis. Istiusmodi hominem cogitans Martialis, lib. VII, Epigramm. XXXIV, 6 : « Non deest protinus, ecce de malignis, Qui sic rancidulo loquatur ore. »

3. *Convenire, certum est. Ad rem pertinet*. Erasm. sequor : Lips. contra in suo et aliis scriptis invenit : *convenire, adesse, certum est. Pertinet.* « Quidam, addit, pro *adesse* habent *ad rem* : ex quo Erasmi hæc lectio manavit; nec damno. » *Adesse* h. l. stare nequit, quippe quod finitionibus Senecæ de clementia adversatur. Non enim semper adest severitas : sed si adsit, convenit.

4. *At*. Sic ego posui, sententia postulante. Erasmus habet, eodem sensu : *Hæc autem vitium animi est.* Antea legebatur *Et hæc*, etc.

5. *Hæc vitium animi est*. Idem jam notavimus de Ira, lib. II, cap. 2. Patet tamen *misericordiam* non idem esse apud Senecam quam nos vocamus *pitié*, sed propensionem animi ad illa sæpe condonanda quæ indigna venia sunt.

6. *Utraque..... posita sunt*. Intell. crudelitas vicina est severitati, misericordia clementiæ ; una ab altera non longe abest.

In hoc, leviore periculo erratur; sed par error est a vero recedentium [1].

V. Ergo quemadmodum religio Deos colit, [2] superstitio 1
violat: ita clementiam mansuetudinemque omnes boni præstabunt, misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis [3]. Itaque pessimo cuique familiarissima [4] est. Anus et mulierculæ sunt, quæ lacrimis nocentissimorum moventur, quæ, si liceret, carcerem effringerent [5]. Misericordia non causam, sed fortunam spectat; clementia rationi accedit. Scio male audire [6] apud imperitos sec- 2
tam Stoicorum, tanquam nimis duram, et minime principibus regibusque bonum daturam consilium. Objicitur enim illi, quod sapientem negat misereri, negat ignos-

1. *Sed par error recedentium*.. Leviora quidem ex hac mala derivantur, sed delicti eadem est gravitas: si quæ sequuntur consideres, non eadem culpa est; si legis æternæ violationem, eadem. E decreto Stoicorum, æqualia esse peccata. Vid. Cic. Paradox. III, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, κ. τ. λ.

V. Arg. Misericordia, ut vitium animi pusilli, vitanda est, secundum præcepta Stoicorum, qui hac occasione a calumniis imperitorum defenduntur. Cf. Gataker. ad Antonin. pag. 69, sq.

2. *Superstitio.* Jam vides igitur distinctam a doctis viris superstitionem a religione. Cic. de Nat. Deor. lib. II, cap. 71, fin. « Cultus autem Deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis..... Non enim Philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. » Quanquam nondum apud Veteres superstitioni idem sensus specialis quem apud nos habet *superstition*, vel quod alii appellant *fanatisme*.

3. *Ad speciem alienorum malorum succidentis.* Nihil sane in hoc adeo malum est, nisi quis dixerit (quod quidem frequentissime accidit), nos ideo ad miserationem moveri quod pati nobis nosmetipsi videmur quæ infortunia alii patiuntur; ita ut quod pii animi hominesque amantis indicium esse vulgo creditur, nihil revera aliud arguat quam hominem qui sui solum amans est.

4. *Itaque pessimo ..... est.* Id est imperitissimo, qui impulsu, non judicio, ad agendum utitur.

5. *Si liceret, carcerem effringerent.* Quod pessime factum esset, quippe quod publicæ tranquillitati noceret.

6. *Scio male audire.* De his objectionibus infra nos quoque quædam annotavimus ad Constant. Sapient. cap. 3, 1. Conf. Lipsii manuduct. in philos. Stoic. lib. III, cap. 19; ubi nec nostrum locum prætermisit. Cic.

cere. Hæc si per se ponantur, invisa sunt : videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus ; sed omnia
3 delicta ad pœnam deducere. Quod si est, quidni hæc scientia, quæ[1] dediscere humanitatem jubet, portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio [2] cludit? Sed nulla secta [3] benignior leniorque est, nulla amantior hominum, et communibus bonis attentior [4] : ut propositum sit usui esse aut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere. Misericordia est ægritudo animi, ob alienarum miseriarum speciem ; aut, tristitia ex alienis malis contracta, quæ accidere immerentibus
4 credit [5]. Ægritudo autem in sapientem virum non [6]cadit :

Tusc. disp. IV, 8. qui alibi tamen diversam sententiam tuetur, ex. c. pro L. Muræna c. 29 et sqq., ubi tamen non ut philosophus rem tractavit; e finib. lib. IV, cap. 27; apud imperitos tum illa dicta sunt, quia hanc doctrinam attingere non valent.

1. *Quod si est, quidni hæc scientia* (sc. invisa sit) *quæ*, etc. Omnium fere codd. lectio. Scientia enim et sapientia pro secta usus est Noster. conf. Lipsii Manuduct. II, 7. Erasmus habet: *Quod si est, quid in hac scientia, quæ dediscere*, etc. Ante Lipsium vulgata erat: *Quod si est, quid hac secta durius?* quæ tamen in nullo codice comparuit. Lipsius emend. *Quod si est, quidni huic succenseas, quæ*. Gronovio tandem vocabulum *scientia* ex *secta* corruptum esse videbatur : itaque scribendum putabat : *Quod si est, quidni hæc secta* (sc. invisa sit). Sed a codd. scriptura non recedendum erat. Mox : *mutuo auxilio*, id est, propter auxilium mutuum. Lipsius maluit : *mutuum auxilium*, vel certe *mutui auxilii*.

2. *Mutuo auxilio.* Refer. ad *portum certissimum* quod præcedit. Perspicue magis inter has voces inclusum esset τὸ *mutuo auxilio*, et de more Græcorum qui dixissent Λιμὴν ἐπὶ τὰ τῆς τυχῆς ἀμοιβαίᾳ ἐπικουρίᾳ βεβαιότατος.

3. *Sed nulla secta*, *etc.* Conf. de Otio Sapient.

4. *Communibus bonis attentior.* Recte Gronov. tuetur contra Gruterum, qui insulsam lectionem hanc vulgatam vocaverat. Est res notissima *attentum esse tui et tibi* dici : neque paret, cur *communia bona* dici nequeant. Nonnulli autem libri *communis boni* habere dicuntur. Erasmus vulgatam tenet. Mox *contracta* Grutero debetur, facienti e codd. scriptura : *contra*. Erasm. habet eodem sensu : *concepta*.

5. *Misericordia ...... credit.* Cicero l. l. Stoicorum definitionibus et partitionibus in perturbationibus describendis usus : « Misericordia, ait, est ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis ; nemo enim parricidæ aut proditoris supplicio misericordia commovetur. »

6. *Ægritudo autem in sapientem*

serena ejus mens est; nec quidquam incidere potest, quod illam obducat [1]; nihilque, quam [2] magnus animus decet: non potest autem magnus esse idem, si metus et mœror contundit [3], si mentem obducit et contrahit. Hoc sapienti ne in suis quidem accidet calamitatibus, sed omnem fortunæ iram reverberabit [4], et ante se franget [5]; eamdem semper faciem servabit [6], placidam, inconcussam: quod facere non posset, si tristitiam reciperet. Adjice, quod sapiens providet, et in expedito consilium habet; nunquam autem liquidum sincerumque ex turbido venit. Tristitia enim inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda [7], periculosa vitanda, æqua [8] æstimanda. Ergo non miseretur, quia et sine miseria animi non fit [9]: cætera

virum non cadit, etc. Quæ hic de sapiente præcipiuntur, simili ratione mox, quanquam aliis verbis, inculcantem videbimus: ex. c. de Tranq. Anim. libb. III, XI, sqq. Item de Constant. Sap. et alib.

1. *Obducat.* De nubibus solemnis dictio est, respondetque hic τῷ *serena*.

2. *Nihilque, quam.* E codd. Gruteri aliisque recte restituit Gronov. Non enim de quovis homine, sed de sapiente agitur. Antea ubique in edd. *Nihilque æque hominem*, etc. Sensus est: Nihil tam decet sapientem quam magnus animus.

3. *Contundit.* Gronov. in cod. Nazari. invenit. Erasmus quoque tenet. Antea: *confundit.* Cæterum Gron. ex vestigiis Naz. legend. videbatur: *si m. et mœr. c. mentem, abjicit et cont.*

4. *Fortunæ iram reverberabit.* Hoc est, verberantem fortunam verberabit: ἐμφατικῶς; nam sapiens ictus fortiter sustinet, non refert.

5. *Ante se franget.* Ut immota et inconcussa semper rupes quæ fluctus allisos rumpit. Hinc Lipsii conjectura, *et stante se franget*, prorsus jugulatur.

6. *Eamdem semper faciem servabit.* Hoc enim sapientis esse credebant, ut non in affectus duntaxat suos, at in vultum imperium haberet. Ad hoc facit quod legitur, de Ira, lib. II, cap. 6: « Desinet Socrates posse eumdem vultum domum referre, quem domo extulerat? »

7. *Utilia excogitanda.* Subaud. *ad* quod est ante *dispiciendas res*. Idem infra ante *per. vit. æq. æstim.*

8. *Æqua.* Pincianus ex suis codd. receperat, a Gronovio laudatus. Erasmus, uti omnes scripti, *æque*: impedito sensu. De vero enim et æquo ab iniquo secernendo agitur.

9. *Ergo non miseretur, quia et sine miseria animi non fit, etc.* Lipsii judicio debetur hæc lectio: *alius animo*, i. e. alio animo. Locum tamen non omnino restitutum puto. Codd. enim et Erasm. habent: *Ergo non misereretur, quia et sine miseria animi facit cætera omnia, quæque miseretur* (*quæ qui miserentur*. Erasm.). *Volo facere libens et alius*

omnia, quæ qui miserentur solent facere, hic libens et alius animo faciet [1].

1 VI. Succurret alienis lacrimis, non accedet [2]: dabit manum naufrago [3], exsuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars major horum, qui se misericordes videri volunt, abjicit et fastidit quos adjuvat, contingique ab his timet; sed ut homo homini, ex communi [4] dabit. Donabit lacrimis maternis filium, et catenas solvi jubebit [5], et ludo [6] eximet, et cadaver etiam noxium
2 sepeliet [7]; at faciet ista tranquilla mente, vultu suo [8]. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus [9] ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem : etiam ad calamitosos [10], pro portione improbandos et emendandos bonitatem suam permit-

omnino faciet (*quæ alius animo faciet.* Erasm.). Hinc nostram lectionem concinnavit Lipsius.

1. *Hic libens et alius animo faciet.* Id est, libentissime, quamvis exsequetur alio animo.

VI. ARG. Stoici, quamvis misericordiam vitandam putent, tamen vel maxime φιλάνθρωποι sunt.

2. *Succurret..... accedet.* Hic *Ruhkopf:* Auxilium feret lacrimantibus; nec solum accedet, ut spectator. Sed errat vir doctus. *Accedet* hic est pro *accedet lacrimis*, ipse collacrimabitur. Negat enim misericordiæ pervium Stoicum fore, sed misericordiæ impervium ait tamen ea facturum esse libenter quæ non faciunt alii, nisi permoti misericordia. Atqui alii in lacrimas eunt et auxilium dant; ille siccis oculis et ἀδάκρυτος opem pro virili fert, nil amplius.

3. *Dabit manum naufrago.* Ut fluctus contra nitentem in litus sistat. Fingit enim naufragum etiamnum in mari, sed oræ jam proximum.

4. *Ex communi.* Quatenus e Stoicorum præceptis mundus et quæ in eo sunt bona, hominum Deorumque gratia producta sunt : ad hæc homines omnes cognati; debetque dives de suo penu pauperibus dare, non quasi de suo, sed quasi pauperum opes illi aliquis Deus crediderit. Vid. Gataker. ad Antonin. pag. 47, 48.

5. *Catenas...... jubebit.* Servorum nempe qui vincto pede agrorum laboribus vacabant.

6. *Ludo.* Bestiario nempe seu gladiatorio, ubi publica vel privata servitute attinebantur.

7. *Et cadaver..... sepeliet.* Inhumatum enim jacere, magno dedecori in antiquitate fuisse constat. Porro nocentium et damnatorum corpora, sæpe fœde laniata in Tiberim aut ad Gemonias Romani propellebant.

8. *Suo.* Non mutato, sibi constante.

9. *In commune auxilium natus*, etc. Conf. ad de Ira, lib. I, cap. 5, 2.

10. *Calamitosos.* Sua culpa. Ut ma-

tet. Afflictis vero, et fortius [1] laborantibus, multo libentius subveniet. Quotiens poterit, fortunæ intercedet; ubi enim opibus potius utetur aut viribus, quam ad restituenda, quæ casus impulit [2]? vultum quidem non dejiciet nec animum, ob æruscantis [3] civis aridam ac pannosam maciem [4], et innixam baculo senectutem [5]. Cæterum omnibus dignis proderit, et, Deorum more, calamitosos pro-
pitius respiciet. Misericordia vicina est miseriæ: habet 3
enim aliquid, trahitque ex ea. Imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi suffunduntur [6]: tam mehercule, quam morbum esse, non hilaritatem, semper arridere ridentibus, et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere. Misericordia vitium est animorum nimis miseriæ faventium: quam si quis a sapiente exi-

los homines, quantum res postulet, reprehendat moneatve ideoque emendet, cum iis vir bonus bonitatem suam communicat.

1. *Fortius.* Antiqua lectio, quam et Erasm. repræsentavit, et ea longe eximior ista, quam Pincianus excogitavit, a Lipsio vehementer probatam, *fortuitis*. Recte quidem observat Lipsius: « Præivit de improbandis vel emendandis, id est, quos culpa sua premit: at nunc de iis loquitur, quos fortuna afflixit. » Jam vero hoc imperium fortunæ, voce *afflictis* satis expressum est: addit etiam fortitudinem, qua afflicti calamitatem tolerant, haud dubie vel eo nomine meriti, quibus subveniatur. Vix tamen ego dubitem veritati quam maxime proximum Pincianum, quum infra sit *restituenda quæ casus impulit*. Rescriberem tamen *forte* vel *fortuito* pro *fortuitis*.

2. *Impulit.* H. e. evertit.

3. *Æruscantis civis.* Hoc est, civis stipem, æs mendicantis. Vid. A. Gell. Noct. Attic. lib. IX, cap. 2.

4. *Aridam ac pannosam maciem*, etc. « Cum baculo peraque senem, cui cana putrisque Stat coma, et in pectus sordida barba cadit; Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati. » Martial. lib. IV, Epigramm. LIII, vss. 3, sqq.

5. *Ob æruscantis civis aridam ac pannosam maciem, et innixam baculo senectutem.* Dedi locum, uti a Pinciano, quem laudabat Lipsius, et Gronovio constitutus est: apud Erasmum prorsus deest. Quum Gronovius in cod. Nazariano invenisset: *obcrusati cujus aredum aut panno jam maciem et in noxam baculo*; inde fecit docte magis, quam verius: *ob Iri alicujus aridam ac pannosam maciem et innixam baculo senectutem.* » Locum adhuc in mendo cubare quivis intelliget.

6. *Imbecilles oculos... suffunduntur.* Ut mollem esse patet virum, qui « aliquem videns fodientem et altius rastrum allevantem, lassum se fieri

git, prope est, ut lamentationem exigat, et in alienis funeribus gemitus.

1 VII. At quare non ignoscat, dicam [1]. Constituamus nunc quoque quid sit venia, ut sciamus dari illam a sapiente non debere. Venia est pœnæ meritæ remissio. Hanc sapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propositum est [2]. Ego ut breviter, tanquam in alieno judicio [3], dicam : ei ignoscitur, qui puniri debuit; sapiens autem nihil facit, quod non debet, nihil prætermittit, quod debet [4]; itaque pœnam, quam exigere debet, non donat; sed illud, quod ex venia consequi vis, honestiore tibi via tribuit : parcit enim sapiens, consulit
2 et corrigit. Idem facit, quod si ignosceret, nec ignoscit; quoniam qui ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri de-

quereretur ». Sic fere Noster de Myndiride, aut Smyndiride Sybarita, vid. de Ira, lib. II, cap. 25.

VII. Arg. Ut doceat, a sapiente veniam dari non debere, hic definit, quid sit venia, quæ in sapientem non cadit, quippe qui non ignoscit, sed parcit et corrigit : brevi, clemens est. Nec cæteri philosophi a Stoicis nisi verbo distant.

1. *At quare non ignoscat, dicam.* Erasmus : *At q. n. ignoscet vacuus ?* Omnes scripti : *vacuam. Dicam* a Pinciano est. Lipsius emendat : *vis dicam ?* Mihi suppositum esse videtur, nec a Seneca profectum.

2. *Hanc sapiens........ est.* Omnes fere Stoicos, qui quidem philosophiam stoicam exposuerunt, hanc doctrinam contra cæteros philosophos, qui eam impugnarunt, e. c. Peripateticos, defendisse putes. Diogenes quoque Laert. lib. VII, c. 123, laudat e Chrysippo Zenonis effatum: sapientes ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι, συγγνώμην τε ἔχειν μηδένι, ubi vid. Menag. qui nec nostrum locum prætermisit. Gataker. ad Antonin. pag. 28, 29. Noster tamen sibi parum constat in hac doctrina : cf. de Benef. lib. I, cap. 10. Consol. ad Marc. 4, 3. Unde argute *Diderot*, in vita Senecæ : *Sénèque n'est Stoïcien que par la tête; à tout moment son cœur l'emporte hors de sa secte.*

3. *In alieno judicio.* Quia philosophorum Stoicorum decreta promulgat.

4. *Sapiens autem...... quod debet.* At fingamus obtrectatorem aliquem ita contra Senecam Stoicosque argumentari : « Injuriæ illatæ duplex ratio consideranda est, quatenus nempe eam aliquis intulit, tum quatenus aliquis tulit : atqui necessitas quæ ex illata injuria derivatur, ad priorem tantum spectat; *debet* pœnæ ille se subjicere, non *debet* posterior, sed tantum potest pœnam exigere. Sic si cui pecuniam mutuam dedi, debet ille reddere, at non debeo ego accipere, debeo tantum si libet ». Cor-

buit, omisisse [1]. Aliquem verbis [2] tantum admonebit, pœna non afficiet, ætatem ejus emendabilem intuens : aliquem invidia criminis manifeste laborantem [3], jubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per vinum lapsus. Hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti sunt [4]. Hæc omnia non veniæ, sed clemen- 3
tiæ opera sunt. Clementia liberum arbitrium habet : non sub formula [5], sed ex æquo et bono judicat; et absolvere illi licet, et quanti vult, taxare litem [6]. Nihil ex his facit,

ruunt hæc sponte sua, si ad Zenonis doctrinam attendamus. Qua admissa, constat delictum vel scelus esse aliquam legis æternæ supremæque violationem; cui satisfieri semper necesse est. Non enim vel huic homini vel illi satisfit, cum pœna a nocente exigitur, sed supremæ legi, cujus infractor exstitit.

1. *Parcit..... omisisse.* Pœnam non remittit meritam, sed mitem infligit nec infamantem (*honestiore via*), et, ut eum emendet, consilio et correctione adest ei, qui pœna afficitur. Huc spectat quoque admonitio, quæ verbis fit : est autem pœnæ loco.

2. *Aliquem verbis*, etc. Hæc et quæ sequuntur, quibus varios gradus coercendorum delictorum suadet, vidimus fere eodem modo expressa, de Ira, lib. I, cap. 16, init.

3. *Invidia criminis manifeste laborantem.* Pincianum exemplar : *invidiæ crimine man. lab.* Quod sensum alium efficit, hunc nempe; nullum rei aliud scelus esse quam odii (h. e. *invidiæ*) criminationes. Nostra lectio indicat in odium hominum, ob crimen sine pravo consilio commissum, immerito incurri quasi de consulto fecisset. Stoici igitur puniendos statuebant nonnisi eos, qui consilio ac præmeditatione peccaverant, eos tamen clementer tractandos, qui erraverant, seu rem bonam, quamvis nobis invitis, egerant. Cf. de Ira, lib. II, cap. 26 et 27, al. Quapropter, si Stoici ignoscunt, clementiam, non veniam, exercent.

4. *Si honestis causis....... accincti sunt.* Hæc sunt quæ laudanda supra dixerat (lib. I, cap. 2), et tamen pœnæ obnoxia : laudanda quum extra aut contra virtutem non sint; pœnæ tamen obnoxia, quum malorum et publici infortunii causæ fuerint.

5. *Sub formula.* Legis nempe. Quasi diceret, sub imperio legis. Porro legem mitigare judex non potest; et quamvis injusta lex præceperit, secundum hanc decernere debet de omnibus; non enim illi hoc demandatum est ut leges ferat, sed ut legibus latis constet per eum reverentia et obsequentia; sed privatus, sed sapiens cui non publice id mandatum est, unam tantum legem novit, conscientiam, cujus arbitrio accusat, damnat, absolvit, pœnasque aut remittit aut exigit, et ubi exigit, aut modicas imperat aut graves.

6. *Taxare litem.* Conf. ad de Ira, lib. II, cap. 27, 4, id est, pœna certa afficere ad libitum.

tamquam justo minus fecerit, sed tamquam id quod constituit, justissimum sit. Ignoscere autem est, quæ judicas
4 punienda, non punire. Venia, debitæ pœnæ remissio est: clementia hoc primum præstat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse pronuntiet. Plenior [1] est ergo quam venia, et honestior [2]. De verbo, ut mea fert opinio, controversia est; de re quidem convenit [3]. Sapiens multa remittet; multos parum sani [4], sed sanabilis ingenii,
5 servabit. Agricolas [6] bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt, sed illis quoque, quas aliqua depravavit [6] causa, adminicula quibus regantur, applicant; alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant [7]; quasdam, infirmas vitio loci, nutriunt [8]; quibus-

1. *Plenior.* Hoc est, plura comprehendit, laxior est, latius patet, ad plures simul atque ad plura pertinet. Nam in hac supplicii aut pœnarum tantum absentia est; in illa innocentiæ declaratio continetur: hujus adminiculo, ab imminente exitio liberamur; illius vero, ab exitio simul et culpæ accusatione vindicati evadimus; incolumem hæc me præstat, illa, incolumem quidem, sed et innoxium; huic corporis solum, illi corporis atque animi pariter integritas curæ est: brevi, per hanc vita, per illam fama (*l'honneur*) servatur.

2. *Honestior.* Hoc est, honoratior; quod patet, modo pauxillum attenderis.

3. *De verbo..... convenit.* Hoc est, misericordem ego hunc voco, qui etiam pœnam justam non exigit; clementem qui justam exigit, injustamque remittit omittitque. Vos hæc nomina his convenire haud fatemini; fatemini tamen hunc peccare qui scelestum et non emendabilem sinit ambulare immunem pœnæ, hunc vero recte facere qui punienda punit, leviora negligens.

4. *Parum sani sed sanabilis ingenii.* Quos peccavisse quidem in perspicuo est, sed spes multa est aliquando non peccaturos.

5. *Agricolas bonos*, etc. Similia jam videre potuisti apud Nostrum, de Ira, lib. I, cap. 5, 5: quamquam hic a medico ἀλληγορίαν mutuatus est; et in Consol. ad Marc. cap. 16, 5, ad quæ loca cf. nott.

6. *Depravavit.* Proprie h. l. sumas de figura arboris incurvata (vid. de Ira, lib. I, cap. 5, 4).

7. *Ne proceritatem rami premant.* Hoc est, ne præcipuos ramos, quum in altitudinem et longitudinem crescant maxime spectabilem ad minorem modum reducant, eos quodammodo comprimentes, dum surculorum nimius numerus pondere atterit suo ramum, et succus quo vigor additur arbori in inutiles et fere παρασίτους ramusculos dilabitur.

8. *Nutriunt.* Stercoratione nempe.

dam, aliena umbra laborantibus, cælum aperiunt[1]. Secundum hæc videbit perfectus sapiens, quod ingenium qua ratione[2] tractandum sit, quo modo in rectum prava flectantur ***.

1. *Quibusdam cœlum aperiunt.* Nempe aliorum ramis abscissis. Locutionem hanc e lingua nautarum desumptam esse constat, quippe qui locum aperiunt, quem procul conspiciunt : vid. et conf. Intpp. ad Virgil. Æneid. lib. III, vers. 201.

2. *Quod ingenium qua ratione.* Duplex ἐρωτητικὴ ἀντωνυμία, neque ineleganter et Augusteorum scriptorum more. Virgil. Æneid. lib. IV, 371 : « Quæ quibus anteferam ? »

EXEMPLA IMITATIONIS E TRAGOEDIA *P. CORNEILLE*, QUAM *CINNA* INSCRIPSIT EXCERPTA.

EX ACT. IV, SCEN. III.

AUGUSTE.

. . . .
Donc jusqu'à l'oublier [1] je pourrais me contraindre !
Tu vivrais en repos après m'avoir fait craindre !
Non, non ; je me trahis moi-même d'y penser.
Qui pardonne aisément invite à l'offenser.
Punissons l'assassin, proscrivons les complices.

Mais quoi ! toujours du sang, et toujours des supplices !
Ma cruauté se lasse, [2] et ne peut s'arrêter ;
Je veux me faire craindre, et ne fais qu'irriter.
Rome a pour ma ruine une hydre trop fertile ;
Une tête coupée en fait renaître mille ;
Et le sang répandu de mille conjurés
Rend mes jours plus maudits et non plus assurés.
Octave, n'attends plus le coup d'un nouveau Brute ;
Meurs, et dérobe lui la gloire de ta chute :
Meurs ; tu ferais pour vivre un lâche et vain effort,
Si tant de gens de cœur font des vœux pour ta mort,
Et si tout ce que Rome [3] a d'illustre jeunesse
Pour te faire périr tour-à-tour s'intéresse ;
Meurs, puisque c'est un mal que tu ne peux guérir ;
Meurs enfin, puisqu'il faut ou tout perdre, ou mourir ;

[1] Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 3. — [2] *Ibid.* 4. — [3] *Ibid.*

La vie est peu de chose; et le peu qui t'en reste,
Ne vaut pas l'acheter par un prix si funeste.

EX ACT. IV, SCEN. IV.

LIVIE.

Euphorbe m'a tout dit,
Seigneur; et j'ai pâli cent fois à ce récit.
Mais écouteriez-vous les conseils d'une femme?
. . . .
Votre sévérité[1], sans produire aucun fruit,
Seigneur, jusqu'à présent a fait beaucoup de bruit.
Par les peines d'un autre aucun ne s'intimide:
Salvidien à bas[2] a soulevé Lépide;
Murène a succédé, Cépion l'a suivi;
Le jour à tous les deux dans les tourmens ravi,
N'a point mêlé de crainte à la fureur d'Egnace,
Dont Cinna maintenant ose prendre la place;
Et dans les plus bas rangs les noms les plus abjects
Ont voulu s'ennoblir par de si hauts projets.
Après avoir en vain puni leur insolence,
Essayez sur Cinna[3] ce que peut la clémence;
Faites son châtiment de sa confusion.
Cherchez le plus utile en cette occasion.
Sa peine peut aigrir une ville animée;
Son pardon peut servir[4] à votre renommée;
Et ceux que vos rigueurs ne font qu'effaroucher,
Peut-être à vos bontés se laisseront toucher.

EX ACT. V, SCEN. I.

AUGUSTE, CINNA.

AUGUSTE.

Prends un siége, Cinna, prends; et sur toute chose
Observe exactement la loi que je t'impose.

[1] Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 6. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* — [4] *Ibid.*

Prête, sans me troubler[1], l'oreille à mes discours :
D'aucun mot, d'aucun cri[2], n'en interromps le cours ;
Tiens ta langue captive ; et si ce grand silence
A ton émotion fait quelque violence,
Tu pourras me répondre après[3], tout à loisir.
Sur ce point seulement contente mon désir.

CINNA.

Je vous obéirai, seigneur.

AUGUSTE.

Qu'il te souvienne
De garder ta parole, et je tiendrai la mienne.

Tu vois le jour, Cinna ; mais ceux dont tu le tiens
Furent les ennemis de mon père, et les miens.
Au milieu de leur camp[4] tu reçus la naissance ;
Et lorsqu'après leur mort tu vins en ma puissance,
Leur haine, enracinée au milieu de ton sein,
T'avait mis contre moi[5] les armes à la main.
Tu fus mon ennemi, même[6] avant que de naître,
Et tu le fus encor, quand tu me pus connaître ;
Et l'inclination jamais n'a démenti
Ce sang qui t'avait fait du contraire parti :
Autant que tu l'as pu, les effets l'ont suivie ;
Je ne m'en suis vengé qu'en te donnant la vie :
Je te fis prisonnier pour te combler de biens ;
Ma cour fut ta prison, mes faveurs tes liens.
Je te restituai d'abord ton patrimoine ;
Je t'enrichis après des dépouilles d'Antoine ;
Et tu sais que depuis à chaque occasion
Je suis tombé pour toi dans la profusion.
Toutes les dignités que tu m'as demandées,
Je te les ai sur l'heure et sans peine accordées ;
Je t'ai préféré même à ceux dont les parens
Ont jadis dans mon camp tenu les premiers rangs,

[1] Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 8. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid* — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.* — [6] *Ibid.*

A ceux qui de leur sang [1] m'ont acheté l'empire,
Et qui m'ont conservé le jour que je respire.
De la façon enfin qu'avec toi j'ai vécu,
Les vainqueurs sont jaloux [2] du bonheur du vaincu.
Quand le ciel me voulut, en rappelant Mécène,
Après tant de faveur montrer un peu de haine,
Je te donnai sa place en ce triste accident,
Et te fis, après lui, mon plus cher confident.
Aujourd'hui même encor, mon âme irrésolue
Me pressant de quitter ma puissance absolue,
De Maxime et de toi j'ai pris les seuls avis;
Et ce sont, malgré lui, les tiens que j'ai suivis.

. . . .

Tu t'en souviens, Cinna; tant d'heur et tant de gloire
Ne peuvent pas si tôt sortir de ta mémoire;
Mais, ce qu'on ne pourrait jamais s'imaginer,
Cinna, tu t'en souviens [3], et veux m'assassiner.

CINNA.

Moi, seigneur [4]! moi, que j'eusse une ame si traîtresse!
Qu'un si lâche dessein.........

AUGUSTE.

Tu tiens mal [5] ta promesse;
Sieds-toi; je n'ai pas dit encor ce que je veux:
Tu te justifiras après, si tu le peux.
Écoute cependant, et tiens mieux ta parole.

Tu veux m'assassiner [6], demain, au Capitole,
Pendant le sacrifice; et ta main pour signal
Me doit, au lieu d'encens [7], donner le coup fatal.

. . . .

Tu te tais maintenant, et gardes le silence
Plus par confusion que par obéissance.
Quel était ton dessein [8]? et que prétendais-tu
Après m'avoir au temple à tes pieds abattu?

[1] Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 8. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.* 7. — [4] *Ibid.* — [5] *Ibid.* — [6] *Ibid.* — [7] *Ibid.* 3. — [8] *Ibid.* 8.

Affranchir ton pays d'un pouvoir monarchique ?
Si j'ai bien entendu tantôt ta politique,
Son salut désormais dépend d'un souverain
Qui, pour tout conserver, tienne tout en sa main.
. . . .
Quel était donc ton but[1] ? d'y régner à ma place ?
D'un étrange malheur son destin le menace,
Si, pour monter au trône et lui donner la loi,
Tu ne trouves dans Rome[2] autre obstacle que moi,
Si jusques à ce point son sort[3] est déplorable,
Que tu sois après moi le plus considérable,
Et que ce grand fardeau de l'empire romain
Ne puisse après ma mort tomber mieux qu'en ta main.
Apprends à te connaître, et descends en toi-même :
On t'honore dans Rome, on te courtise, on t'aime,
Chacun tremble sous toi, chacun t'offre des vœux ;
Ta fortune est bien haute, tu peux ce que tu veux :
Mais tu ferais pitié même à ceux qu'elle irrite,
Si je t'abandonnais à ton peu de mérite.
Ose me démentir, dis-moi ce que tu vaux ;
Conte-moi tes vertus, tes glorieux travaux ;
Les rares qualités par où tu m'as dû plaire,
Et tout ce qui t'élève au dessus du vulgaire.
Ma faveur fait ta gloire et ton pouvoir en vient ;
Elle seule t'élève, et seule te soutient ;
C'est elle qu'on adore, et non pas ta personne ;
Tu n'as crédit ni rang qu'autant qu'elle t'en donne ;
Et pour te faire cheoir je n'aurais aujourd'hui
Qu'à retirer la main qui seule est ton appui.
J'aime mieux toutefois[4] céder à ton envie ;
Règne, si tu le peux, aux dépens de ma vie,
Mais oses-tu penser que les Serviliens,
Les Cosses, les Métels[5], les Pauls, les Fabiens,
Et tant d'autres enfin de qui les grands courages
Des héros de leur sang[6] sont les vives images,

[1]. Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 8. — [2]. *Ibid.* — [3]. *Ibid.* — [4]. *Ibid.* — [5]. *Ibid.* — [6]. *Ibid.*

Quittent le noble orgueil d'un sang si généreux
Jusqu'à pouvoir souffrir que tu règnes sur eux?

EX ACT. V, SCEN. III.

AUGUSTE.

. . . .
Je suis maître de moi comme de l'univers;
Je le suis, je veux l'être. O siècles, ô mémoire,
Conservez à jamais ma dernière victoire:
Je triomphe aujourd'hui du plus juste courroux
De qui le souvenir puisse aller jusqu'à vous.
Soyons amis[1], Cinna, c'est moi qui t'en convie;
Comme à mon ennemi je t'ai donné la vie;
Et, malgré la fureur de ton lâche dessein,
Je te la donne encor comme à mon assassin.
Commençons un combat[2] qui montre par l'issue
Qui l'aura mieux de nous ou donnée ou reçue.
Tu trahis mes bienfaits, je les veux redoubler;
Je t'en avais comblé, je t'en veux accabler;
Reçois le consulat[3], etc.......

[1] Senec. de Clem. lib. I, cap. 9, 9. — [2] *Ibid.* — [3] *Ibid.*

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD SENECÆ LIBROS

DE CLEMENTIA.

Ce traité est adressé à Néron, au commencement de la seconde année de son règne ; aussi le ton en est-il noble et élevé, le style souvent ingénieux, mais plus simple, moins haché, et, s'il m'est permis d'emprunter une expression de la peinture, plus large.

C'est la plus adroite et la plus forte leçon qu'il fût possible de donner à un jeune prince dont on avait pressenti le penchant à la cruauté. Si l'on m'assurait que dans les années de sa perversité, jamais les regards de Néron ne tombèrent fortuitement sur la couverture de cet ouvrage, sans que le trouble et les remords ne s'élevassent au fond de son cœur, je serais tenté de le croire.

On y est introduit par l'éloge de l'empereur; d'où l'on passe à la la nature de la clémence, à ses motifs, à son utilité pour tous les hommes, à sa nécessité pour un souverain, et aux moyens d'acquérir, de conserver et de fortifier en soi cette vertu.

Néron monta sur le trône à dix-huit ans : on voit en cet endroit que le philosophe avait découvert la bête féroce sous la figure humaine. Il y a des exemples, des réflexions, des conseils qu'aucun orateur n'aurait l'indécence de proposer à un autre prince que Néron. Ce n'est qu'à un tigre qu'on dit : Ne soyez point un tigre. On trouvera au chapitre XXIV, des traits qui justifieront ma pensée. Au reste, les rois, les magistrats, les pères, les instituteurs, les maîtres, tous ceux qui ont quelque autorité sur les autres, y apprendront à juger des circonstances, où il convient de pardonner ou de punir, et à discerner la ligne étroite qui sépare la clémence de l'injustice.

Si l'on doute que Sénèque sache penser de grandes choses, et

les rendre avec noblesse, j'en appellerai au discours qu'il a mis dans la bouche de Néron, au premier chapitre de ce traité ; et je demanderai quelques pages plus belles en aucun auteur, sans en excepter l'historien Tacite.

Le voici, ce discours. « Qu'il est doux de pouvoir se dire à soi-« même : seul d'entre les mortels, j'ai été choisi pour représenter « les Dieux sur la terre ! Arbitre absolu de la vie et de la mort « chez toutes les nations, le sort et des peuples et des individus « fut déposé dans mes mains. C'est par ma bouche que la force « déclare ce qu'il convient d'accorder, et la justice ce qu'il convient « de refuser. C'est de mes réponses que les royaumes et les cités « reçoivent les motifs et de leur désolation et de leur allégresse. « Nulle partie du monde n'est florissante que par ma faveur. Ces « milliers de glaives que la paix retient dans leurs fourreaux, « d'un clin-d'œil je les en ferai sortir. C'est moi qui décide « quelles nations seront anéanties ou transférées, affranchies ou « réduites en servitude ; quels souverains seront faits esclaves, « quels fronts seront ceints du bandeau royal ; quelles villes on « détruira ; quelles autres s'élèveront sur leurs ruines. Malgré « cette puissance illimitée, on ne peut me reprocher un seul châ-« timent injuste. Je ne me suis livré ni à la colère, ni à la fougue « de la jeunesse, ni à la témérité des uns, ni à l'opiniâtreteté des « autres, qui lassent les âmes les plus tranquilles, ni à la cruelle « ambition, si commune dans les maîtres de la terre, de mani-« fester leur pouvoir par la terreur. Avare du sang le plus vil, « le titre d'homme est une recommandation suffisante auprès de « moi. A ma cour, la sévérité marche voilée, et la clémence se « montre à visage découvert. J'ai tiré les lois de l'obscurité, et je « m'observe comme si je leur devais compte de mes actions. Je « suis touché de la jeunesse de l'un, de la caducité de l'autre, « de la faiblesse de celui-ci, de la considération de celui-là, et « au défaut d'un motif de commisération, je pardonne pour me « complaire à moi-même. Dieux immortels, paraissez, inter-« rogez-moi sur mon administration ; je suis prêt à vous répondre. »

Je ne connais point d'auteur moderne qui ait plus d'analogie avec un auteur ancien, que Corneille avec Sénèque.

Si Racine doit à Tacite la belle scène entre Agrippine et son

fils, Corneille doit à Sénèque celle d'Auguste et de Cinna. Voyez le chapitre IX du premier livre.

Quelle étrange révolution les années ont apportées dans mon caractère! Lorsque j'entends Agamemnon dire à Iphigénie: Vous y serez, ma fille! je suis encore touché; mais lorsque j'entends Auguste dire à un perfide: *Soyons amis*, *Cinna*, mes yeux se remplissent de larmes.

Néron fut clément par dissimulation dans sa jeunesse, et Auguste par lassitude dans sa vieillesse.

Le traité de Sénèque n'ayant pas corrigé Néron, celui-ci dut concevoir secrètement une haine d'autant plus profonde contre un peintre hardi, qui mettait d'avance sous ses yeux le hideux portrait qui lui ressemblerait un jour.

Dans cet ouvrage, les conséquences des principes de l'auteur le mènent à des assertions difficiles à digérer. Il prononce décidément que la compassion est un défaut réel; que la cruauté et la compassion sont deux extrêmes, l'une de la sévérité, l'autre de la clémence: ce qui m'inclinait d'abord à croire qu'en passant du latin dans notre langue, le mot compatir avait changé d'acception; ou que l'influence des mœurs générales sur les notions du vice et de la vertu faisait traiter de faiblesse à Rome ce que nous regardons comme un sentiment d'humanité; mais il est évident, par ce qui suit, que l'opinion de Sénèque est la pure doctrine de Zénon, qui regardait la grandeur d'âme comme incompatible avec la crainte et le chagrin, et la leçon d'une école dont le sage était sans pitié, parce que la pitié était un état pénible de l'âme. Zénon disait, et Sénèque après Zénon: « Mais sans compassion ni pitié, notre philosophe fera tout ce que l'homme sensible et compatissant..... » J'en doute; en secourant celui qui souffre, l'homme sensible et compatissant se soulage lui-même.

« C'est la clémence qui distingue le monarque du tyran..... » Ne serait-ce pas plutôt la justice, source du respect et de l'amour des peuples?

« Le plus misérable des hommes, c'est le tyran.

Les deux faits qui suivent, montrent que l'esprit des peuples s'écarte souvent de l'esprit des lois.

Érixon, chevalier romain, fait périr son fils à coups de fouet.

On s'attroupe autour de lui ; les pères, les mères et les enfans l'attaquent, et le percent de leur stylets : l'autorité d'Auguste le garantit à peine de la fureur populaire ; et la clémence de Titus Arius qui se contenta d'exiler son fils, juridiquement convaincu d'avoir attenté à sa vie, reçut un applaudissement général. La circonspection de l'empereur dans cette conjoncture est digne d'éloge. Je renvoie à mon auteur, que je n'ai pas résolu de copier, page à page.

« La bienfaisance garde le souverain pendant le jour ; l'amour de ses sujets est sa garde nocturne. »

« Le souverain est l'âme d'un corps politique, dont les membres sont sans cesse agités par ses vices et par ses vertus. »

« Le pardon que le souverain accorde à un citoyen, est un acte de clémence envers la république. »

« Le souverain dit : Il n'y a personne qui ne puisse tuer contre la loi. Je suis le seul qui puisse sauver malgré elle....» Oui, mais partout où c'est la prérogative de la souveraineté, il n'y a plus de loi.

« Avant que d'agir d'autorité, jeune souverain, demandez-vous à vous-même, si c'est ainsi qu'en useraient les Dieux que vous avez pris pour modèle. »

« Un écuyer rendrait son cheval ombrageux, s'il ne lui fesait sentir de tems en tems une main caressante. Il n'est point d'animal plus sujet à se cabrer que l'homme. »

« C'est un beau, mais rare spectacle, que celui d'un prince impunément offensé. »

« Il est dangereux d'instruire une nation du grand nombre des citoyens pervers ; c'est donner aux esclaves la liste de leurs maîtres. »

La commisération pleure en condamnant, la justice sévère a l'œil sec, la cruauté insultante a l'œil riant.

L. ANNÆI SENECÆ
DE TRANQUILLITATE
ANIMI
LIBER UNUS
AD ANNÆUM SERENUM.

ARGUMENTUM.

I. Epistola Sereni præmittitur ad Senecam, cui statum animi sui queruli et morosi vacillantem, ideoque a tranquillitate quam maxime alienum queritur: petit deinde, ut sibi succurrat laboranti. II. Cui proinde suadet Seneca, ut quum satis sanus sit, sed sanitati parum assueto similis, fidem sibi ipsi habeat, et recta ire via se credat, siquidem ad veram animi tranquillitatem (εὐθυμίαν) pervenire velit. Jam ut ostendat in universum, quomodo eam consequi quis possit, describit vitium, de quo questus erat Serenus. III. Contra hoc tædium sive fastidium (hic enim morbus ille est) consilium dat, ut actione rerum et Reipubl tractatione hoc morbo laborantes utantur, saltem otium rebus misceant, sive, si quando in tempora turbulentiora incideris, faciendum erit ut plus otio ac literis vindices; quamvis Athenodoro contra nitente. IV—VI. Necessarium tamen ante omnia est ad negotia euntibus, primum ut nosmetipsos noscamus, deinde negotium, denique homines, quorum causa, aut quibuscum agendum est. In nobis æstimandæ sunt vires, quid et quatenus possimus, neque ultra tendamus. Deinde in negotiis consideremus, an nos iis pares simus gerendis; tandem in hominibus, an digni sint labore nostro atque temporis impendio. VII, VIII. Ad tranquillitatem porro animi multum valet amicitia fidelis et dulcis, quæ oblectamento sit: vitetur tamen amicus morosus, ingenio tristi, omnia accusans. Altera tamen parte sunt, quæ hanc tranquillitatem impediant: ac primum quidem patrimonia, quæ si modica sint, virtuti et vitæ tranquillæ sufficiunt, ampla officiunt: quapropter ea intra certum modum sunt coercenda, ut tranquillius et securius vivas. Mediocritas autem est optima. IX. Veræ divitiæ tantummodo parcimonia et continentia acquiruntur: ideoque luxui resistendum, etiam in utilibus vitæ instrumentis, ut bibliotheca et libris. X. Deinde et incommodum vitæ tolerandum est, ne officiat tranquillitati: molestiæ enim in omni vita interveniunt, quæ tamen tum labore et consuetudine molliuntur et vincuntur, tum aspectu alienæ sortis sæpe tua deterioris. Accedit, quod cuique vitæ generi suæ voluptates et incommoda sint. Tum cupiditates non longe mittendæ sunt, sed ad propinqua, quæ ad pedes sunt et facilia ad prehendendum. XI. Jam sequitur præclara disputatio de æquanimitate et constantia sapientis in usum proficientis et tironis. Summa capita sunt hæc: Sapientem contemnere mortem, vel saltem pro re indifferenti habere: ei nihil inopinati accidere debere nec posse, ideoque in eum non cadere illud: hoc non putare sapientis esse, omnia præcipere et prævidere quasi futura, tam mala quam bona. Exempla virorum illustrium et excellentium ex alto cadentium et a fortuna desertorum. XII—XIV. Ideoque in supervacuis non est laborandum, neque, quantum potest, in alienis, quorum nimia curiositas et πολυπραγμοσύνη est vitanda. Multa enim agenti et agere captanti tum inconstan-

tia rerum cogitanda, tum pertinacia atque levitas evitanda est : h. e. nec assidue in vita mutes, nec si male elegeris, præfracte inhæreas. Si tamen adversa incidant, ea benigne interpreteris et æquo ac pæne hilari oculo adspicias. Exempla. XV. Quum denique nihil proficiat, privatæ tristitiæ causas abjecisse, nisi et publicæ removeris, odium generis humani abjiciendum est, et fastidium rerum humanarum fugiendum. Idcirco vanitates humanæ neque irrideri, neque fleri, sed potius æquo animo ferri debent, nec nos bonorum exitus mali contristare. Alia sollicitudinum non mediocris materia est simulatio et anxia sui observatio : solitudo et conversatio sunt prudenter miscendæ. Otium sapientis et vita privata.

Liber hic non dubie utilis, et tum materia, tum tractatu insignis est, etsi ordinem universi labare putat Lipsius, idque injuria temporum, aut exscriptorum. Sed si cogitasset, esse magis *epistolam*, quam tractationem, sive disputationem artificiosam et eam continuam, atque e Rhetoricæ regulis elaboratam, fortasse sententiam suam mitigasset. Ubi enim ordinem migrasse nobis videtur Seneca, ibi vero poetarum quasi lyricorum more quædam negligit, quædam leviter perstricta, ut notiora, omittit, abreptus studio graviora, quæ animum ejus pungunt, efferendi; quædam verbo tantum et obiter attingit, sive quod alias jam tractaverit, sive quod per transitum et strictim erant percurrenda. Accedit, quod particulas transitus et nexus parum curat. Præfracte tamen haudquaquam obnitar Lipsii judicio, postremis ferme verbis Senecæ nixi, ideoque putantis in fine claudicare, et partitionem, qua se probaturum promiserat, quæ tueri tranquillitatem possint et restituere, interiisse.

Liber scriptus est ad *Annæum Serenum*, præfectum vigilum Neronis, quem nuper interemptum esse esu fungorum tradit *Plin. Nat. Hist. lib.* XXII, *cap.* 47. Certe inter amicos interiores Senecæ fuit, et Tacito teste, *Annal. lib.* XIII, *cap.* 13, ubi Senecæ familiaris audit. Ante Senecam obiisse, *Ep.* 63. *fin.* docet, et eum Seneca multo minorem. Conf. de eo *Harduin.* ad *Plin.* loc. laud. T. IV. *p.* 209. Singulari autem et παραδόξῳ modo libri introitus et occasio exponitur, epistola Sereni ad Senecam præmissa. Dialogum enim hunc esse, quod voluit Gronovius, mihi persuadere non possum, tenore orationis repugnante. Unicum, ut opinor, exemplum hac in re est, nec, quod Lipsio placuit jam a Gronovio recte ideo represso, familiare est Senecæ, πρόφασιν sive occasionem scripti interdum figurate proponere, et dilatare, atque ita ad rem venire. Vellem hoc docuisset Vir doctissimus. Cæterum nec mirus videbitur hic tractationis modus, quod epistola amici, sive vera, sive ficta sit, foras data, consilium suum de Tranquillitate Animi comparanda cum hominibus communicet : si modo primum reputemus, Serenum ejus amicum fuisse, et eum multo minorem, deinde honori esse debuisse ei, a Viro summopere æstimato in viam rectam deduci et immortalitate donari. Nec refragabor, si quis contendat, post Sereni demum mortem hunc librum editum fuisse : etsi hoc mirationem certe facere potest, quod ne minima quidem militaris vitæ, quam agebat Serenus, mentio injecta sit. Saltem nullum satis certum vestigium temporis, quo scriptus sit liber, mihi comparuit. Quam-

quam Lipsio secus videbatur, ut qui primo capite libri semetipsum alloqui Senecam putans initio reditus ejus ab exsilio, quum ad aulam et Neroni instituendo admotus esset, librum assignabat.

Primus de Tranquillitate Animi non scripsit Seneca, quandoquidem jam ante eum exstiterunt, qui hoc caput e philosophia morali desumptum singularibus commentariis pertractandum sumpsissent. Ac primo quidem loco memorandus est hoc nomine *Democritus*, Abderita: conf. ad lib. II, c. 5. Non ita longe post secutus est deinde *Hipparchus*, Pythagoricus, Lysidis coævus, circa Epaminondæ tempora; scripsit librum περὶ εὐθυμίας, e quo fragmentum præclarum occurrit apud *Stobæum*, *Serm.* CVI: conf. Fabricii Bib. Gr. *Vol. I. p.* 847 *sq. Harl.* Ut omnia porro scripta *Panætii*, Stoici, magni æstimata sunt in antiquitate, ita liber ejus περὶ εὐθυμίας a *Diog. Laert.* lib. IX, cap. 20. (Panætius tradidit quoque in hoc libro, et Xenophanem, ut sapientem, propriis manibus suis filios suos sepelivisse, et Anaxagoram) haud minore honore dignus habitus est. Conf. Fabric. *Vol.* III. *p.* 567, *sqq.* Exstat etiam nunc ex iis, qui post Senecam scripsere, potissimum *Plutarchi* liber de Tranquillitate Animi, dignus qui contendatur. Multi præterea fuerunt, qui et hunc locum philosophiæ moralis in libris suis de fato, de casibus, περὶ τῆς ἀπαθείας, etc. ut *Teles*, Pythagoreus, aliique, tractarunt.

L. ANNÆI SENECÆ
DE TRANQUILLITATE
ANIMI
LIBER UNUS.

Cap. I. Inquirenti mihi in me [1] quædam vitia apparebant, Seneca [2], in aperto posita, quæ manu prenderem [3]: quæ-

I. Arg. Annæus Serenus amicum suum Senecam consulit de animi sui statu, quem explicat, inquieto, moroso ac fluctuanti, sibique ut consilio succurrat, petit. Dicitur quidem, ait, virtutes lente surgere et principio debiles ac teneras incrementis in die captis adolescere, maturescere et in hunc vigorem excrescere quem nihil frangat. Sed nonne et vitiis eadem incrementa? Si vero et tenerum vitium jam mihi ridet ac blanditur, nonne mox placebit, mox amorem sui injiciet flagrantissimum, mox pars mei nunquam abstrahenda fiet? His præmissis sigillatim dubitationem hanc exponit. Parcimoniam amat, laudat; tamen circumsonante luxu, opes suspicit, parumque abest quin cupiat. Otium quærit, ut secum colloquatur, cæterorum obliviosus, et privatas virtutes exerceat augeatque, rem publicam aliis permittens; at sæpe munera publica et imperia optat. Gloriæ inanitatem perspectam habet, aucupatur tamen: succurrendum ergo infirmæ menti, eo citius quo impensius forsan blandiatur sibi: nam blandimur ipsi nobis in judicando, adulatioque nostra pejor quam aliena; neque quidquam obstat sapientiæ firmius, quam sapientiæ se aut compotem jam aut proximum reri.

1. *Inquirenti mihi in me. Inquirere* vox est sumpta a re forensi. Quasi ipse sibi qui loquitur diem indixisset, et sua seu bene seu male facta rimaretur, et utram in partem mens vergat consideraret attentius. Gallice diceremus : *instruire soi-même son procès*.

2. *Seneca*. Fere omnium est librorum ap. Gruter. lectio. Erasmus e suo, ut videtur, dedit *Serene*. Muretus vero, nescimus an e libro Siculo, an e conjectura, fecit *retecta*, quod non multum abest Casp. Barthius in Adversar. 32, 7. p. 1474, quin probet. Gronovius tandem nostram lectionem bene reduxit; quippe qui hunc librum in Dialogis a Quintiliano attributis Senecæ esse putavit. Conf. Argumentum.

3 *Quæ manu prenderem*. Meta-

dam obscuriora, et in recessu : quædam non continua, sed ex intervallis redeuntia, quæ vel molestissima dixerim, ut hostes vagos, et ex occasionibus assilientes [1], per quos neutrum licet, nec tamquam in bello paratum [2] esse, nec tamquam in pace securum. Illum tamen [3] habitum in me maxime deprehendo (quare enim non verum, ut medico, fatear?) nec bona fide [4] liberatum iis, quæ timebam
2 et oderam, nec rursus [5] obnoxium. In statu, ut non pessimo, ita maxime querulo [6] et moroso positus sum : nec ægroto, nec valeo. Non est quod dicas [7], omnium virtutum tenera esse principia, tempore ipsis duramentum et robur accedere. Non ignoro [8], etiam quæ in speciem la-

φορικῶς dictum, dum τὸ *in aperto posita* explicat illustratque.

1. *Hostes vagos et ex occasionibus assilientes.* Belli genus innuit quos recentiores nos clarius dicimus *guerre de partisans.*

2. *Nec tamquam in bello paratum.* Namque indictò bello, armis suis vel ignavissimus quisque accingitur, et hostis si forte ingruit non inermem et improvidam turbam invenit.

3. *Illum tamen*, etc. E tribus tamen vitiorum generibus quæ mihi inesse conqueror, priora duo non valde me sollicitant; sed tertiis concutior : neque enim compescere ego valeo fluctuantem illum statum, quem proxime significavi, quem modo descripturus sum.

4. *Nec bona fide.* Sensus generalis : Ita ut vitiis funditus deletis curatio sincera ac perfecta sit. Specialiter vero hanc vim ἐμπεπλεγμένην habet τὸ *bona fide* ut sibi ipse fingat fœdus quodammodo animum inter et malas cupidines ictum esse, cujus illæ aliquando parum curant, ita ut mala fide agant et vellicent, et a bonis dehortentur. Liberatum me, inquit, ea pace credidi quam animum inter et pravos affectus sapientia constituit; sed infidi affectus pacem usque et usque inquietant, nec liberatum omnino me patiuntur.

5. *Rursus.* Lipsius emendare voluit *prorsus*, contra sententiam Sereni, qui media conditione se uti queritur. — *Nec rursus obnoxium.* Id est, altera ex parte expositum.

6. *Querulo et moroso.* De quo queror sæpius, et quo minus gaudeo, minus contentus sum quam esse par est.

7. *Non est quod dicas.... accedere.* Objectio est cui obviam it, nempe : Virtutem lente adolescere; ergo nequaquam desperandum, si principio infirma sit, nec primo statim congressu affectus viles vulgaresque prostraverit.

8. *Non ignoro*, etc. Respondet proximæ objectioni : Non esse virtutes, sed vitia, quæ longa consuetudine crescant; distare itaque ab iis virtutibus et bonis, quibus quis ad altiora sensim evehatur, quæ quidem initio parvæ sint, temporis tamen successu majores fiant.

borant [1], dignitatem [2] dico, et eloquentiæ famam, et quidquid ad alienum suffragium venit, mora convalescere; et quæ veras vires parant [3], et quæ ad placendum fuco quodam subornantur [4], exspectant annos, donec paulatim colorem diuturnitas ducat [5]: sed ego vereor, ne consuetudo, quæ rebus affert constantiam, hoc vitium in
me altius figat. Tam bonorum quam malorum longa con- 3
versatio [6] amorem induit. Hæc animi inter utrumque du-

1. *In speciem laborant.* Omnium codd. ap. Grut. lectio, præter unicum Colon. cod. qui habet *in spem,* e compendio scribendi ortum. Dignitas, eloquentiæ fama, etc. laborant in speciem, omnia agunt, ut quando splendescant, atque in oculos hominum incurrant. Sic bene locum expedit Gron., Lipsium et Casp. Barthium refutans, locis multis ad usum τοῦ *laborare in aliquid* adductis, Quintil. VIII, 2; Seneca de Ira III, 41, 2, de Brev. vit. c. 19, 3. etc.

2. *Dignitatem.* Existimatione bona (*considération*). Hanc vocem explico de auctoritate publica, e. c. senatoris, quæ initio parva sit, et omne id quod e favore et assensu hominum pendeat. Lipsius et Gronovius (qui multis exemplis usu phrasis illustrato explicat τὸ *laborare in speciem,* omnia agere ad ostentationem, ad pompam, ut conspiciantur, ut conspecta sint, atque in oculos hominum incurrant, Vid. not. præced. fin.) de labore, quem ambitio consumat in dignitate acquirenda, interpretantur. Male; nam facile, quisquis ad latinitatis vim attenderit judicabit futurum fuisse ut *dignitates* Annæus scriberet, si de muneribus publicis cogitasset. Unde error iste natus, in perspicuo est: dignitatem dignitates potissimum conciliant (quamvis et alia quædam conciliant, v. g. clari natales, alta virtus, pecuniæ immensa vis, etc.); dignitates ergo causæ sunt dignitatis, dignitas vero effectus. Porro quam facile effectus et causa unum et idem videntur, præsertim si aut idem aut simillimum utriusque nomen sit! quod h. l. factum videmus. Aliud quoque forsan, quam impugnamus opinionem, firmare potest, nempe τὸ *ad alienum suffragium;* quod mox sequitur. Sed non suffragia hic intelliguntur quæ advocata concione dantur publice; sed illa qua aliena facta taciti prosequimur, approbatio; ut gallice *suffrages.*

3. *Quæ veras vires parant.* Quarum rerum auxilio veras (non specie tantum valentes) vires adipiscimur: nam *parare* est *acquirere.* Earum vero primæ sunt virtutes.

4. *Et quæ subornantur.* Ornantur extrinsecus. Ἀντιθετικὸν his quæ præmissa legisti. Intellig. eloquentiam, et cætera id genus.

5. *Colorem...... ducat.* Explices de *fuco* quod supra est.

6. *Conversatio.* Idem prope est ac contubernium, gallice *cohabitation* vel *ménage commun.* Ergo incisæ totius *tam bonorum...... induit* is est sensus: Qui virtutes socias et quodammodo contubernales habet, huic fateor magis ac magis in dies virtutum amorem illabi. Sed nonne idem de vitiis accidit? Nonne qui in ma-

hii, nec ad recta fortiter, nec ad prava vergentis, infirmitas qualis sit, non tam semel tibi possum quam per partes [1] ostendere. Dicam quæ accidant mihi : tu morbo nomen invenies. Tenet me summus amor parsimoniæ, fateor. Placet non in ambitionem cubile compositum [2], non ex arcula [3] prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa [4], sed domestica [5] et vilis, nec servata, nec sumenda sollicite [6]. Placet cibus, quem nec parent familiæ [7], nec spectent; non ante multos imperatus [8] dies, nec multorum manibus ministratus, sed parabilis facilisque, nihil habens arcessiti [9] pretio-

larum rerum contubernio diu degit, earum caritatem mox habet, ita ut has primo patiatur, mox diligat, mox amet, mox sibi immisceat, nunquam posthac ab iis retrahendus?

1. *Semel..... per partes. Semel* gallice est *en bloc, en masse;* « per partes », *en détail.* »

2. *In ambitionem compositum.* Stragulis purpureis nitens, metallis pretiosissimis cum ebore bracteatum; ita offundatur ut spectantium oculis splendor.

3. *Arcula.* I. e. cista vestimentis forensibus ideoque elegantibus condendis apta. Cic. de Offic. II, 7, 13. Columella XII, 45. fin. Martial. II, 46, 4. Casp. tamen Barth. loc. laud. de prælis intelligere mavult, sub quibus vestimenta pressari sueta sunt, ut formam accipiant. Proinde præfert *expressa* loco τοῦ *pressa*, e libris aliquot. Male. Confundit ille præla et arculam, nec docet expressam vestem eamdem esse quam variegatam atque figuris impictam. Mox quum *parent, imperatus, parabilis* iterantur, mendum suspicatur Barthius, quod quærit, et, ut fit, facile invenit in voce: *parent*, emendans infeliciter *raptent*, vel *portent. Spectent* Gruterus e libris recte defendit contra Pinciani lect. *exspectent*; sermo enim est de apparatu cœnæ magnifico. *Arcessiti* reduxi : antea *accersiti*. Conf. Gronov. ad Liv. XXXVI, 7, 2, et Cellarii Orthograph.

4. *Placet non in ambitionem...... pressa.* Parietibus marmore et purpura distinctis, alto toro, lecto argenteis, aureis, eburneis pedibus, laqueari aurato, pavimento tessellato, exornatas divitum et luxuriosorum cœnationes dicit : et *vestem* purpuream, quæ pressorio instrumento subjici solebat, ut splendorem ac lævitudinem ostenderet.

5. *Domestica.* Domi geri solita.

6. *Sollicite.* Ut sinus latiores faceret, difflueret et splenderet.

7. *Familiæ.* Servorum greges innumerabiles. — *Spectent.* Mensæ adstando ac ministrando.

8. *Imperatus.* Servis, ut peregrinæ aves piscesque ad cœnam ambitiosam quærerentur. *Imperare* enim vocabulum solemne de cœna ordinanda; vid. ex. c. Cic. Rosc. Amerin. 21. Orat. lib. II, cap. 7.

9. *Nihil habens arcessiti.* Namque

sive[1], ubilibet non defuturus[2], nec patrimonio gravis, nec corpori, nec rediturus qua intraverat[3]. Placet minister[4] incultus[5] et rudis[6] vernula; argentum[7] grave rustici patris[8], sine ullo opere et nomine artificis; et mensa non varietate macularum conspicua[9], nec per multas elegantium dominorum successiones civitati nota; sed

Romani Roma procul quæsita efflictim amabant. Testatur Juvenal. Satir. V, passim. Item Martial. Vide et Nostrum, Consol. ad Helv. cap. 9, ad ultim.: « Pretiosos non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi facit »; et ad hoc notata.

1. *Pretiosi*. Martialis optime, lib. XIII, Epigr. LXXII, vs. 2: « Carior est perdix, sic sapit illa magis. » Sic murænarum lactes, suis papillam, phœnicopterorum linguas, etc. appetebant; quæ non nisi auri et argenti sextariis parabilia erant.

2. *Ubilibet non defuturus*. Sic in Britannia agenti defuisset « Ionicarum gustus attagenarum » (Mart. lib. XIII, Epigramm. LIX) et Syriam Euphratesiam peragranti « Rutupino edita fundo Ostrea. » (Juvenal. Satir. IV, fin.)

3. *Nec rediturus*. Alludit illud, quod in Cons. ad Helv. dixit, cap. 9. fin.: « Vomunt ut edant, edunt ut vomant; » ubi vide notas.

4. *Minister*. Puer vini.

5. *Incultus*. Sine veste pretiosa.

6. *Et rudis*. Parum expolitus, quippe domi, rure natus et educatus.

7. *Argentum grave*. Quo purus alias vocatur vasa, pondere solum æstimanda, non arte, et, ut dicit, artificis clari nomine spectanda; nam hinc sæpe argenteis poculis additum pretium. Martial. lib. VIII, Epigr. LI: « Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis? Mentoris hæc manus est? an, Polyclete, tua? » Item lib. XIV, Epig. XCV: « Quamvis Callaico rubeam generosa metallo, Glorior arte magis. »

8. *Rusticipatris*. Qui semper simplex in luxuria degere noluit. Quod quum Barthius l. l. non intelligeret, emendavit *rusticis pateris*. *Ruhkopf* explicat proprie *rusticus*, qui rure vixit, qui rusticari maluit quam inter urbanas delicias vitam traducere. Sed inelegans est hoc sensu *rusticus*; elegans simul usitatusque quam maxime pro *simplex*, *rudis*. Ovid. Amor. lib. II, Eleg. 8, vs. 1, sqq. « Ponendis in mille modos perfecta capillis, Comere sed solas digna, Cypassi, Deas, Et mihi jucundo non rustica cognita furto ». Ergo optime *Lagrange* interpretatur: *L'argenterie grossière de mon provincial de père*.

9. *Macularum*, etc. Venarum et nævorum in mensis citreis magni apud Romanos lautos æstimatorum. Quod quidem luxuriæ genus quali studio foverint ut bene dispicias adeundus Nost. de Ben. lib. VII, cap. 9, ubi: « Video istic mensas et æstimatum lignum senatoris censu, eo pretiosius quo illud in plures nodos arboris infelicitas detorsit. » Tertull. « Adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus Numidicum orbem emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat. En quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas! » Add. his iterum Noster, de Ira, lib. III,

in usum posita [1], quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidia [2]. Quum bene ista placuerunt, præstringit animum apparatus alicujus pædagogii [3], diligentius quam in tralatu [4] vestita [5], et auro culta mancipia, et agmen servorum nitentium. Jam domus, etiam qua calcatur, pretiosa [6], et divitiis per omnes angulos dissipatis, tecta ipsa fulgentia [7], et assectator comesque patrimoniorum pereuntium [8] populus. Quid

cap. 35, 3. Plinius quoque, Nat. Hist. lib. XIII, cap. 29.

1. *In usum posita.* Non in contemplationem, ut hæc tam cara et pretiosa, quibus vix audeas uti.

2. *Accendat invidia.* Sic lib. III, Od. I, stroph. ultim. Horat. de palatio splendido : « Cur invidendis postibus et novo Sublime ritu moliar atrium ? »

3. *Pædagogii.* Pædagogia erant scholæ quædam in quibus pueri servi, interdum et ingenui, ad diversa potentiorum et principum ministeria plerumque illicita educabantur. Cf. Lipsii Excurs. B. ad Tacit. Annal. lib. XV, cap. 69 (nost. ed. Tom. IV, pag. 545.) Ed.

4. *Tralatu.* Tralatum vocabant solemnes pompas qua multa splendida et multi circumferebantur, ut in epulis publicis, triumphis, transvectione equitum. Noster, Epist. CX, 14 : « Sed in quodam apparatu vidi totas opes urbis, cælatas ex auro et argento, et his quæ pretium auri argentique vicerunt, exquisitos colores, et ultra non tantum nostrum, sed ultra finem hostium advectas. Hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc fœminarum, et alia quæ res suas recognoscens summi imperii fortuna protulerat. »

5. *Diligentius quam in tralatu vestita.* E Jureti libro, possessore et Grutero probantibus reduxit Gronov. *tralatu* i. e. pompa; vid. not. præcedent. Val. Max. II, 4, ubi *translatum* occurrit, i. e. personas pompam ferentes, in pompa ludorum ornatos incedentes. Rem illustrat, ut nemo melius, Seneca Ep. CX. Hæc lectio haud dubie præferenda est aliis reliquis : *intra latus..... intra lacum..... intra larem..... intra privatum vestita..... in privato lare.....* quæ nullum sensum præbent.

6. *Etiam qua calcatur, pretiosa.* Solum et pavimentum marmore, auro et gemmis mixtis exornatum, opere tessellato, seu vermiculato, de quo Horat. lib. II, Od. XIV : « Pavimentum superbum ; » Tibull. lib. III, Eleg. III : « Auratasque trabes marmoreumque solum » ; Mart. lib. XII, Epig. L, vs. 4 : « Calcatusque tuo sub pede lucet onyx ; » et Noster, Epist. XVI : « Ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, et eo deliciarum opumque perducat ut terram marmoribus abscondas, et non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias. » Cf. Ernesti in Clav. Cic.

7. *Tecta ipsa fulgentia.* Laqueata, auro gemmisque distincta.

8. *Assectator comesque patrimoniorum pereuntium populus.* *Patrimoniorum pereuntium* est pro *eorum qui patrimonia pessumdant;* unde

perlucentes ad imum aquas, et circumfluentes [1] ipsa convivia? Quid epulas loquar scena suâ dignas? Circumfu- 6
dit me ex longo frugalitatis situ [2] venientem multo splendore luxuria, et undique circumsonuit. Paullum titubat acies : facilius adversus illam animum quam oculos attollo [3]. Recedo itaque non pejor, sed tristior : nec inter illa frivola mea [4] tam altus [5] incedo, tacitusque morsus subit, et dubitatio, numquid illa [6] meliora sint; nihil horum me mutat, nihil tamen non concutit [7]. Placet vim præceptorum [8] sequi, et in mediam ire Rempublicam : placet honores fascesque [9] non purpura aut virgis adduc-

sensus : Et populus qui prodigos paternarum facultatum juvenes sequitur, juvatque ut citius pecunias omnes disperditum eant.

1. *Circumfluentes*. Quas jam in ipsas cœnationes perduxerant. Conf. ad Provid. cap. 3, § 9.

2. *Circumfudit me ex longo frugalitatis situ*, etc. *Situs* est *pædor, squallor*. Frugalitas non de iis tantum quæ ad moderationem edendi spectant, sed de omni temperantia. Ergo sensus est : Si ex vita mea et frugali et sordida, quam supra declaravi, in hanc luxuriam interdum veniam, etc. Cæterum, ne cogites de Seneca ab exsilio modo reverso, adeas Argumentum.

3. *Facilius...... attollo*. Hoc est : minus difficile, hanc cogitans, respuo et sperno, quam videns. *Lagrange : « Je sens qu'il est plus facile de résister à l'idée qu'à la vue de l'opulence. »*

4. *Frivola mea*. Angustas meas res. Juvenal. Sat. III, 198; « Jam frivola transfert Ucalegon. »

5. *Altus*. Sic hab. Erasmianus lib. et plurim. codd. apud Gruter. *Lætus* Muretus induxerat, nescio unde desumptum : in marg. Erasm. non est.

6. *Illa*. Quæ modo explicuit, divites apparatus, epulas lautas, etc.

7. *Nihil horum me........ concutit.* Hoc est, non ita permoveor, ut hæc velim et secter, commoveor tamen aliquantulum : sapientia et simplicitas non displicent; sed minus displicent opes et vesani fastus quam displicebant : divitias non concupisco, sed cogito, qui hæc nunquam cogitabam.

8. *Vim præceptorum*. Quæ præcepta hic significat? Stoicorum, qui ad Rempublicam capessendam asseclas suos adhortabantur; quippe qui mundanum præcipiebant esse sapientem. Scilicet quamvis rationis imperio totam vitam hominis traderent, non jubebant, ut bene aliquis viveret, in solitudinem hunc et otium confugere, sed potius theatrum magnum et lubricum adire, ubi fortitudinem experiretur. Vita, ut eis placebat, prælium est rationis et cupiditatum : at in solitudine deficientibus his, prælium jam non est; nec magis *sapiens* ille est, qui e fœcundo cupiditatum loco fugit, quam fortis ille miles, qui pugnæ locum relinqueret.

9. *Fascesque*. Fasces, virgæ, se-

tum capessere [1], sed ut amicis propinquisque, et omnibus civibus, omnibus deinde mortalibus paratior utiliorque
7 sim. Propius compositus sequor Zenonem [2], Cleanthem, Chrysippum [3]: quorum tamen nemo ad Rempublicam accessit, nemo non misit. Ubi aliquid animum, insolitum arietari, percussit [4], ubi aliquid occurrit, aut [5] indignum (ut in omni vita humana multa sunt), aut parum ex facili fluens, aut multum temporis res non magno æstimandæ poposcerunt, ad otium convertor, et quemadmodum pecoribus, fatigatis quoque, velocior domum gradus
8 est : placet [6] intra parietes suos vitam coercere. Nemo ullum auferat diem, nihil dignum tanto impendio redditurus [7]: sibi ipse animus hæreat, se colat, nihil alieni agat, nihil quod ad judicem spectet [8]: ametur expers pu-

cures sæpissime pro dignitate consulari aut prætoria nominantur. Horat. lib. III, Od. 11 : « Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis auræ. » Lucret. lib. III, vs. 1009 : « Qui petere a populo fasces sævasque secures Imbibit. »

1. *Placet..... capessere.* Non ambitione et splendore motum.

2. *Sim. Propius compositus sequor Zenonem.....* Hunc φράσεως ordinem et κώλων dispositionem, sensu postulante et Erasmo annuente, dedi. Antea : *Sim, propius compositus. Sequor......... Compositus* e codd. et Erasm. Antea, *positus.*

3. *Propius compositus ..... Chrysippum.* Principes sectæ stoicæ esse Zenonem Cittieum, Cleanthem Lycium, et Chrysippum Solensem, illum quidem Zenonis, Chrysippum vero Cleanthis discipulum, quis ignorat? Qui plura tamen de iis edoceri velit, is consulat *Tiedemann*, II, 427—432, et de eorum scriptis, quæ quidem multa fuere, et omnia fere perierunt, Fabricii Bibl. Græc. Tom. III, 579 sqq. 550 sq. Harles. Cur autem ad Remp. non accesserint, causam vide in Senecæ libro : de Otio Sapientis.

4. *Ubi aliquid animum, insolitum arietari, percussit.* E libris Mss. prætulit Lipsius et Gron. Antea : *Ad quam quum.*

5. *Indignum.* Quod ferre ille minime debuerat.

6. *Placet.* Animo nempe. Quod mox sequitur, *intra parietes suos*, fingit humanam mentem esse velut quoddam fanum et sacrarium : huc homo confugit, rebus externis lassatus.

7. *Nemo ullum auferat diem ...... redditurus.* Nulli homini temporis spatium vel minimum impendam! quidquid mercedis ille mihi redditurus est, nihil reddit impensa vel tantula dignum.

8. *Nihil quod ad judicem spectet.* Id est, ait *Ruhkopf*, nihil quod litigationem ac rixam cum aliquo coram judice moveat, ut causam agere, ac-

blicæ privatæque curæ tranquillitas [1]. Sed ubi lectio fortior, erexit animum, et aculeos subdiderunt exempla nobilia, prosilire libet in forum, commodare alteri vocem, alteri operam [3], etsi nihil profuturam, tamen conaturam prodesse; alicujus [4] coercere in foro superbiam male [5] secundis rebus elati. In studiis [6], puto mehercule 9
melius esse res ipsas intueri, et harum causa loqui, cæterum verba rebus permittere, ut qua duxerint, hac inela-

cusando, aut se defendendo, cogatur. At ego potius crediderim alium sensum latitare, nempe : Nihil mens destinet, nihil dextra agat quod in cæterorum judicium devenire possit. Ea scilicet locutio a re forensi desumpta est, *ad judicem spectare;* sed Annæi nostri consuetudo perpetua est ab arte quadam desumptas voces ad alia detorquere, quod quidem non sine acumine et elegantia est. Atqui h. l. non sedet quidem humanum genus in tribunali, hujus, illius facta æstimaturum; sed tamen quasi judices de factis decernunt, et sententiam alii aliam ferunt. Tum id cæteris optime congruit. Namque post has voces : « Sibi ipse animus hæreat! se colat! nihil alieni agat! » quid quasi necessario sequitur, nisi: « Nil faciat de quo aliis liceat judicare? » Tertius quidam tamen sensus extricari præterea potest, nempe : Ne aliena perpendamus, æstimemus, judicemus, ne judicis officium capessamus. Quem sensum adspexit quidem, sed omnino commutavit Nostras *Lagrange*, vertens : « *Qu'elle ne s'occupe des autres que pour les juger.* » Quod in Seneca quomodo perviderit non assequor, nisi pro altero *nihil* somniarit legendum esse *nisi.*

1. *Ametur.... tranquillitas. Amare* hic pro *quærere* positum est.

2. *Lectio fortior.* Id est, sublimes sententias ad agendum excitantes suggerens.

3. *Alteri vocem, alteri operam.* Aliud nempe causidici et aliud patroni aut advocati officium est, quum hic agendarum rerum, vel non agendarum auctor sit, ille vero causam rei agat; hic prudentia incolumem aliquem præstet, ille vero eloquentia, qui ubi ad judices ventum est multum prosit; hic antequam ad judices decucurrerit.

4. *Alicujus.* Elegans illa dictio et acuta raro tamen locum habet in casib. obliq.

5. *Male.* Hoc est, immerito; et ad *elati* referri debet.

6. *In studiis.* Lipsius, defectum aut confusionem subesse statuens, asteriscum apposuit. Namque videbatur Annæus postquam rem satis illustrasset de more suo ad contrarium corollarii loco rediturus, ita ut hanc tandem clausulam fere imponeret : « Otium tamen appetiveram, animoque præceperam! » Sed oratio bene cohæret: modo, ait, oratio neglecta, modo culta placet. Namque h. l. dum describit animi sui vacillantis statum, ubi hinc negligendæ eloquentiæ cupidum sese dixit, hinc vero eloquentiæ amatorem cultoremque agit, nil deest ad antithesin. Cæterum, voc. *studiis* de eloquentia forensi intelligas.

borata sequatur oratio [1]. Quid opus est sæculis duratura componere [2]? Vis tu nunc [3] id agere, ne te posteri taceant? morti natus es; minus molestiarum habet funus tacitum [4]. Itaque occupandi temporis causa, in usum tuum, non in præconium., aliquid simplici stylo scribe; minore labore opus est studentibus in diem. Rursus, ubi se animus cogitationis magnitudine levavit, ambitiosus in verba est, altiusque ut spirare, ita eloqui gestit, et ad dignitatem rerum exit oratio [5]: oblitus tum legis [6] pressiorisque [7] judicii, sublimis feror, et ore jam non meo [8]. Ne

1. *Ut qua duxerint... oratio.* Nexus sententiarum hicce esse videtur: Interdum et ut patronus, et ut advocatus, prosilio in forum ideoque parum paratus, putans causam perspectam, provisam (Horat. Art. poet. 311. « Verbaque provisam rem non invita sequentur »), verba secutura esse sua sponte. Proinde mihi ipse dico : Quid opus, etc. Altera vero ex parte (nam id est *Rursus*), etc.

2. *Componere.* Elaboratum lente ægreque opus hoc vocabulo optime exprimitur, quasi lapidem lapidi adderet lente festinans, qui parietem construit.

3. *Nunc.* E margine Erasm. reduxi, Lipsio suasore. Tu nunc capere animi vis posteritatem, quum sis mortalis et brevis ævi. Barthii argutias, captantis emendationem, lubens mitto. Elzev. ed. *non* pro *nunc*.

4. *Minus molestiarum.......... tacitum.* Sicut et vita. Senec. Tragic. Thyest. Act. II, Chor. fin : « Nullis nota Quiritibus Ætas per tacitum fluat! Sic quum transierint mei Nullo cum strepitu dies, Plebeius moriar senex! »

5. *Oratio.* Mox vero et hac in re muto sententiam, quam sequi constitueram; stylum altiorem ac grandiorem quam pro mea natura ac indole captans, in orationibus forensibus : verba exquisita venando atque enthusiasmum exprimendo et excitando. *Ad dignitatem* in comparatione cum dignitate rerum oratio *exit* modum.

6. *Oblitus legis.* Illius scilicet quam mihi ipse ante oculos modo proposui. Non, ut ait *Ruhkopf*, legem oblitus ingenii mei, aut leges publicas judicii, aut loci ubi causa agitur: ut in Areopago, quo in judicio causam agentes non licebat eloquentiæ vi gratiam captare et affectus movere.

7. *Pressiorisque.* Angusti. Memet nempe intra limites quosdam coarctaveram; neque vela ingenio tota pandenda existimans, neque « Aera per vacuum ferri, nubesque sonoras » securum ratus.

8. *Ore jam non meo.* Namque aliquis poetarum menti incubat Deus qui eos cogat « Nil parvum aut humili modo, Nil mortale (Hor. lib. III, od. xxv, s. fin.) loqui. » Ovid. quoque, Fast. vi, 5 : « Est Deus in nobis : agitante calescimus illo : » Tum Nostras *Rousseau*, lib. III, Od. 1, stroph. 4:

Mais sitôt que, rempli de sa fureur divine,
Il reconnaît enfin du Dieu qui le domine
Les souveraines lois,

singula diutius persequar, in omnibus rebus hæc me sequitur bonæ mentis infirmitas : cui ne paullatim [1] defluam vereor, aut quod est sollicitius, ne semper casuro similis pendeam, et plus fortasse sit [2], quam quod ipse provideo : familiariter enim domestica adspicimus, et semper judicio
favor [3] officit. Puto, multos potuisse ad sapientiam per- 11
venire, nisi putassent se pervenisse, nisi quædam in se dissimulassent, quædam apertis oculis transiluissent. Non est enim, quod nos magis aliena judices adulatione perire, quam nostra. Quis sibi verum dicere ausus est? quis non inter laudantium [4] blandientiumque positus gre-
ges, plurimum tamen sibi ipse assentatus est? Rogo ita- 12
que, si quod habes remedium, quo hanc fluctuationem meam sistas, dignum putes me, qui tibi tranquillitatem debeam. Non esse periculosos motus animi, nec quidquam tumultuosi afferentes, scio; ut vera tibi similitudine id de quo queror exprimam, non tempestate vexor, sed nausea [5]. Detrahe ergo quidquid hoc est mali, et succurre in conspectu terrarum laboranti.

II. Quæro mehercule jamdudum, Serene, ipse taci-

Alors, tout pénétré de sa vertu suprême,
Ce n'est plus un mortel, c'est Apollon lui-même
Qui parle par ma voix.

Denique omnium princeps Plato, Ion. : Πάντες οἵ τε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι ,.... καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως ὥσπερ κορυβαντιῶντες, οὐκ, ἔμφρονες ὄντες, τὰ καλὰ μέλη ταῦτα ποιοῦσιν, ἀλλ' ἐπειδὰν ἐμβῶσιν εἰς τὴν ἁρμονίαν, καὶ εἰς τὸν ῥυθμόν.

1. *Defluam.* Contingam, ei subjectus sim.

2. *Plus fortasse sit.* Nonnullæ membranæ præstant : *plus fortasse in me sit :* Unde Barthius l. l. fecit : *ruinæ sit, quam quod i. provideo.* Equidem τὸ *in me* a glossatore quodam adjectum putem, ideoque nihil muto.

3. *Favor.* Amor sui nimius, φιλαυτία.

4. *Laudantium.* E codd. bona lectio et in marg. Erasm. notata. Erasmus in textu habet : *adulantium.*

5. *Nausea.* Vomitus frequentior; qualis in his est qui maris inscii navem primum conscendunt; a voce græca Ναῦς, navis.

II. Arg. Respondet Sereno Seneca. Suadet autem, ut sibi ipsi fidem habeat, constetque, et tranquillitatem animi (εὐθυμίαν Democriti) sibi acquirat. Deinde indicaturum se

tus, cui talem affectum animi similem putem : nec[1] ullius
propius admoverim exemplo, quam eorum qui ex longa
et gravi valetudine expliciti, motiunculis levibusque in-
terim offensis perstringuntur, et quum reliquias effuge-
rint, suspicionibus tamen inquietantur, medicisque jam
sani manum porrigunt[2], et omnem calorem corporis sui
calumniantur[3]. Horum, Serene, non parum sanum est
corpus, sed sanitati parum assuevit : sicut est quidam
tremor etiam tranquilli maris, aut lacus, quum ex tem-
2 pestate requievit. Opus est itaque non illis[4] durioribus,
quæ etiam transcurrimus, ut alicubi obstes tibi, alicubi
irascaris, alicubi instes gravius; sed illud[5], quod ulti-
mum venit, ut fidem tibi habeas, et recta ire via te cre-
das, nihil avocatus transversis multorum vestigiis pas-
sim discurrentium, quorumdam circa ipsam errantium
3 viam. Quod desideras autem, magnum et summum est, Deo-
que vicinum, non concuti[6]. Hanc stabilem animi sedem
Græci Εὐθυμίαν vocant, de qua Democriti[7] volumen egre-

promittit, quomodo ad eam perveniri possit, effectu et origine hujus antea expositis.

1. *Ullius*. Sic Erasm. et al. præfero quoque ob sequens *eorum*. Lipsius et Gron. prætulerunt : *ulli*.—*Nec ullius* etc. Comparat hos inquietos cum iis qui convaluerint ex morbo, sed infirmitates subinde sentiant, iis perstringantur, moveantur, eamque ob causam spem inter et metum nunquam non fluctuent.

2. *Manum porrigunt*. Ut nempe venas tentent et pulsum inspiciant.

3. *Calorem............ calumniantur*. Quum quemcunque corporis sui *calorem* febrim esse opinentur.

4. *Durioribus*. Durioribus nempe remediis quæ *transcurrit*, prætermittit. Ut medici ibi asperiora remedia respuunt, ita hic ea nobis transmittenda sunt.

5. *Illud*. Bene se habet. Est nominativ. quocum opus quoque conjungitur. Lipsius conj. *illo*.

6. *Non concuti*. Est Horatianum (Epp. I, 6, 1.) « Nil admirari, » et pertinet ad ἀπάθειαν Stoicorum.

7. *Democriti* Abderitæ. Cf. de Ira II, 10, 2. Cic. de Fin. Vit. 29. Quam laudat h. l. Lipsius descriptionem Democriti, ea ap. Diogen. Laert. IX, 45, affertur. Verba sunt : Εὐθυμίαν.... καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους. Cæterum hanc εὐθυμίαν Democriti attigit quoque *Meiners* (*Geschichte der Wissenschaften*, etc. lib. I, pag. 728, sq.), cujus tamen erudi-

gium est; ego Tranquillitatem voco; nec enim imitari,
et transferre verba ad illorum formam necesse est: res
ipsa, de qua agitur, aliquo signanda nomine est, quod
appellationis Græcæ vim debet habere, non faciem. Ergo
quærimus, quomodo animus semper æquali secundoque
cursu [1] eat [2], propitiusque sibi sit, et sua lætus adspiciat;
et hoc gaudium [3] non interrumpat, sed placido statu ma-
neat, nec attollens se unquam, nec deprimens. Id Tran-
quillitas erit. Quomodo ad hanc perveniri possit, in 4
universum quæramus: sumes tu ex publico remedio,
quantum voles. Totum interim vitium in medium pro-
trahendum est, ex quo cognoscet [4] quisque partem suam:
simul tu intelliges, quanto minus negotii habeas cum fa-
stidio tui, quam hi quos ad professionem speciosam al-
ligatos, et sub ingenti titulo laborantes [5], in sua simula-
tione pudor magis, quam voluntas tenet. Omnes in ea- 5
dem causa sunt, et hi qui levitate vexantur, ac tædio,
assiduaque mutatione propositi, quibus semper magis
placet quod reliquerunt; et illi, qui marcent et osci-
tantur. Adjice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis
somnus est, versant se, et hoc atque illo modo compo-

tionem alioquin præclaram et nostrum locum, nisi fallor, eximium in hac re, et de Ira, lib. III, cap. 6, 2, et infra cap. 12, 4, præteriisse miror.

1. *Secundoque cursu.* Stoicorum vox εὔροια, de prospero vitæ cursu usitata, de qua post alios Wesseling. ad Diod. Sic. p. 156, Valcken. ad Eurip. Phœniss. pag. 652, Lennep. ad Phalarid. Ep. XVI, p. 86, docte egerunt.

2. *Æquali secundoque cursu eat.* Recepi e Lipsii conjectura: εὔροια Stoicorum expressa est. Idem dixit de Const. Sap. cap. 8, 2, « Æquali et concordi cursu fluentia. » Vid. et fragm. de Otio Sapient. ad cap. 28.

3. *Gaudium.* In hoc discedit Noster a Democrito, qui ap. Diog. Laert. l. l. hanc tranquillitatem (εὐθυμίαν, ἀθαμβίαν) distinxerat a gaudio, τῇ ἡδονῇ.

4. *Cognoscet.* Ex edd. priscis et omnibus Mss. Gruteri reduxit Gronov. Antea: *agnoscet.*

5. *Ad professionem..... laborantes.* Ad eos refero, qui magnos honores gerebant. Cæterum priusquam quærat quomodo ad hanc tranquillitatem perveniatur, vitium, de quo questus est Serenus, describit, originemque ejus docet.

nunt, donec quietem lassitudine inveniant : statum vitæ
suæ formando subinde, in eo novissime manent in quo
illos non mutandi odium, sed senectus ad novandum pi-
gra deprehendit. Adjice et illos, qui non constantia in
vita parum leves [1] sunt, sed inertia. Vivunt, non quo-
modo volunt, sed quomodo cœperunt. Innumerabiles
deinceps proprietates sunt, sed unus effectus vitii, dis-
6 plicere sibi. Hoc oritur ab intemperie animi, et cupidi-
tatibus timidis, aut parum prosperis, ubi aut non au-
dent, quantum concupiscunt, aut non consequuntur, et
in spem toti prominent, semper instabiles mobilesque :
quod necesse est accidere pendentibus ad vota sua. Omni
vita pendent [2], et inhonesta se ac difficilia docent, co-
guntque : et ubi sine præmio labor est, torquet illos irritum
7 dedecus, nec dolent prava, sed frustra voluisse. Tunc illos
et pœnitentia cœpti tenet, et incipiendi timor, subrepit-
que illa jactatio animi, non invenientis exitum, quia nec
cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt; et
cunctatio vitæ parum se explicantis [3], et inter [4] destituta
vota torpentis animi situs. Quæ omnia graviora sunt [5], ubi
odio infelicitatis operosæ ad otium perfugerunt, et ad
secreta studia, quæ pati non potest animus ad civilia erec-
tus, agendique cupidus, et natura inquietus, parum sci-
licet in se solatiorum habens : ideoque detractis oblecta-

1. *Non constantia in vita parum leves.* Debetur hæc lectio Lipsio. Antea : *inconstantiæ vitio*, ap. Erasm. aliosque; *qui non constantia, in vitio*, Pincianus.

2. *Omni vita pendent.* Fluctuant.— *Coguntque.* Colligunt, captant.

3. *Et cunctatio...... se explicantis.* Id est, in ordinem se lente redigentis, ideoque parum firmum certumque cursum tenentis.

4. *Destituta.* A successu et fortuna, ait *Ruhkopf.* Non; sed ab eo ipso qui hæc nuncupavit, et hæc per se exsequi primum voluit, sed mox incœpta omisit, et in ignaviam suam relapsus est. *Situs*, quies inhonesta atque iners.

5. *Quæ omnia graviora sunt.* Confert Lipsius Nostri Ep. 2 : « Primum argumentum est compositæ mentis, posse consistere et secum morari; » addit et Flacci egregium locum, lib. II,

tionibus, quas ipsæ occupationes discurrentibus præbent, domum, solitudinem, parietes non fert, invitus adspicit se sibi relictus. Hinc illud est tædium, et displicentia sui, 8
et nusquam residentis animi volutatio, et otii sui tristis atque ægra patientia : utique ubi causas fateri pudet, tormenta introrsus egit verecundia [1], in angusto inclusæ cupiditates, sine exitu, se ipsæ strangulant. Inde mœror marcorque, et mille fluctus mentis incertæ, quam inchoata habent suspensam, deplorata tristem : inde ille affectus otium suum detestantium, querentiumque nihil ipsos habere quod agant, et alienis incrementis inimicissima invidia. Alit enim livorem infelix inertia : et omnes 9
destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere : et ex hac deinde aversatione alienorum processuum, et suorum desperatione, obirascens fortunæ animus, et de sæculo querens, et in angulos se retrahens, et pœnæ incubans suæ, dum tædet sui, pigetque. Natura enim humanus animus agilis est, et pronus ad motus : grata omnis illi excitandi se abstrahendique materia est, gratior pessimis quibusque ingeniis [2], quæ occupationibus libenter deteruntur [3]. Ut ulcera quædam nocituras manus [4] ap- 10

Sat. VII, vss. 111, sqq. Quem vid. inf.

1. *Tormenta introrsus egit verecundia.* Lipsius : *et tormen. fortasse*, ut rotundior exiret oratio.

2. *Gratior pessimis quibusque ingeniis.* A Mureto illa lectio est qui in Mss. codd. invenit *gratiorque pessim. quibusq. ingeniis.* Unde vir sagax bene conclusit vulgatam. Olim legebatur *gratior quibusdam pessimis ingeniis*, ineleganter.

3. *Occupationibus libenter deteruntur.* Quibus haud ingratum sese paullatim eundo redeundo comminuere. Nam id deteritur quod usu pæne continuo comminuis et quasi lævigas. Gallice diceretur *s'user.* Non abest ilic jam multoties laudatus *Lagrange* : « *Elle plaît encore plus aux méchans pour qui l'occupation est un* frottement *agréable.* »

4. *Nocituras manus.* Namque si ulceri crudo adhuc manum admoveas, id sane delebis, sed mox recrudescet et immodico magis tumore cutem invadet et vellicabit. Nam ea est ulceribus natura, ut certos dies permaneant neque ante abscedant quam ad maturitatem suam pervenerint. Eòdem sensu Nostér, mox : « Et fœdam corporum scabiem delectat, quidquid exasperat. »

petunt, et tactu gaudent, et fœdam corporum [1] scabiem delectat, quidquid exasperat; non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala [2] ulcera eruperunt, voluptati esse laborem vexationemque [3]. Sunt enim quædam, quæ corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectant; ut, versare se, et mutare nondum fessum la-
11 tus [4], et alio atque alio positu [5] ventilari. Qualis ille Ho-

1. *Scabiem*. Non semper, ut multi putant, scabies ille morbus est quem gallice nuncupamus *gale*, sed omnis tumor, omne ulcus quo sua pelliculæ subripitur lævitas, et pruritus suscitatur, ut *verrues*, *dartre*, *lèpre*. Unde mox de omnibus desideriis quæ aut pravitatem animi indicant, aut pravum exitum habitura aliquando sunt, eadem vox usurpata apud poetas est. V. g. Martialis, lib. V, Epig. LX, vs. ultim. « Nos hac a scabie tenemus ungues. » Et specialius, de impudicitia idem poeta, lib. VI, Epigr. XXXVII, vss. 3 et 4: « Et prurit tamen usque ad umbilicum: O quanta scabie miser laborat! » Tum lib. XI, Epigr. VII, vss. 5, 6: « Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva: Sed prohibet scabies ingeniumque vetus. » Cæterum eodem sensu et τὸ *ulcus* apud Bilbilicum ἐπιγραμματόγραφον occurrit, lib. XI, Epigr. LX, vss. 1, sqq: « Sit Phlogis an Chione Veneri magis apta, requiris? Pulchrior est Chione, sed Phlogis ulcus habet. Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam, Quodque senem Pylium non sinat esse senem. Ulcus habet, etc. » Quocirca advertere est quam apte ingenii mali cupidines prurigini et ulceribus mox pares dicturus sit.

2. *Mala*. Solemne de his morbis ἐπιθετόν. Horat. Art. Poetic. fin. « Ut mala quem scabies aut morbus regius urget. » Item mox τὸ *eruperunt;* quæ vox perpetuum, ut significetur ulcerosam subito cutem intumescere, apud auctores iatricæ reperitur.

3. *Vexationemque*. Corporisne, an animi? Utriusque, me judice, nec multum refert. Sed *vexare* eo loc. proprie est agitare, promovere, huc illuc versare. Ad id facit Sallustianum: « Trahunt pecuniam, vexant » (Bell. Catil. cap. 24). Gallice dicitur, quod latinæ voci maxime congruum est, *fatiguer la douleur*.

4. *Mutare nondum fessum latus*. Ad hunc locum Muretus: Quid si legas *motare*, non mutare, ut alludat ad Virgilianum istud: « Et fessum quoties motat latus. » Quod est ex Æn. lib. III, 581. Sane ea est totius φράσεως mira similitudo et inprimis rhythmicæ harmoniæ paritas ut ego facillime crediderim Maronis ἡμιστίχιον Annæo in mentem obvenisse quum id scriberet Tamen adverte τὸ *nondum*. Difficile Annæus, quæ vividi ingenii alacritas et ubertas est, a mutando et locupletando scriptore temperat; quam ob causam pro *fessum* arrisit illi *nondum fessum*. Sed parce addit, parce mutat; non parce tamen mutaret, si et *mutare* pro *motare* subjiceret. Vid. Virgil. nost. ed.

5. *Positu* Gruterus intulit. Antea *positum* ut apud Erasm. et Lipsium. Cæterum alia nec pauca his addere potuisset, ut, verb. g. post balneum

mericus Achilles[1] est, modo pronus, modo supinus, in varios habitus se ipse componens : quod proprium ægri est, nihil diu pati, et mutationibus ut remediis uti[2]. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, et litora pererrantur, et modo mari se, modo terra experitur semper præsentibus infesta levitas. Nunc Campaniam petamus[3]. Jam de-

strigilibus asperrimis deraderentur (Martial. lib. XIII, Epig. LI), ut vel lacertorum vel juguli musculos tensione assidua confirmarent (Mart. lib. XIV, Epigr. XLVIII : « Hæc rapit Antæi velox de pulvere draucus Grandia qui multo colla labore facit»), ut et trigonali pila per horas duo sæpe luderent, quod et virium multum absumebat et sudorem suscitabat. — *Ventilari* quod mox sequitur ægre cæteris convenit. Quamquam *ventilare* sit proprie *ventum movere, renovare*, et vere aer novus repente fiat, si loco te demoveris. Gallice dicitur *donner de l'air.*

1. *Qualis ille.... Achilles.* Alludit ad Il. Ω, verss. 10, sqq. Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής· τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς Δινεύεσκ' ἀλύων παρὰ θῖν' ἁλός. In Odyssea Υ, init. similis est locus famosissimus : Ἀτὰρ αὐτὸς ἐλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα. Ὡς δ' ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ, πολέος πυρὸς αἰθομένοιο, Ἐμπλείην κνίσσης τε καὶ αἵματος ἔνθα καὶ ἔνθα Αἰόλλει, μάλα δ' ὦκα λιλαίεται ὀπτηθῆναι· Ὡς ἄρ' ὅγ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἐλίσσετο, μερμηρίζων, κ. τ. λ. Famosissimum propterea dico quod hunc veterum acerrimus hostis *Perrault*, in Dialogis quibus titulus *Parallèles*, carpit et exagitat ; sed confutavit malam dicacitatem *Boileau.*

2. *Quod proprium ægri est..... remèdiis uti.* Nullus hic non recordatur optimi tragœdographi (*Racine, Phèd.* Act. I, scen. 1) suavissimos versus, quibus is animi status quem Noster describit, mire exprimitur :

Que ces vains ornemens, que ces voiles me pèsent !
Quelle importune main, en formant tous ces nœuds,
A pris soin sur mon front d'assembler mes cheveux ?
Tout m'afflige, et me nuit, et conspire à me nuire.

3. *Campaniam petamus.* Fertilissima Italiæ ora, ubi et ver quasi perpetuum, et sol aureus semper, et vini et frugum fœcundissima tellus, et piscibus conchyliisque celebratissimum mare ; ubi amœnissimas et pulcherrimas urbes condiderant Neapolin, Stabias, Puteolos, Capuam, Annibalis gaudium et luem, et « Litus beatæ Veneris aureum Baias, Baias superbæ blanda dona naturæ » (Mart. lib. XI, Epigramm. LXXXI) ; quo omnes e Roma delicatissimi et ditissimi viri confluebant, sive ut calidis aquis (nam calidæ aquæ Baiis erant) mergerentur, sive ut ædes sibi in amatissimo litore exstruerent. Namque eo furoris devenerunt, ut, quum continens terra ædificantibus deficeret, mare ipsum invaderent et in fluctibus domus sibi instaurarent. Quæ villarum exstruendarum insolentia a Lucullo primum aperta, mox plurium usu rapta, sæpissime ab Horatio vellicata est, lib. II, Od. XVIII : « Marisque Baiis obstrepentis urges Submovere litora, Parum locuples continente ripa ; » lib. III, Od. 1 : « Contracta pisces æquora sentiunt

licata fastidio sunt: inculta[1] videantur. Bruttios et Lu-
canos saltus[2] persequamur. Aliquid tamen inter deserta
amœni requiratur, in quo luxuriosi oculi longo locorum
12 horrentium squalore[3] releventur. Tarentum petatur, lau-
datusque portus, et hyberna cæli mitioris, et tecta vel
antiquæ satis opulenta turbæ[4]. Jam flectamus cursum ad

Jactis in altum molibus; » ibid. Od. XXIV: « Cæmentis licet occupes Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum. » Vid. et cf. Plin. Nat. Hist. lib. III, cap. 9, pag. 226, Bip. Tom. I, qui laudat Campaniam felicem et delicatam. Campania hodie regni hujus portio est, cui utriusque Siciliæ inditum nomen, et italic. vocatur *Terra di Lavoro*.

1. *Inculta*. Si comparaveris cum Campania.

2. *Bruttios et Lucanos saltus*. Inprimis saltus Apennini, e quibus silva Sila (Plin. III, 11. p. 230. et Cic. Brut. cap. 22. silva Sila vocatur: obiter moneo, ne dubites, an Sila etiam silva appellata sit) notior est. Virg. Georg. lib. III, 219. ibique *Heyne* et *Voss*. Pascuis autem totæ fere hæ regiones abundabant: conf. post Geographos Bœttiger. ad Horatii Epod. I, 27, p. 285, sq. Bruttium et Lucania duæ sunt Italicæ provinciæ; quarum hæc magis ad septentrionem tendit, illa vero magis ad meridiem et Siciliam, cui quin adhæreat nihil obstat, nisi Siculum fretum (*Phare de Messine*), quod negant olim exstitisse. In utriusque Siciliæ imperio sitæ illæ sunt, et vocantur hisce temporibus *Calabre Citérieure* (ad septemtr.) et *Calabre Ultérieure* (ad meridiem rursus).

3. *Squalore*. Ad nemoralium locorum frequentiam ea vox pertinet, sive ipsi montes, ipsæ silvæ squalere dicantur, sive incolæ regionis ita designentur. Nam regio illa, quippe quæ silvosa eademque montana est, sordidos et tantum pauciores alere habitatores potest.

4. *Tarentum petatur...... opulenta turbæ*. Tarentus, urbs nobilissima Messapiæ in Japygia, ad mare, quæ condita, ut memoriæ traditum est, a Tarante, Neptunis filio, aucta mox (anno ante Chr. nat. 707) a Partheniis Spartanis quibus Phalantus dux, in hoc potestatis et opulentiæ fastigium brevi crevit, ut Apuliæ et Lucaniæ toti præesset, nec minus quam centum millia peditum equitumque tria millia possideret. Bimaris civitas fuit, quippe quæ in angustissima peninsula sita admotaque hinc Adriatico, inde Ionio mari. Soli ubertate non minus commendata, et viarum ædiumque publicarum magnificentia, et artium liberalium studio; sed et mollitie habitantium dudum infamata: « Non jam mihi regia Roma, Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum. » Hor. lib. II, Epist. ad Mæcen. « Atque coronatum et petulans madidumque Tarentum. » Juvenal. Sat. III. De Tarentinæ civitatis situ et historia, si quis plura cupiverit, adeat jam Strabon. Geograph. lib. VI; Plin. quoque, H. N. lib. VIII, cap. 10, lib. XV, cap. 10, lib. XXXIV, cap. 7; Pomp. Mela, lib. II, cap. 4; Ælian. Hist. D. lib. V, cap. 20. — *Hyberna cæli mitioris*. *Hyberna* vocat locum quem hiemis tempore habitare dulcissimum est, μεταφορᾷ petita a re castrensi, quasi

Urbem [1]: nimis diu a plausu et fragore aures [2] vacaverunt: juvat jam et humano sanguine frui [3]. Aliud ex alio iter

militaret omnis homo, dum voluptates sectatur et vitam agit. *Cœli mitioris*, pro *cœlo mitiore*. Audacius Seneca et frequentius quam cæteri non poetæ gignend. cas. pro ablativ. uti gaudet. — *Antiquæ satis opulenta turbæ*. Hoc est, aiunt interpretes, incolis priscis digna; quasi magnificentia et luxuria hi posteros suos præstitissent. Quod non absurdum est. Namque olim magnæ Græciæ civitates, quum Roma pauperie tantum et fortitudine Romanorum censeretur, mollitia atque opibus celeberrimæ fuerunt; sed ubi Sybariticæ artes Urbem occupavere immemorem sui, et Italiæ ferocissimas gentes, Marsos, Umbros, Hernicos, Æquos, Volscos mollissimis Græcis pares effecere, jam Tarentinorum luxuriæ fama in dies minor fuit; potuitque Annæus antiquorum voluptariam vitam credere deliciis plus abundavisse quam coævorum. Cf. Lipsii not. ad hæc.

1. *Flectamus cursum ad Urbem*. Eodem modo Lucretius, lib. III, verss. 1066, seqq. « Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille, Esse domi quem pertæsum est, subitoque revertit; Quippe foris nihilô melius qui sentiat esse. Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter, Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans; Oscitat extemplo, tetigit quum limina villæ, Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit, Aut etiam properans Urbem petit atque revisit. » Non abest Horat. lib. I, Epist. I, 83: «Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis, Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem Festinantis heri; cui si vitiosa libido Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum Tolletis, fabri. » Idem, lib. II, Satir. VII, vs. 28 : « Romæ rus optas, absentem rusticus Urbem Tollis ad astra levis. » Ad hunc locum et intpp. ad Florum, lib. I, cap. 18, init.

2. *A plausu et fragore aures vacaverunt*. Ad theatra respicit; quamquam nil satis certum τὸ *fragore* indicet; nam urbs magnitudine immensa, multitudine innumerabili, fragore perpetuum et strepitu personat. Sed τὸ *plausu* omnem dubitationem amovet; nam in Circensibus ludis et Amphitheatralibus tantum hi dabantur et cæteris spectaculis. Ergo et de theatrali fragore agitur, quum ambæ voces sibi arcte adhæreant. Ita Martial. lib. VI, Epigramm. XXXIV, vs. 5 et 6 : « Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro Quum populus subiti Cæsaris ora videt; » quo in loco manus et voces plausui et clamori respondent.

3. *Humano sanguine*. Damnatorum et tum secum pugnantium, tum bestiis objectorum, tum diversa supplicia quasi ludicram rem subeuntium; nam alius Mutii personam agebat, manum foco admoventis, alius Orphei quem Mænades arreptum discerpebant, alius Icari, qui a pegmate excelsissimo evolaret mox casurus in feras et vorandus; quidam cruci ita suffigebantur, ut diu spirarent semianimes, ut vulnerum dolorem vividissime persentirent, ut viverent « laceri membris stillantibus artus, Inque omni nusquam corpore corpus » (Martial. lib. Spectac. Epigramm. VII) foret. Unde amphitheatra Arnob. Adv. G. lib. II, vocat macella : « Idcirco, inquit, animas misit (Deus) ut, quæ dudum fuerant mites et veritatis affectibus nesciæ

suscipitur, et spectacula spectaculis mutantur; ut ait Lucretius :

> Hoc se quisque modo semper fugit [1].

13 Sed quid prodest, si non effugit [2]? sequitur se ipse, et urget gravissimus comes [3]. Itaque scire debemus, non locorum vitium esse quo laboramus, sed nostrum [4]. Infirmi sumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec nostræ [5], nec ullius rei diutius. Hoc quosdam egit ad mortem, quod proposita sæpe mutando, in eadem revolvebantur, et non reliquerant novitati locum.

commoveri macella sibi et amphitheatra constituerent, loca sanguinis et publicæ impietatis? » Eadem veteres glossæ *corpodicinas* et μακελλίτητας dixere.

1. *Fugit.* Versus exstat ap. Lucret. lib. III, vs. 1081, et hos sequitur quos modo p. 301. not. 1, inscripsimus; et qui dehinc leguntur digni quoque qui legantur et conferantur. *Semper* in versu a Seneca additum est: non est in Lucretio, et versus respuit; nam tres pedes post *fugit* ille habet. Horat. Senec. hic antecessor, et Lucretii imitator, lib. II, Sat. VII, vs. 111. « Adde, quod idem Non horam tecum esse potes, non otia recte Ponere, teque ipsum vitas fugitivus ut erro. » Ita olim Aristot. Ethic. ad Nicomach. lib. IX : Ζητοῦσί τε οἱ μοχθηροὶ μεθ' ὧν συνημερεύσουσιν· ἑαυτοὺς δὲ φεύγουσιν. Ἀναμιμνήσκονται γὰρ πολλῶν καὶ δυσχερῶν· καὶ τοιαῦθ' ἕτερα ἐλπίζουσι, καθ' ἑαυτοὺς ὄντες· μεθ' ἑτέρων ὄντες ἐπιλανθάνονται, κ. τ. λ.

2. *Sed quid prodest, si non effugit?* Horat. lib. II, Od. XVI : « Quid terras alio calentes Sole mutamus? patriæ quis exsul Se quoque fugit? » Græce aliquis : Τίς πάτριδος φυγὰς ὢν, καὶ ἑαυτὸν ἔλαθετο φεύγειν;

3. *Sequitur gravissimus comes.* Quis non recordabitur præclarum Horatii (Od. III, 1, 37, sq.) locum : « Timor et minæ Scandunt eodem quo dominus........ » et : « Post equitem sedet atra Cura ! » (Cf. ibi Bœttigeri doctam notam). Idem, lib. II, Od. XVI : « *Scandit æratas vitiosa naves Cura, nec turmas equitum relinquit,* Ocyor cervis et agente nimbos Ocyor Euro. » Sic ea imitatur *Boileau*, Epist. V, 44 : « Le chagrin monte en croupe, et galope avec lui. »

4. *Non locorum vitium.... sed nostrum.* Haud absimilis Sallustii locus bell. Jugurth. cap. 1, med. p. : « Ubi per socordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur; suam quippe culpam auctores ad negotia transferunt. »

5. *Nec nostræ.* Omnes, quos quidem novi, edd. libri sic habent, nec variant codd. Mss. Miror tamen non scriptum ab Annæo *nostri*. Quamquam sane haud difficile intellectu est, quid sibi velit τὸ *nostræ*, θηλυτέρῳ γένει et aufer. cas. Sed aliqua asperitas et inelegantia est styli in hac antithesi *nostræ* et *ullius*; nec in oppositione exhibetur satis concinnitatis.

Fastidio illis esse cœpit vita, et ipse mundus : et subit illud rabidorum deliciarum [1] : Quousque eadem [2] ?

III. Adversus hoc tædium quo auxilio putem utendum, 1
quæris. « Optimum erat [3], ut ait Athenodorus [4], actione

1. *Et subit illud rabidorum deliciarum*. Antea : *rabidarum delic.* nullo sensu. Proinde conj. Lipsius : *subiit......... tabidarum*. Una vocula mutata bonus sensus prodit : *rabidorum* i. e. furore voluptatis actorum.

2. *Quousque eadem?* Int. habebimus, aut simile quid. Vox vulgi, quam repetit, Epist. xxiv, fin. Epist. lxxxix, fin. Unus e nostris poetis in commendato opere (*la Panhypocrisiade*, *Chant XVI*e), sic imperatorem et regem Hispaniarum Carolum V fingit loqui :

Toujours des bois, des champs, des vallons, des ombrages !
Quel monotone aspect, Tristesse, m'offres-tu ?

III. Arg. Adversus hoc tædium, docet, Athenodori Stoici prævia sententia, optimum esse remedium rerum actionem et Reipub. tractationem. Ille tamen negabat sapientibus viris capessenda imperia, aut occupandos magistratus; in hac enim hominum multitudine ad pecuniam et honores ruentium nimis esse periculi moribus bonis, timendumque vehementer ne vitiis haud invium pectus in prava sensim deflectatur : secedendum igitur in solitudinem, non quidem otiosam, sed in qua scientiis incumbamus, et juventutis in tanta præceptorum inopia animos bonis disciplinis instruamus. Sed Annæus, nimis sedatam vitam rejiciens, jubet non disciplinis tantum et scientiis incumbere, sed ad altiora et negotiosiora accedere, neque rerum publicarum discrimina reformidare; cavendum ne non tam vitium nobis displiceat quam humilis in republica adjuvanda conditio; eo pulchriorem virtutem haberi, quo difficiliorem viam ingreditur; nunquam non utilem eam esse, etiamsi nil agat, nil loquatur, quippe quæ et silentio suo multa innuit, et quiescens bene quiescit; nihil pejus atque indignius viro quam obruere se et suam vitam, et ævum silentio transigere. Exemplum a Socrate qui quum Athenis οἱ τριάκοντα imperarent sævissime, liberum se præstitit. « Non illo pro caris amicis Aut patria timidus perire.

3. *Optimum erat.* Id est *esset*. Ἐναλλαγή temporum, cum his quæ proxima sequuntur. Namque dici debuisset : « Optimum *est*, ut *aiebat* Athenodorus; » pro quo : « Optimum *erat*, ut *ait* Athenodorus. »

4. *Athenodorus*. Quum plures, iique celebres, Athenodori fuerint (conf. Fabric. Bibl. Græc. Vol. III, p. 542. sqq.), hoc loco tamen Solensem, Zenonis discipulum, dici putavit Lipsius in Manuduct. ad philos. Stoic. I, 12. p. 40. nulla opinionis ratione adjuncta. Verisimilius referam ad Athenodorum Cordylionem, qui et Tarsensis audit. Is majorem haud dubie auctoritatem nactus est in antiquitate, quippe qui quum regum et principum plurium amicitiam aut contubernia refugisset, incensus studio literarum et bibliothecæ, cui Pergami præerat, a M. tandem Catone Uticensi sibi persuaderi passus est senior, ut eum Romam comitaretur (Plutarch. vit. M. Caton. min. Vol. IV. p. 377. Reisk.); ubi clarorum virorum amicitiam, inprimis Augusti, apud quem gratia plurimum valuit, adeptus est. Hac in urbe composuisse

» rerum et Reipublicæ tractatione, et officiis civilibus se
» detinere[1]. Nam ut quidam sole, et exercitatione, et
» cura corporis, diem educunt[2], athletisque utilissimum
» est, lacertos suos, roburque cui se uni dicaverunt[3], ma-
» jore temporis parte nutrire : ita nobis animum ad re-
» rum civilium certamen parantibus, in opere esse, non
» longe pulcherrimum est? Nam quum utilem se efficere
» civibus mortalibusque propositum habeat, simul et exer-
» cetur et proficit, qui in mediis se officiis posuit, com-
2 » munia privataque pro facultate administrans ..... Sed
» quia in hac, » inquit[4], « tam insana hominum ambi-
» tione, tot calumniatoribus in deterius recta torquenti-
» bus[5], parum tuta simplicitas est, et plus futurum sem-

videtur librum satis celebrem, nunc deperditum: περὶ σπουδῆς καὶ παιδείας (de studio et vitæ ratione). Inde etiam quæ Noster h. l. et Epist. X aliasque affert, deprompta videri possunt: saltem hominem Romæ commoratum sequentia magis arguunt, quam græcum; conf. et infra cap. 6, 1. Cæterum quod h. l. Athenodorus pronuntiat, Stoicorum fuit decretum. conf. Diog. Laert. VII, 121. ib. Menag.

1. *Se detinere*. Id. est occupari.

2. *Educunt*. Antiqua lectio edd. antiquarum et multorum codd. Itaque reduxit Gronov. Antea: *ducunt*. Cæterum ducere et educere diem promiscuo sensu dicitur, absumere, consumere diem.

3. *Cui se uni dicaverunt*. In qua augenda et servanda toti sunt. *Dicare se* arti cuidam aut negotio insolitæ Latinitatis est; sed e linguis recentibus præsertimque e vernacula nostra facillimum intellectu est.

4. *Inquit*. Id est, pergit Athenod. alias in libro memorato. Proinde puncta plura ante *Sed* apponi jussi. Cæterum patet hic deflectere Athenodori consilium ad res diversas, et ut prius aliquem volebat in opere et virium exercitatione esse, sic a rerum publicarum tractatione abstinendum et intra parietes exercendas vires nunc ait. Unde duas in oratione partes adspicere est, quarum prior posteriori contraria esse videtur, ita ut priore Annæus utatur ut posteriorem confutet et rejiciat.

5. *Tam insana hominum ambitione.... torquentibus*. Videntur hæc ante Actiacam pugnam scripta: sive quum Cn. Pompeii ficta negligentia, qui Dictatorem esse se persuasum Romanis fieri cupiebat, Clodiani furores turbarent rempublicam, et optimatum et plebis quotidiana dissidia in rixas et pugnas relaberentur; sive quum Julii Cæsaris arma libertatem oppressere, et vir alti ingenii obstare non potuit quominus per tantum bellum multa permiscerentur, et boni cives in exsilium fugerent, et pessimi in Senatorum numerum adscriberentur; sive tandem post Cæsaris exi-

» per est quod obstet, quam quod succedat, a foro qui-
» dem et publico recedendum est : sed habet, ubi se etiam
» in privato lare explicet magnus animus ; nec, ut leonum
» animaliumque impetus caveis coercetur ; sic hominum,
» quorum maxime in seducto actiones [1] sunt. Ita ta- 3
» men delituerit, ut, ubicumque otium suum absconderit,
» prodesse velit et singulis et universis, ingenio, voce,
» consilio. Nec enim is solus Reipublicæ [2] prodest, qui
» candidatos extrahit [3], et tuetur reos, et de pace bello-

tum, inter Perusini belli initia et Alexandrinorum cladem ann. U. C. 723, ant. Chr. Nat. 31. Cæterum et hæc quæ Romanarum rerum notitiam in auctore suo fuisse, adstitisseque hunc temporibus turbulentis Reipublicæ, optime comprobant, e. c. leonum, etc. caveis coercitio et pugna: et quæ deinceps attinguntur, candidatorum extractio, querela quod boni præceptores desint, etc. faciunt, ut Athenodorum hæc dixisse putemus.

1. *Quorum maxime in seducto actiones.* Alii ; *in seductu.*

2. *Nec enim is solus Reipublicæ, etc.* Quum hæc tempore Reip. liberæ scripta sint, explico de dignitate præstantiore, e. c. senatoris aliorumque honoribus et gratia florentium, quorum consuetudo esse solebat, ut candidatorum rogationes suo favore adjuvarent.

3. *Candidatos extrahit.* Commonefacit hic interpres supra commendatus *Lagrange*, multum differentiæ inter imperatorum tempora et reipublicæ sæculum exstitisse, in his quæ ad magistratuum creationem pertinerent ; et lectores cohortatur, ut Plinii Secundi junioris lib. III, Ep. XX, et Nostri Ep. VII adeant. At hæc Athenodorus reipublicæ temporibus scripsit, non imperante Octavio. Qua de causa alium sensum eruit *Ruhkopf*, illustratque sic : Mos optimatibus tunc erat, ut candidatos gratia sua in petitione juvarent, *extraherent*, id est, suffragarentur, commendando et producendo. Sed ego neque *Lagrange* assentior, neque *Ruhkopf*, et utrumque sensum hoc modo conjungendum puto. Athenodorus nempe Republica adhuc vigente scripsit ; sed illane exacte scripsit quæ Annæus narrat ? Non, me quidem judice, fecit ; namque pauci minus fidi quam Noster in allegandis aut historiis aut auctorum locis ; sive id e negligentia sit, sive consilio. Modo quum e Lucretii lib. III, versum attulit : « Hoc se quisque modo fugit, » temperare sibi ille non potuit quin interpolato τῷ *semper*, mensuram corrumperet. Quanto igitur facilius mutaturum eum credideris, ubi soluta oratio est, ubi ex alia lingua (nam Græce Athenodorus scripserat) in Latinam transferendus sermo fuit ! Ergo Noster illa vertens quæ ante Cæsarum imperium dicta erant, et Reipublicæ mores spirabant, eodem modo vertit ac si coævus Neronis Athenodorus fuisset, et *Candidatos extrahi* narravit, quamvis tunc ipsi apud plebem gratiam captarent, et in campum Martium cum clientibus descenderent.

» que censet [1] : sed qui juventutem exhortatur, qui in
» tanta bonorum præceptorum inopia, virtute instruit
» animos, qui ad pecuniam luxuriamque cursu ruentes
» prensat ac retrahit, et si nihil aliud [2], certe moratur,
4 » in privato publicum negotium agit [3]. An ille plus
» præstat, qui inter peregrinos et cives, aut urbanus
» prætor [4] adeuntibus assessoris [5] verba pronuntiat,
» quam qui docet [6] quid sit justitia, quid pietas, quid pa-
» tientia, quid fortitudo, quid mortis contemptus, quid
» Deorum intellectus, quam gratuitum bonum sit bona
» conscientia? Ergo si tempus in studia conferas, quod
» subduxeris officiis, non deserueris [7], nec munus de-

1. *De pace belloque censet.* Tamquam senatores, quibus belli et pacis et fœderum ratio referebatur.

2. *Nihil aliud.* Sc. proficit, agit.

3. *Qui juventutem exhortatur...... negotium agit.* Qui privatus otium suum talibus rebus impenderet, adeo non otiari crederetur, ut contra omnium consensione occupatissimus vir in civitate et utilissimus clamaretur. Sed hoc quam pauci philosophi exercebunt! Socratem solum eum fuisse reor, qui hoc sacerdotii genus assumeret, et juventutis callidissimus moderator et probissimus, ingenii simul atque indolis mala non solum reprehenderet, ut plurimi, sed emendaret. Philosophos Romani adspernabantur, quibus ars erat et occupatio unica philosophari; hic enim labor otio nimium similis: sed qui morum emendator, non abstrusarum rerum inanis indagator, sic retraxisset a vitiis juventutis impetum, et luxuriæ et opum cupidinem sustulisset, privatus censor, hic in agentium numerum relatus esset, et auctoritate etiam apud plebem togatam plurimum valuisset.

4. *Inter...... prætor.* Primum prætorem urbanum, qui Romæ inter cives jus diceret ann. U. C. 398; peregrinum vero, qui multitudine peregrinorum influente in urbem jus diceret inter cives et peregrinos, creatum esse anno U. C. 510, est res nota. Plura dabit *Guasto*, *Dissertat. della Academia di Cortona*, T. V. Sub Cæsaribus tamen prætoris peregrini muneribus functus est præfectus Urbi a Principe creatus.

5. *Assessoris.* Cujus, ut juris periti, officium erat verba dictandi, quibus formulam juris (*droit* dicitur apud nos), ex qua de causa proposita et judices et arbitri a prætore dati decernerent, concepisset.

6. *Qui docet.* Lipsius: absunt hæc duo verba omnibus libris, tamen apta et tenenda. Retinui: sunt enim apud Erasm. Mox *quam gratuitum bonum* e Pinciani et quibusdam Gruteri codd. bene recepit Lipsius. Antea: *quantum bonum.* Hoc bonum ultro et voluntate sola paratur.

7. *Non deserueris.* Sc. locum datum a Deo, vel Rempublicam. Sed Lipsii codex intulerat explicative *te*.

» trectaveris. Neque enim ille solus militat, qui in acie 5
» stat, et cornu dextrum lævumque defendit ; sed et qui
» portas tuetur, et statione minus periculosa, non otiosa
» tamen fungitur, vigiliasque servat, et [1] armamentario
» præest : quæ ministeria quamvis incruenta sint, in nu-
» merum stipendiorum veniunt[2]. Si te ad studia revoca-
» veris, omne vitæ fastidium effugeris : nec noctem fieri
» optabis tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis super-
» vacuus : multos in amicitiam attrahes, affluetque ad te
» optimus quisque. Nunquam enim, quamvis obscura, vir- 6
» tus latet, sed mittit sui signa[3] : quisquis dignus fuerit,
» vestigiis illam colliget. Nam si omnem conversationem
» tollimus, et generi humano renuntiamus, vivimusque
» in nos tantum conversi ; sequetur hanc solitudinem,
» omni studio carentem, inopia rerum agendarum. In-
» cipiemus ædificia alia ponere, alia subvertere, et
» mare submovere, et aquas contra difficultates locorum
» ducere[4], et male dispensare tempus, quod nobis na-
» tura consumendum dedit. Alii parce illo utimur, alii 7
» prodige : alii sic impendimus, ut possimus rationem
» reddere ; alii, ut nullas habeamus reliquias. Quare ni-
» hil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum

1. *Armamentario*. Armis omnis generis conservandis destinato.

2. *In numerum stipendiorum veniunt*. H. e. numerantur ut in militando occupati. Gallic. dicitur *années de service*.

3. *Mittit sui signa*. Εἶδος : virtuti personam tribuit, fingitque eam inter homines incedere, sed abjectis insignibus ; ita ut non jam ex veste innotescere possit, sed e vultu, aut vestigiis : at hoc nullus nisi cui familiaris atque dudum culta illa sit. Quod proxime exprimitur.

4. *Ædificia alia ponere, alia...... ducere*. Hæc ad luxum in villis, turribus aliisque ædificiis exstruendis, mutandisve, in piscinis fodiendis etc. conspicuum pertinent, qui vel a Luculli (cujus luxuria et hac in re constat e Plutarch. Vit. Lucull. c. 39. p. 389. sq. Leopold.) temporibus effloruit ; ab Horatio sæpissime reprehenditur, e. c. Od. III, 1, 33. sq. Sed hæc ob id præsertim notanda, quod mihi vel inde perspicuum fiat non sequi fideliter Annæum Græci auctoris vestigia. Nam

» aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, » præter ætatem. » Mihi, carissime Serene, nimis videtur submisisse temporibus se Athenodorus, nimis cito refugisse. Nec ego negaverim, aliquando cedendum; sed sensim relato gradu, et salvis signis, salva militari dignitate. Sanctiores tutioresque sunt hostibus suis, qui
8 in fidem cum armis veniunt[1]. Hoc puto virtuti faciendum, studiosoque virtutis: si prævalebit fortuna, et præcidet agendi facultatem, non statim aversus inermisque fugiat, latebras quærens, quasi ullus locus sit, in quo non possit fortuna persequi: sed parcius se inserat officiis[2], et cum dilectu inveniat aliquid, in quo utilis civitati sit. Militare non licet? honores spectet: privato vivendum est? sit orator: silentium indictum est? tacita advocatione cives juvet: periculosum etiam ingressu forum est? in domibus, in spectaculis, in conviviis, bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem convivam agat. Officia si civis
9 amiserit, hominis exerceat. Ideo magno animo nos[3] non unius urbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamque nobis mundum professi

in hac luxuriantium Romanorum insectatione et enumeratione, quis non Senecæ ingenium statim deprehendit? Ab Athenodoro igitur res ipsas et sermonis tenorem mutuatus est; sed ipse hæc ampliavit et staminibus primis sua intertexta ita voluit, ut jam Annæana declamatio sit. Vid. et cf. pag. 305, not. 3, ad τὸ *candidatos extrahit.*

1. *Qui in fidem cum armis veniunt.* H. e. qui non ante arma deserunt quam in hostium manus et castra sese tradant; qui oppugnatam urbem si non victores, non inermes tamen linquunt; qui non dedititii, sed *in fidem*, ut aiunt, recipiuntur. Gallic. *sortir avec les honneurs de la guerre.* Cæterum hæc humanæ vitæ cum militantium vita comparatio omnimodis, sive verbis, sive imaginibus, et perpetuo expressa apud philosophiæ veteris magistros occurrit.

2. *Officiis.* H. e. muniis publicis. Haud rara eo sensu vox et concinna. *Inserat* vero exquisitæ elegentiæ est. Nam ubi rarius ad publicas res accedis, ubi lentus et minore impetu, jam non te honoribus ingeris, injicis, obtrudis, sed inseris. Simili acumine Cornelii vox, in Dial. de Orat. cap. X: « inserere nomen suum famæ. »

3. *Nos.* Ad Stoicos spectat, ut sæpe

sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare. Præclusum tibi tribunal est[1], et Rostris[2] prohiberis, aut comitiis[3]? respice post te, quantum latissimarum regionum pateat, quantum populorum : nunquam tibi ita magna pars obstruetur[3], ut non major relinquatur. Sed vide ne totum istud vitium tuum sit[4]; non vis enim nisi con-

jam vidimus. Notum vero, vel ex iis quæ passim in notulis nostris sparsimus, placuisse præcipue Stoicis hanc doctrinam qua mundanus, et ut nunc mutuati nomen e Græcis dicimus, κοσμοπολίτης sapiens efficitur. Namque, aiebat Zeno, homines nos prius sumus quam cives : civis autem ad locum unum, ad civitatem pertinet (quæ, quantacumque sit, quota rerum humanarum portio est!), homo vero ad humanitatem. Oderant, neque immerito, optimarum disciplinarum hi magistri privatam utilitatem. Atqui privata commoda multi generis sunt; et ut patriæ bonum suæ ipsius utilitati aliquis debet anteferre, ita et omnium hominum commoda anteponet, si sapiet, patriæ bono.

1. *Præclusum... est.* Hic ea innuere quæ sibi ipsi acciderant videtur Nost. quippe quem a rebus publicis, mox et ipso foro prohibuerat C. Calig. quum illius virtuti et eloquentiæ invideret.

2. *Rostris.* Rostra navium, si proprio sensu rem sumpseris, armamenta sunt quibus mare finditur. Gall. dicimus *bec* vel *éperons*. Sed quum Antiatibus bello victis ann. ant. Chr. nat. 338 multa e navibus captis Romani detulissent, ex aplustribus et rostris moles trophæi instar ante curiam Hostiliam erecta, cui impositum suggestum, aut sedile est, unde publici magistratus concionabantur.

3. *Aut comitiis.* Quidnam h. l. de comitiis injecta mentio est? Mira res sane, neque ex solita Annæi nostri concinnitate. Nam videtur voluisse hoc dicere, nec publica alicui, nec forensi eloquentia licitum clarescere; et quidem pro forensi eloquentia *tribunal* dixit, pro publica *rostris*: sed *comitiis* qua de causa? namque hoc modo honorum petitio et candidatorum nisus indicantur clarissime. Exstincta vero Republica, non jam publice honores mandabantur; neque in comitiis populi suffragia comparare, sed in palatiis principis gratiam aucupari necesse erat.

4. *Obstruetur.* Passive, cum subject. θηλυκ. γένους; neque improbandum quamvis raro occurrit, et mirum forsan alicui principio videbitur. Tull. pro Syl. cap. 79 : « Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. » Et de Sen. cap. 75 : « Qui iter Pœnis et corporibus suis obstruere voluerunt. » Quamvis elegantior dand. cas. Idem, de Clar. 66 : « Sic Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorum quasi exaggerata altius oratio. »

5. *Sed vide.... tuum sit, etc.* Tendit nunc in alia, et ait : sed vereor, ut facultate una utilem te reddendi Reip. contentus sis, sed vana ambitione ducaris. Simulas tibi publicarum rerum tractationem propterea displicere quod in his ambitio et turbida consilia et auro venalis eloquentia maxime polleant, sed displicent quia ad amplissima evehi jam cupis, neque aliud somnias quam consulatus, sacerdotia, dictaturas.

sul, aut prytanes [1], aut ceryx [2], aut sufes [3] administrare Rempublicam. Quid, si militare nolis, nisi imperator, aut tribunus? etiamsi alii primam frontem tenebunt, te sors

1. *Prytanes*. (Græce; Πρυτάνης): summi magistratus nomen in nonnullis antiquitatis civitatibus. Ap. Athenienses v. g. Prytanes quinquaginta concionibus plebeiorum cum προέδροις simul et Ἐπιστάταις præerant; præsides quoque Senatus (τῆς Βουλῆς) censebantur. Conf. Corsini F. Attic. III, 4 et 6. Et apud Rhodios summus magistratus Prytanes vocabatur. Cf. Liv. XLII, 45; Jo. Meursii Rhodus I, 19. Sed neque de Rhodiis hic esse sermonem, neque de Atheniensibus ego confido: de Corinthiacis Prytanibus certe Noster intellexit, qui annui magistratus, consulibus forsan potentiores, Senatum et plebem de arbitrio suo convocabant, exercitui præerant, judiciariæ rei præpositi erant. Eam olim dignitatem Bacchiadæ Corinthi creavere, postquam regem solio excussissent ann. ant. Chr. nat. 777, et genti suæ propriam esse voluere; sed sustulit Cypselus Labdæ filius, qui, Bacchiadum gente pulsa aut deleta, tyrannidem instauravit ann. 658 ant. Chr. nat. Sed post illius mortem Periander solus imperium detinuit, et regiæ potestatis sublato vestigio, Prytanibus sua reddita auctoritas est (584). Potest tamen et hos Πρυτάνεις habuisse Noster in mente qui, postquam pulsi Athenis οἱ τριάκοντα, rerum summæ præpositi sunt, quadringenti primum numero, mox quingenti et sexcenti. Sed minus probanda hæc hypothesis est. Cæterum adeund. de hoc Harpocration, Lexic. ad. voc. Πρυτάνεις, et Jul. Poll. Onomast. lib. VIII, cap. 9, segment. 94, sqq. ed. Amstelod. 1706.

2. *Ceryx*. Græca vox est, κῆρυξ; et idem significat quod apud Romanos præco. Et revera præcones sacri erant ad Eleusinia, et originem suam ducebant a Ceryce, Mercurii filio et Pandrosæ. Hanc igitur familiam Cerycum una cum Eumolpidis mysteria Cereris administrasse, nota res est, et ex ea sola legi potuisse Ἱεροφάντας et Δᾳδούχους (h. e. Λαμπαδοφόρων duces). Cf. Arist. Or. de Templ. Cerer. Eleus.; it. Jul. Polluc. Onomastic. lib. VIII, cap. 9, segm. 103; et Casaubon; ad Athen. XIV, 23. Sed illos κήρυκας in hunc locum non convenire, nexus docet, quippe qui Remp. non administrarunt. Quum tamen sacerdotes præstantiores sciam in multis antiquitatis civitatibus et ipsos magistratus summos fuisse, e. c. Bellonæ pontificem in urbe Comana, qui Ponti et Bithyniæ regibus par habebatur; Venerisque summum sacerdotem in Paphio templo: quæ dignitas tanti æstimabatur, ut hanc Uticensis Cato Ptolemæo τῷ Αὐλητῇ obtulerit pro Ægypto, tali imperio tale sacerdotium non inferius ducens. His addere possemus τὸν Ἀσιάρχην, τοὺς στεφανηφόρους, etc. Cf. post *Van Dale*, Diss. VI, aliosque Eckelii Doctrina nummorum veterum T. IV. pag. 183. sqq. Cerycum nomine et summos magistratus, præsertim in iis urbibus, quæ religione Cereris florerent, fuisse insignitos putaverim.

3. *Sufes*. Pœnorum summus magistratus. Liv. lib. XXX, cap. 7: « Senatum itaque Sufetes (quod velut consulare imperium apud eos erat) vocaverunt. » Vid. et lib. XXVIII, cap. 37. init. Pomp. Fest. de verborum significatione lib. XVII, voc. *Sufes*: « Sufes, inquit, consul lin-

inter triarios posuit : inde voce, adhortatione, exemplo,
animo milita. Præcisis quoque manibus ille in prælio
invenit quod partibus conferat, qui stat tantum et
clamore juvat [1]. Tale quiddam facies, si a prima te
Reipublicæ parte fortuna submoverit; stes tamen, clamore juves : si quis fauces oppresserit, stes tamen, et
silentio juves. Nunquam inutilis est opera civis boni; 11
auditu enim, visu, vultu, nutu, obstinatione tacita, incessuque ipso prodest [2]. Ut salutaria quædam, citra gustum tactumque, odore proficiunt : ita virtus utilitatem
etiam ex longinquo et latens fundit, sive spatiatur et se
utitur suo jure [3]; sive precarios habet accessus, cogiturque vela contrahere; sive otiosa mutaque est, et angusto
circumscripta, sive adaperta : in quocumque habitu est,
prodest. Quid? tu parum utile putas exemplum bene
quiescentis? Longe itaque [4] optimum est miscere otium 12
rebus, quotiens actuosa vita impedimentis fortuitis, aut
civitatis conditione prohibetur. Nunquam enim usque eo
interclusa sunt omnia, ut nulli actioni honestæ locus sit.

gua Pœnorum. » Videtur eos annuos fuisse et post annum in potestate sua exactum summos judices creari solitos, ita ut summæ potestatis multum retinerent.

1. *Præcisis....... juvat.* Ad modum Aminiæ et Cynægiri, fratrum Æschyli tragici. Ælian. V. H. V, 19. ib. Periz. Justin. II, 9.

2. *Obstinatione tacita, incessuque ipso prodest.* Namque et silentio interdum sua eloquentia est. Silebat Thraseas, quum Neronis laudes in senatu canerentur, quum pro cælesti voce immolaretur; quid enim contra omnes unus adeptus foret? Immo, quum de Agrippinæ morte relatum fuit et eam periisse fortunæ publicæ tributum est, e Senatu se proripuit. Et jam huic silentio, huic fugæ magnitudo inerat, neque plus agendo aut dicendo quisquam perfecisset. Vid. de hoc locum celeberrimi Rhetoris *Laharpe, Lycée, première partie*, livr. III, chap. 2, sect. 4, fin.

3. *Sive spatiatur et se utitur suo jure*, e codd. reduxit Gron. Antea ap. Erasm. : *sive potitur et fruitur suo jure* : ap Lipsium : *sive exspatiatur et fruitur suo jure.* Sensus : diffundit se, et plena propriaque libertate utitur, ut sui aliis quamplurimis copia fiat. Exempla phrasis attulit plura Gron. nunc satis nota.

4. *Longe itaque., etc.* Redit ad reprehensionem Athenodori.

Numquid potes invenire urbem miseriorem, quam Atheniensium[1] fuit, quum illam triginta tyranni divellerent? mille trecentos cives[2], optimum quemque, occiderant:
13 nec finem ideo faciebat, sed irritabat se ipsa sævitia. In qua civitate erat Ariopagos[3], religiosissimum judicium, in qua senatus populusque senatui similis; coibat quotidie carnificum triste collegium, et infelix curia tyrannis angusta. Poteratne illa civitas conquiescere, in qua tot tyranni erant, quot satellites essent[4]? Ne spes quidem ulla recipiendæ libertatis animis poterat[5] offerri: nec ulli remedio locus apparebat, contra tantam vim

1. *Atheniensium.* Socratis tempore. Incepit autem hæc triginta tyrannorum dominatio Ol. XCIV, ann. 1. (ante Christ. nat. 403.); in quorum locum insequenti anno decem tyrannis substitutis, Resp. mox meliore conditione gavisa est. (Dodwell. Chronolog. Xenophont. Schneideri ed. Xenophontis Hist. Gr. præmissa.)

2. *Mille trecentos cives.* Isocrates tamen Areopag. p. 224. ed. Hieron. VVolf. 1500 cives indicta causa, asseverat his verbis: Ἀλλὰ μὴν, οὐδὲ τὴν πραότητα δικαίως ἄν τις ἐπαινέσειε τῶν ἐκείνων, μᾶλλον ἢ τὴν τῆς δημοκρατίας· οἳ μὲν γὰρ ψηφίσμασι παραλαβόντες τὴν πόλιν πενταχοσίους μὴν καὶ χιλίους τῶν πολίτων ἀκρίτους ἀπέκτειναν; et in his ipsum Theramenem, unum eumque optimum ex hoc collegio (Xenoph. lib. II, cap. 3, 15, sq.), interemptos a triginta tyrannis tradidit: secuta est has cædes magna civium fuga, unde ὀλιγανθρωπίαν exortam queritur Aristarchus ap. Xenoph. Memor. lib. II, cap. 7, 2. Xenophon. H. G. lib. II, cap. 4, 21, numerum occisorum per hos octo dominationis menses non definit.

3. *Ariopagos.* Nam hanc dominationem Ariopagitarum imperio oppositam fuisse, et huic obsistentes judices officio suo fungi perrexisse, etiamsi illi tyranni furerent, in propatulo est. Confer. Epist. CIV. De Ariopago, judicio antiquissimo quod novimus, cf. post Meursium et Potterum, *Pauw*, *Recherches sur les Grecs*, II, 34, sqq. qui tamen caute legendus est. Primitus in Ariopago de cædibus (περὶ φόνου ἑκουσίου) jus dicebatur: et Heliæis judicio criminali jam constitutis causæ criminales certæ ad Ariopagum relatæ. Hoc tempore, de quo sermo est, primum judicium Athenis idque maximæ auctoritatis erat (Xenoph. Mem. Socr. lib. III, cap. 5, 2.), ad quod causæ, quæ ad politiam spectant, censura morum, etc. pertinebant: omnibus tamen iis, quæ sacra religionesque attingerent, nisi cum politia conjuncta essent, exclusis.

4. *In qua tot tyranni erant, quot satellites essent.* Lips. proposuit e suo et aliis codd. Recte: fuerunt enim his XXX. satellitum tria millia, Justino docente. Antea ap. Erasm.: *in qua tot tyranni, quot satellites erant.* — *Satellites*, triginta tyrannorum nempe.

5. *Ne spes ...... offerri.* Quia Lacedæmonii tyrannis hisce favebant.

malorum; unde enim miseræ civitati tot [1] Harmodios? Socrates [2] tamen in medio erat, et lugentes patres con- 14
solabatur, et desperantes de Republica exhortabatur, et divitibus, opes suas metuentibus, exprobrabat seram periculosæ avaritiæ pœnitentiam; et imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, quum inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenæ ipsæ in carcere occiderunt: et qui tuto insultaverat [3] agmini tyrannorum, ejus libertatem libertas [4] non tulit: ut scias et in afflicta Republica esse occasionem sapienti viro ad se proferendum, et in florenti ac beata, pecuniam [5], invidiam, mille alia vitia inermia [6] regnare. Utcumque ergo 15
se Respublica dabit, utcumque fortuna permittet, ita aut explicabimus [7] nos, aut contrahemus: utique movebimus, nec alligati metu torpebimus. Immo ille vir fuerit, qui periculis undique imminentibus, armis circa et catenis frementibus, non alliserit virtutem, nec absconderit.

1. *Harmodios.* Id est, tyrannicidas. Harmodius enim et Aristogiton interfecere Hipparchum, Pisistrati filium, Hippiæ fratrem. Conf. de Ira lib. II, cap. 23, 2.

2. *Socrates.* Confirmantur hæc a Xenoph. Memorab. Socrat. multis locis, ex. caus. lib. II, cap. 7; lib. III, capp. 1—7. Cic. Epp. ad Attic. lib. VIII, fin. « Socrates...... quum XXX tyranni essent, pedem porta non extulit.» Plutarch. an seni sit gerenda resp. Vol. IX. p. 180, eadem in re docenda adhibuit exemplum Socratis perquam egregie.

3. *Insultaverat.* Ut ap. Xenoph. Memor. I, 2. et Platon. Apolog. Socr. I, p. 75, Bip. Vol. I. ubi XXX tyrannis eum una cum aliis quatuor Leontem Salaminium ex Salamine adducere, ut necaretur, jubentibus, non audiens dicto fuisse narratur Socrates. Diog. Laert. II, 24.

4. *Libertatem libertas* Omnium MSS. et impressorum lectio. Conf. Gruter. et prætulit recte Gronov. Muretus dederat: *libertatem libera civitas non tulit.* Illa civitas, quæ liberam se jactabat, libertatem ejus ferre non poterat. Similis lusus occurrit ap. Nostrum: de Constant. Sap. 2, 4; de Benefic. V. 6, 6. ex quo loco suam hausit Muretus lectionem.

5. *Pecuniam.* Bene se habet: spectat enim ad divites (§. 14.). *Impotentiam* e Pinciani conj. Muretus dederat, quæ lectio æque nihili est ac Lipsii conj. *petulantiam.*

6. *Inermia*, tyrannidi armatæ opponit.

7. *Explicabimus.* Metaphora a velis desumpta.

16 Non enim debet; servare se voluit, nec obruere[1]. Ut opinor, Curius Dentatus[2] aiebat, Malle esse se mortuum, quam vivere[3]. Ultimum malorum est, ex vivorum numero exire, antequam moriaris. Sed faciendum erit, si in Reipublicæ tempus minus tractabile incideris, ut plus otio ac literis vindices: nec aliter quam in periculosa navigatione, subinde portum petas: nec exspectes donec res te dimittant, sed ab illis te ipse disjungas.

1 IV. Inspicere autem debemus primum nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est se ipsum æstimare, quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus. Alius eloquentiæ fiducia prolabitur; alius patrimonio suo plus imperavit, quam ferre possit;
2 alius infirmum corpus laborioso oppressit officio. Quorumdam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant; quorumdam contumacia non facit ad aulam; quidam non habent iram in potestate, et illos ad temeraria verba quælibet indignatio

1. *Non enim debet; servare se voluit, nec obruere*. Ap. Erasm. aliosque est: *Non enim debet servantem se obruere*. E codd. a Lipsio adductis feci lectionem, quam dedi, sensu adeo postulante. Antea suadet Noster, ut temporibus servias, virtute tamen nec allisa, id est fracta, deleta, per ambitionem aut pervicaciam præposteram, nec turpiter subducta, remota. Prudenter enim agere decet; id agit sapiens, ut se servet, nec obruat, i. e. se ipse deleat. Lipsius conjectura dederat: *cernulare* (abjicere se pronum ac præcipitem) *se voluit nec obruere*. Vir doctus ille lubentissime archaismos atque raras verborum formas captabat: quam quidem cupidinem et hoc loco surrepsisse ei minime dubitandum videtur. Mirarer Gronovii in hac re silentium, nisi et illum hoc morbo criticorum interdum laborasse recordarer.

2. *Curius Dentatus*. Cons. qui de rege Pyrrho triumphavit: homo notissimus est. Quæ hic afferuntur, e Livii lib. XI, et XIV, nunc deperditis, desumpta esse videntur.

3. *Vivere*. Intell. mortuum. Seneca ipse alibi ait: « Otium sine literis mors est et vivi hominis sepultura. »

IV. Arg. Primum noscere nosmet ipsos debemus, ne, nos parum aptos esse rebus iis, quibus operam damus, experti, in illud tædium incidamus. Cf. de Ira, lib. III, cap. 7, 2.

effert; quidam urbanitatem nesciunt continere, nec periculosis abstinent salibus. Omnibus his utilior negotio quies est; ferox impatiensque natura, irritamenta nociturae libertatis evitet.

V. Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur, et 1
vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in [1] actore, quàm in onere; necesse est opprimant onera, quæ ferente majora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negotia, quam fœcunda, multumque negotiorum ferunt: et hæc refugienda sunt, ex quibus nova occupatio mul-
tiplexque nascetur. Nec accedendum eo, unde liber re- 2
gressus non fit: his admovenda manus est, quorum finem aut facere, aut certe sperare possis. Relinquenda, quæ latius actu procedunt, nec ubi proposueris, desinunt.

VI. Hominum utique delectus habendus est: an digni 1
sint quibus partem vitæ nostræ impendamus, an ad illos temporis nostri jactura perveniat. Quidam enim ultro officia nostra nobis imputant[2]. Athenodorus[3] ait: « ne » ad cœnam quidem se iturum ad eum, qui sibi nil pro » hoc debiturus sit. » Puto intelligis, multo minus ad eos iturum, qui cum amicorum officiis parem mensam fa-

V. Arg. Deinde opus est negotia nosse, quæ suscipienda sint. Cf. de Ira, lib. III, capp. 6 et 7.

1. *Actore*. Bona lectio, quæ in omnibus Mss. et impressis comparet. Pincianus e conjectura dederat *latore*. Quem quum Gronov. reprehendit, ipse conjecturam sequitur et emendat *vectore*. Si tamen de Ira, lib. III, cap. 7, 1, comparasset, non dubito quin vulgatum defendisset. *Agere opus* non occurrere putans, *vectore* intulit. Onus est autem h. l. negotium grave. Occurrit de Clem. lib. I, cap. 19, 1. Mox sequitur quoque *latius actu*.

VI. Arg. Hominum quoque delectus habendus est. Cf. de Ira, lib. III, cap. 8.

2. *Imputant*. Nobis assignant, quasi honori nobis sit, iis officia hæc præstitisse. *Imputare* autem esse id. q. in rationibus alicujus ponere, inscribere, jam supra vidimus, de Ira, lib. III, cap. 33, 1. et in bonis lexicis obvium.

3. *Athenodorus*. Tarsensis. Cf. de Tranquill. cap. 3, § 1, et ibi not.

ciunt [1], qui fercula pro congiariis numerant [2]: quasi in
2 alienum honorem intemperantes sint. Deme illis [3] testes spectatoresque, non delectabit popina secreta [4]. Considerandum est, utrum natura tua agendis rebus, an otioso studio contemplationique aptior sit: et eo inclinandum, quo te vis ingenii defert [5]. Isocrates [6] Ephorum [7] injecta

1. *Parem mensam faciunt.* Id est, mensam, seu cœnam suam tanti æstimare, quanti amicorum officia. Sic *pares rationes facere* significat: acceptis expensa æquare. E codd. et editis ante Erasm. reduxit Gronov. docte comparata hac locutione cum adducta.

2. *Fercula pro congiariis numerant.* Nihil hac agendi ratione odiosius, sed nihil frequentius. Juvenal. Sat. IV, in Parasitos: « imputat hoc rex Et quamvis rarum tamen imputat. » Martial. lib. XII, Epig. XLVIII: « Si fortunatum fieri me credis, et hæres Vis scribi propter quinque Lucrina, vale..... Non Albana mihi sit comissatio tanti, Non Capitolinæ pontificumque dapes. Imputet ipse Deus nectar mihi, fiet acetum Et Vaticani perfida vappa cadi. Convivas alios cœnarum quære magister, Quos capiant mensæ regna superba tuæ. Me meus ad subitas invitet amicus ofellas, etc. » Cæterum fercula esse dapes varias, et congiaria nominari, quæ dona a patronis clientes accipiebant notum. Hæc vox a congio, quæ erat mensura capacitatis. Vide Tacit. Vol. IV, pag. 260 nostræ editionis.

3. *Deme illis.* Conviviis.

4. *Popina secreta.* Opp. publicæ: utraque non gratuita est.

5. *Defert.* Sic in codd. nonnullis et Erasm. est. Gron. itidem e codd. et editt. reduxit in textum: *refert*, hoc verbum proprium esse docens in vi æstus marini aut ventorum explicanda. Haud equidem nego: sed eadem vis est quoque τῷ *deferre*. Jam quum hic non de reditu, sed de vitæ ratione incipienda sermo sit, prætuli *defert*.

6. *Isocrates.* Nemo nescit Isocratem Atheniensem, natum anno circiter 436 ante Christ. nat. (Olymp. LXXXVI), et Gorgiæ discipulum, propter vocis gracilitatem et verecundiam, neque causas in foro egisse, neque ad res publicas se contulisse, sed rhetoricæ schola aperta multos docuisse e quibus Plato, Demosthenes, etc. Non est idem credendus ac alius Isocrates, qui Apolloniæ Ponti sive Heracleæ natus, Athenas venit, et Isocratis majoris discipulus fuit et successor. De priore si plura velis, ad. Cic. Orat. cap. 20; de Orat. lib. II, cap. 6, 52, lib. III, c. 16; Brut. cap. 15; Quintil. Instit. Orat. lib. II, cap. 9, lib. III, cap. 1, lib. IX, cap. 3, 4, lib. X, cap. 1, 4, et passim; Dionys. Halicarn. de Antiq. Orator. Philostr. Rhet. in Isocr. Plutarch. passim. Cf. Fabric. Bibl. Græc. vol. II, pagg. 7, 77, sqq. ed. Harles.

7. *Ephorum.* Confer. de hoc quoque Fabricii Bibliothecam Græcam vol. II, pag. 800 et sequentes edit. Harles. Scripserat ille *Historias Philippicas* et alia quædam de philosophia et rhetorica. Sed omnia hæc in deperditis sunt: Scimus tamen ab illo Ephoro, usque adeo laudatum Philippum, Macedoniæ re-

manu a foro subduxit, utiliorem componendis monumentis historiarum ratus. Male enim respondent coacta ingenia : reluctante natura, irritus labor est **.

VII. Nihil tamen æque oblectaverit animum, quam 1
amicitia[1] fidelis et dulcis. Quantum bonum est, ubi sunt
præparata pectora, in quæ tuto secretum omne descen-
dat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas,
quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium
expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse
delectet? Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit,
a cupiditatibus, eligemus. Serpunt[2] enim vitia, et in 2
proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque, ut in pestilentia curandum est, ne corruptis jam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus; ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est, ægris sana miscere. Nec hoc præceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris, aut attrahas : ubi enim istum invenies, quem tot sæculis quærimus? pro optimo[3] est minime
malus. Vix tibi esset facultas delectus felicioris, si inter 3

gem, ut et veritatem sæpe laudandi desiderio postposuerit. Unde non magni æstimamus ἀργυρωνήτον viri eloquentiam, operumque amissorum minus desiderium est. Veteres tamen in hoc consenserunt post Herodotum et Thucydidem et Xenophonta primas Ephoro et Theopompo delatum iri. De hoc posteriori Historico docte disserit *Bayle*, *Dictionn. hist. et crit.* Tom. II, pag. 361, sqq.

** Hic quædam excidisse puto cum Lipsio.

VII. Arg. Amicos fideles et dulces eligamus ad tranquillandam mentem; nihil enim amicitia vera et inter dignos viros exstante suavius. Neque opus sapientibus tantum viris; ubi enim eorum tanta affluentia est? pravos vitemus, hoc satis est, et morosos qui querelarum causas ubique inveniunt, « Et cum theatris sæculoque rixantur. » (Sic fere Martial. lib. IX, Epigr. xxviii).

1 *Amicitia;* cujus laus apud Ciceronem de Amicitia fusius pertractatur.

2. *Serpunt.* Cf. de Ira, lib. III, 8.

3. *Pro optimo.* Sic Horat. Serm. I, 3, 67 et 68 : « Optimus ille est, Qui minimis urgetur vitiis. »

Platonas et Xenophontas [1], et illum Socratici fœtus pro-
ventum [2], bonos quæreres ; aut si tibi potestas Catonianæ
fieret ætatis, quæ plerosque dignos tulit, qui Catonis
sæculo nascerentur, sicut multos pejores, quam unquam
alias, maximorumque molitores scelerum. Utraque enim
turba opus erat, ut Cato posset intelligi : habere debuit
et bonos, quibus se approbaret ; et malos, in quibus vim
4 suam experiretur. Nunc vero in tanta bonorum egestate
minus fastidiosa fiat electio. Præcipue tamen vitentur tris-
tes, et omnia deplorantes, quibus nulla non causa in
querelas placet. Constet illi licet fides et benevolentia,
tranquillitati tamen inimicus est comes perturbatus, et
omnia gemens.

1 VIII. Transeamus ad patrimonia, maximam humana-
rum ærumnarum materiam. Nam si omnia alia quibus
angimur compares, mortes, ægrotationes, metus, de-
sideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quæ
nobis mala pecunia nostra exhibet, hæc pars multum
prægravabit. Itaque cogitandum est, quanto levior do-
lor sit, non habere, quam perdere : et intelligemus,
paupertati eo minorem tormentorum, quo minorem dam-
2 norum esse materiam. Erras enim, si putas animosius

1. *Platonas et Xenophontas.* Celeberrimos viros quorum hic in historia et philosophia ethica inter primores numeratur, ille vero Academicam Scholam condidit, neque eloquentiæ laudem alicui cedens, ita scripsit et locutus est ut ab omnibus θεῖος cognominatus sit.

2. *Illum Socratici fœtus proventum.* Incredibile enim est quot et quantos et in diversis rebus viros Socratis Schola protulerit. Memorentur solum, ne omnes numerando longiores evadamus, Plato Academiæ institutor, Euclides Megarensis, Phædo Eretriacus, Antisthenes Cynicorum princeps, Aristippus Cyrenaicorum; tum ex iis qui non tam philosophiæ quam literis studuerunt Euripides, Æschines et Xenophon; e reipublicæ moderatoribus, Alcibiades.

VIII. Arg. Modicum porro patrimonium virtuti et vitæ tranquillæ sufficit : amplum officit. In hisce, quæ hoc capite tractantur, Teletem, Pythagoricum, de quo supra monuimus, Nostro ante oculos fuisse, pu-

detrimenta divites ferre : maximis minimisque corporibus
par est dolor vulneris. Bion [1] eleganter ait : « Non minus
» molestum esse calvis, quam comatis, pilos velli. » Idem
scias licet de pauperibus locupletibusque, par illis esse
tormentum; utrisque enim pecunia sua obhæsit, nec sine
sensu revelli potest. Tolerabilius autem est, ut dixi, fa-
ciliusque, non acquirere, quam amittere : ideoque læ-
tiores videbis, quos nunquam fortuna respexit, quam
quos deseruit. Vidit hoc Diogenes [2], vir ingentis animi, 3
et effecit ne quid sibi eripi posset. Tu istud pauperta-
tem, inopiam, egestatem voca, et quod voles ignomi-
niosum securitati nomen impone : putabo hunc non esse
felicem, si quem mihi alium inveneris, cui nihil pereat.
Aut ego fallor, aut regnum est, inter avaros, circum-
scriptores [3], latrones, plagiarios, unum esse, cui noceri

tavit Wesseling. Probabil. pag. 248, coll. Stobæi Serm. 93.

1. *Bion*. Non ille quidem eclogarum scriptor, cujus Ἔρως δραπέτης et Ἀδώνιδος ἐπιτάφιον circumferuntur, sed philosophus Cynicus, ingeniosus et mordax; Borysthenites. Vixit circa Olymp. CXX (ann. ante Ch. nat. circiter 300—297) inter familiares Antigoni, regis Macedoniæ. Sermones ejus ap. Horat. Epp. II, 1, 59, memorantur. Et Strabo, I, pag. 39, ed. Siebenk. ejus cum laude meminit. Quæ Noster affert, eadem fere jam ap. Cic. Tusc. Dispp. III, 26, occurrunt: Hinc ille Agamemno Homericus, et idem Attianus, scindens dolore identidem intonsam comam. In quo facetum istud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio mœror levaretur. Hæc Seneca suam in rem convertit. Cf. Fabric. Bibl. Græc. vol. II, p. 653, ubi tamen Biones confunduntur ab Harlesio. Melius de nostro Bione P. *Bayle*, *Dictionn. hist. et crit.* vol. I. Bion, ubi nostrum locum cum Menag. ad Diog. Laert. IV, 52, præterit : et ipse Harles. Bibl. Gr. III, pag. 616.

2. *Diogenes*. Sinopæus, ille doliaris, ait Raderus, qui se Alexandro præferre non dubitavit, nec alios servos aut clientes habuit quam mures et glires. Cynicus ille fuit, ut patet, et Antisthenis discipulus; magistri doctrinam ita adoptavit, ut hanc proveheret et magis ac magis καθ' ὑπερβολὴν exerceret. Conf. *Meiners*, II, pag. 677, qui nec nostrum locum neglexit.

3. *Circumscriptores*. Circumscribere est *decipere*, *fallere*. Cicer. pro Cluent. 46 : « Quum omnis ab his fraus, omnes insidiæ circumscriptionesque adolescentium noscebantur. » Sed præcipue dicitur de testamentorum subornatione.

non possit[1]. Si quis[2] de felicitate Diogenis dubitat, potest idem dubitare et de Deorum immortalium statu, an parum beate degant, quod illis non prædia, nec horti sint, nec alieno colono[3] rura pretiosa, nec grande in foro fœnus.
4 Non te pudet, quisquis divitiis adstupes? respice agedum mundum: nudos videbis deos, omnia dantes, nihil habentes. Hunc tu pauperem putas, an Diis immortalibus similem, qui se fortuitis omnibus exuit? Feliciorem tu Demetrium Pompeianum[4] vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? Numerus illi quotidie servorum, velut imperatori exercitus, referebatur, cui jamdudum di-
5 vitiæ esse debuerant duo vicarii[5], et cella[6] laxior. At Diogeni servus unicus fugit, nec eum reducere, quum monstraretur, tanti putavit. « Turpe est, inquit, [7]Manen » sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse. » Videtur mihi dixisse: Age tuum negotium, fortuna: nihil apud Diogenem jam tuum est! Fugit mihi servus? immo liber abiit. Familia vestiarium[8] petit, victumque: tot ventres avidissimorum animalium tuendi

1. *Regnum est....... cui noceri non possit.* Senec. Tragic. Thyest. Act. II, chor. fin. « Rex est qui metuit nihil; Rex est quique cupit nihil. Hoc regnum sibi quisque dat. » Adi et lege chorum totum, si vis, qui ex Stoicorum decretis est, ut et illa phrasis, quamquam hic illa latius pateat. Martial. quoque non abest, lib. II, Epigr. XLVIII, vss. 5—8: « Reges et dominos habere debet Qui se non habet atque concupiscit; Servum si potes, Ole, non habere, Et regem potes, Ole, non habere. »

2. *Si quis*, etc. Jam ap. Xenoph. Mem. lib. I, cap. 6, 10, ubi Ruhnk. occurrit præclara hæc Socratis sententia: Deos nullius rei indigere: quam quidem hoc loco ut Stoicum decet, allatam et amplificatam vides.

3. *Nec alieno colono...... pretiosa.* Latifundia.

4. *Demetrium Pompeianum.* Cn. Pompeii magni libertum. Cf. Plutarch. in vita Pompeii, cap. 40, pag. 787, sq. Vol. III, Reisk.

5. *Vicarii.* Δούλου δοῦλοι; servus inferioris notæ et ipsius ordinarii servi servus, vocabatur vicarius. Quamquam et aliæ significationes.

6. *Cella.* Habitatio servi.

7. *Manen.* Idem tradit Diogen. Laert. lib. VI, 55, ubi Menag. nostrum locum advertit. Ælian. V. H. lib. XIII, cap. 28.

8. *Vestiarium.* Servi petunt pecuniam ad vestem sibi parandam. De Benef. lib. III, cap. 21.

sunt : emenda vestis, et custodiendæ rapacissimæ manus, etflentium detestantiumque[1] ministeriis utendum. Quanto 6
ille felicior, qui nihil ulli debet, nisi, cui facillime negat, sibi? Sed quoniam non est tantum roboris nobis, angustanda certe sunt patrimonia, ut minus ad injurias fortunæ simus expositi. Habiliora sunt corpora [2] pusilla, quæ in arma sua contrahi [3] possunt, quam quæ superfunduntur, et undique magnitudo sua vulneribus objecit. Optimus pecuniæ modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit.

IX. Placebit autem hæc nobis mensura, si prius par- 1
cimonia placuerit, sine qua nec ullæ opes sufficiunt, nec ullæ non satis patent : præsertim quum in vicino remedium sit, et possit ipsa paupertas in divitias se, advocata frugalitate, convertere. Assuescamus a nobis removere pompam, et usus rerum, non ornamenta metiri [4]. Cibus famem domet, potio sitim; libido, qua necesse est[5], fluat.

1. *Detestantiumque*; sc. servorum.

2. *Pusilla*. Reduxi e codicibus et Erasmo. In plerisque Mss. erat *imbecilla*, contra sententiam auctoris. *Pusillus homo* opponitur *grandi*, sine notione contemptus. Quod quum Pincianus et Lipsius non advertissent, ille mutavit *in bello*, hic male recepit. Sensus et nexus postulant : *pusilla*.

3. *In arma sua contrahi*. Intell. in clypeum, quo texit se, subsidendo, miles. Sic apud Virgil. Æneid. XII, 491 : « Et se collegit in arma. »

IX. Arg. Parcimonia et continentia veræ divitiæ acquiruntur : ideoque res nostræ in arctum sunt cogendæ; et luxus diversa genera, e. c. sumptus immodicos in bibliothecas librosque, vitare debemus.

4. *Usus rerum, non ornamenta metiri*. Res æstimare ex usu, non ex ornamento, et illas in pretio habere quæ utilissimæ sunt nobis, non quæ decori magis conferunt.

5. *Libido, qua necesse est, fluat*. Tres recenset in hoc phrasi appetitus quibus satisfacere hominem necessarium est, cibi nempe, et potionis, et Veneris. Sed, quo modo natura exigit hoc, illis satisfaciamus. Neque ad convivandum aves pretiosissimas ex ultimo orbe advehi nos jubeamus, neque, ut plus ventri ingeratur, in vomitorium exeamus. Neque vina adspernemur, nisi Chia et Falerna, nisi colo nivario liquata et ipso frigidiora gelu, nisi crystallinis aut smaragdinis ebibenda. Neque demum voluptatum figuras novas et schemata ante hunc diem inusitata disponamus, neque mascula libidine nos

Discamus membris nostris [1] inniti : cultum victumque non ad nova exempla componere, sed ut majorum sua-
2 dent mores. Discamus continentiam augere, luxuriam coercere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis adspicere, frugalitatem colere (etiamsi nos pudebit desideriis naturalibus parvo parata remedia adhibere [2]), spes effrænatas, et animum in futura eminentem velut sub vinculis habere, id agere, ut divitias a nobis potius quam a fortuna petamus. Non [3] potest, inquam, tanta varietas et iniquitas casuum ita depelli, ut non multum procellarum irruat magna [4] armamenta pandentibus : cogendæ in arctum res sunt, ut tela [5] in va-
3 num cadant. Ideoque exsilia interim calamitatesque in remedium cessere, et levioribus incommodis graviora sanata sunt, ubi parum audit præcepta animus, nec curari mollius potest. Quid ni consulitur [6], si et paupertas

sinamus pollui, etc. Notum est quam multiplicibus et quam naturæ contrariis modis tunc libidinari solitum fuerit. Petron. Mart. Juven. Sueton. passim testari possunt, ac, si opus fuerit, ipse Noster, Natur. Quæst. lib. I, cap. 16. Notavimusque jam in libro II, de Ira cap. 8, 6 : « Ne os quidem libidini exceptum. » O pudor!

1. *Discamus membris nostris inniti.* Suaderi h. l. ego crediderim incessum rectum et altum servare, non molliter fracto gressu, non laxa et discincta tunica, non obstipo capite. Quamquam et quibusdam videri potest a lecticis et curribus hic interdici.

2. *Etiamsi..... adhibere.* Hæc verba parenthesi inclusa, ut sensus manifestior esset, media interpunctione post *adhibere* sublata, infinitivi modi dependent a *discamus.*

3. *Non potest*, etc. Si a nobis, ab animo potestateque nostra, non a fortuna felicitatem et tranquillitatem petamus, consequendum est, ut ictibus fortunæ, quibus divites et potentiores subjecti sunt, nos subducamus.

4. *Armamenta.* Mutuatus est a re maritima μεταφορὰν. Nempe hi similes sunt gubernatoribus navium, qui magna *armamenta* (vela) pandunt, extendunt ventorum furori magis exposita, quam si contractiora essent.

5. *Tela.* Fortunæ.

6. *Quid ni consulitur?* Duas in voces, quarum utraque μονοσύλλαβος, *quid ni* sejungendum est. Namque totius φράσεως hic sensus est : Quum paupertas tibi et ignominia et patrimonii sive honorum eversio incubuit, auctor rerum adversarum Deus quid facit? consulit. Vel : Quum, etc...... quid facit, nisi consulit? Breviusque: Quid ni consulit. Posset et, τῆς ἐλλείψεως habita ratione, comma inseri, sic: Quid, ni...... *Consulere* vero est ali-

et ignominia, et rerum eversio adhibetur? malo malum
opponitur. Assuescamus ergo cœnare posse sine populo,
et servis paucioribus serviri, et vestes parare in quod
inventæ sunt, habitare contractius. Non in cursu tantum
Circique certamine, sed in his spatiis vitæ interius fle-
ctendum est[1]. Studiorum quoque, quæ liberalissima im-
pensa est, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum.
Quo mihi innumerabiles libros et bibliothecas, quarum 4
dominus vix tota vita sua indices[2] perlegit? Onerat di-
scentem turba, non instruit: multoque satius est paucis
te auctoribus tradere, quam errare per multos[3]. Qua-
dringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcher-
rimum regiæ opulentiæ monumentum; alius laudaverit,
sicut Livius, qui elegantiæ regum curæque egregium id
opus ait fuisse[4]. Non fuit elegantia illud, aut cura, sed 5
studiosa luxuria: immo ne studiosa quidem, quoniam
non in studium, sed in spectaculum comparaverunt:
sicut plerisque, ignaris etiam servilium literarum[5], libri

cui aliquid bonum conferre, alicujus bono et commodis invigilare.

1. *Non in cursu.....flectendum est.* Qui in his certaminibus curulibus vincere vellet, ejus currus circa metam (conum imum in spina Circi, τὴν ἐσχάτην στήλην, ap. Sophocl. mox laudandum; ib. Schol.) flectendus erat, ne, qui sequeretur, inter priorem illum et metam currum dirigendo præverteret. Hinc interior, ratione metæ habita, cursus vocatur. Res ex Homer. Il. ψ, 321, seq. Sophocl. Electra, 720, sq. Brunk. Theocrit. 24, 117, sq. Horat. lib. I, Od. 1, 4, nota est. Translatis inde locutionibus sæpe usi sunt veteres. Cf. Torrent. ad Horat. I, Epp. xvi, 79.

2. *Indices.* Quos alias titulos librorum vocabant, e. c. Ovid. IV ex Pont. El. xiii, 7. Sic et Schwarzius, Altdorfin. olim professor, in opere suo de Ornamentis libror. interpretatus est. Etiam de catalogo librorum intelligas.

3. *Paucis..... multos.* Cf. Ep. 2. Sic aiunt; *timeo virum unius libri.*

4. *Quadringenta....fuisse.* Intelligit incendium bibliothecæ in oppugnatione Alexandriæ a Julio Cæsare facta. Dio Cass. lib. XLII, cap. 38, ib. Intpp. Magna pars arsit: reliqua post Christ. nat. 640. Cf. Tiedemann. lib. IV, pag. 7, sqq. Livius hoc incendium enarraverat, lib. 112, nunc deperdito. Conf. Flori Epitom. et Freinshem. Supplem.

5. *Servilium literarum.* Quas vel servi sciunt, ut legere, scribere, etc. liberalibus manifesto opponit. Spe-

non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum satis sit, nihil in
6 apparatum. Honestius, inquis, in hos impensas, quam in Corinthia[1] pictasque tabulas effuderim. Vitiosum est ubique, quod nimium est. Quid habes, cur ignoscas homini armarium cedro atque ebore captanti[2], corpora conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, et inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum
7 suorum frontes[3] maxime placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quidquid orationum historiarumque est, et tecto tenus exstructa loculamenta; jam enim inter balnearia et thermas bibliotheca quoque, ut necessarium domus ornamentum, expolitur. Ignoscerem plane, si e studiorum nimia cupidine oriretur: nunc ista exquisita, et cum imaginibus[4] suis descripta sacrorum

ctat autem ad homines infimo loco natos summosque honores nactos.

1. *Corinthia.* Vasa, ideoque antiquissima, confici jam desita aliquot sæculis ante Corinthum captam, id est, ann. U. C. 608, s. Ol. 161, 3. Ob vetustatem inprimis æstimata esse magni, apparet e Plin. N. H. lib. XXXIV, cap. 3, Bip. Tom. V. Senec. de Brev. Vit. cap. 12. Ex odore dignoscebantur. Martial. lib. IX, Epig. LX: « Consuluit nares, an olerent æra Corinthon. » Plura de his vasis corinthiis, quæ et thericlea vocabantur, a Thericle, figulo, Socratis coævo, quem cum Anglo *Wedgwood* conferas, inventa, et deinde ab insequentibus artificibus in diversa materia expressa, dabunt Bentleius, *Dissertat. upon the epistles of Phalaris*, et Martini Exc. XX, ad Ernesti Archæolog.

2. *Quid habes, cur ignoscas homini armarium cedro atque ebore captanti.* Sic dedit codex Lipsii a quo alii non multum abludunt. Erasm. *quid habes, cur ignoscas nomen marmore atque ebore captanti.* Lectionem Lipsii prætuli, nisi quod *armarium* refinxi, quod codex habuit. Mox *corpora* recepit Lipsius; antea *opera* : e. c. ap. Erasm. Elzev. edit. *armaria aptanti.*

3. *Frontes.* Bases cylindri, seu teretis baculi (umbilici), cujus eminentes utrimque partes auro, argento vel alio metallo præmuniri solitæ et varie pictæ, dicta cornua, inter quæ frontes erant mediæ, circumcisæ et pumice politæ. Cf. *Heyne* ad Tibull. lib. III, cap. 1, 13.

4. *Cum imaginibus.* Tradit idem Plin. N. H. lib. XXXV, cap. 2; Bip. Tom. V, pag. 275. « Non est prætereundum et novitium inventum. Siquidem non solum ex auro argentove, aut certe ex ære dicantur. Quin etiam quæ non sunt, finguntur, etc. As. Pollionis hoc Romæ inventum. »

opera ingeniorum, in speciem et cultum parietum comparantur.

X. At in aliquod genus vitæ difficile incidisti, et tibi 1
ignoranti vel publica fortuna, vel privata, laqueum impegit, quem nec solvere possis, nec abrumpere. Cogita
compeditos primo ægre ferre onera, et impedimenta crurum: deinde, ubi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas fortiter ferre docet; consuetudo facile.
Invenies in quolibet genere vitæ oblectamenta, et remissiones, et voluptates, si nolueris malam putare vitam
potius, quam invidiosam facere[1]. Nullo melius nomine 2
de nobis natura meruit, quam quod, quum sciret quibus
ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum, consuetudinem, invenit, cito in familiaritatem gravissima
adducens. Nemo duraret, si rerum adversarum eamdem
vim assiduitas haberet, quam primus ictus. Omnes cum
fortuna copulati[2] sumus; aliorum aurea catena est et laxa:
aliorum arcta et sordida. Sed quid refert? eadem custo- 3
dia universos circumdedit; alligatique sunt etiam qui
alligaverunt, nisi tu forte leviorem in sinistra catenam
putas[3]. Alium honores, alium opes vinciunt: quosdam

X. Arg. Incommodo vitæ generi assuescendum est, inprimis consuetudine, nec quidquam de sorte sua querendum est.

1. *Si nolueris malam putare vitam potius, quam invidiosam facere.* Scriptorum codd. lectio. Lipsius fatetur, se hæc non capere; at Gronov. sensum bene explicuit: Si malueris malam vitam, quæ nempe talis existimatur vulgo, putare non esse malam, quam ei invidiam consciscere, de ea queri ut indigna et mala. Occurrit hæc sententia Ep. IX. Non est beatus, esse se qui non putat. Si nexum ac verba attenderis, non putares hic esse difficultatem. Causa autem difficultatis ap. Lipsium ipsum fuit, qui doctrina sua, quæ certe magna erat, præpeditus, rariora ac doctiora simplicioribus præferre maluit. *Facere vitam* explicavit h. l. *agere vitam*, e sermone jurisconsultorum: ideoque nullum idoneum sensum elicere potuit.

2. *Omnes cum fortuna copulati.* Id est, conjuncti sumus. Cf. de Ira, lib. III, cap. 8, 4. Ep. VI. « Quemadmodum eadem catena et custodiam (id est, reum, qui custoditur) et militem copulat; sic ista, etc. »

3. *Sed quid refert? eadem custo-*

nobilitas, quosdam humilitas premit: quibusdam aliena supra caput imperia sunt, quibusdam sua: quosdam exsilia uno loco tenent, quosdam sacerdotia. Omnis vita
4 servitium est. Assuescendum itaque conditioni suæ, et quam minimum de illa querendum: et quidquid habet circa se commodi, apprehendendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inveniat. Exiguæ sæpe areæ in multos usus, describentis arte, patuere, et quamvis angustum pedem [1] dispositio fecit habitabilem. Adhibe rationem difficultatibus: possunt et dura molliri et angusta laxari, et gravia scite ferentes minus premere.
5 Non sunt [2] præterea cupiditates in longinquum mittendæ; sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur. Relictis his, quæ aut non possunt fieri, aut difficulter possunt, prope posita speique nostræ alludentia [3] sequamur; sed sciamus, omnia æque levia esse, extrinsecus diversas facies habentia, introrsus pariter vana. Nec invideamus altius stantibus:
6 quæ excelsa videbantur, prærupta sunt. Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, et fortunam suam quam maxime poterunt, in planum deferendo [4]. Multi

dia.......... putas. Romæ triplex ratio erat asservandi captivos: carcer, ubi servitia et capita viliora jacebant, sine ullo custode, deinde ædes magistratuum, tum custodia militaris, quæ et Romæ et in provinciis frequentissima erat: ejusque modus, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dextræ alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram vinciret custodiæ ejus præfecti. Conf. Lipsii Excurs. B. ad Taciti Ann. lib. III, c. 22, nostræ editionis, Tom. IV, pag. 394.

1. *Pedem*. Mensuram; ut apud Plin. Nat. H. lib. XVIII, cap. 31, justus pes.

2. *Non sunt*, etc. *sed in vicinum illis egredi permittamus*, etc. Conf. de Ira, lib. III, cap. 7, 2.

3. *Alludentia*. Quæ velut se offerunt blande, ideoque vicina sunt: attamen omnia, quamvis diversa facie sint, levis et exigui momenti sunt, atque vana; itaque cave, ne magni res externas facias.

4. *In planum deferendo*. Id est, splendorem adimendo, atque faciles aliis se exhibendo, ne ab aliis homi-

quidem sunt[1], quibus necessario hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi cadendo, descendere: sed hoc ipsum testentur, maximum onus suum esse, quod aliis graves esse cogantur, nec sublevatos se, sed suffixos: justitia, mansuetudine, humana lege[2], et benigna manu præparent multa ad secundos[3] casus præsidia, quorum spe securius pendeant. Nihil tamen æque hos ab 7
his animi fluctibus vindicaverit, quam semper aliquem incrementis terminum figere: nec fortunæ arbitrium desinendi dare, sed se ipsos, multo quidem citra extrema, hortentur consistere. Sic et aliquæ cupiditates animum acuent, sed finitæ; non in immensum incertumque producent.

XI. Ad imperfectos[4] et mediocres et male sanos hic 1
meus sermo pertinet, non ad sapientem. Huic non timide, nec pedetentim ambulandum est; tanta enim fiducia sui est, ut obviam fortunæ ire non dubitet, nec unquam loco illi cessurus sit: nec habet ubi illam timeat, quia non mancipia tantum, possessionesque, et dignitatem, sed corpus quoque suum, et oculos, et manum, et quidquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum, inter precaria numerat, vivitque ut commodatus sibi, et reposcentibus

nibus diversi ac disjuncti esse videantur.

1. *Multi quidem sunt*......... Ex. c. reges, principes. De Clement. lib. I, cap. 8.

2. *Humana lege*. Sic Erasm. et Gruteri codices. Alii, *large*, unde Pincian. *humana, larga*.... Sed *lege* id est, formula, modo imperii, conditione.

3. *Secundos*. Sic Mss. Id est, casus, calamitates, quæ proximo loco sunt, mitiores ac minus graves. Antea *sequentes* e conj. Pincian. et Elzev. ed. *sequiores*, i. e. *tristiores*, Gruterus.

XI. Arg. Sapienti contra æquanimitatem jam docet et constantiam adesse, ut in omni re, sic in morte: quippe cui nihil inopinato accidere debeat, omnia prævidenti. Habes hic descriptionem sapientis Stoici, quæ sæpe iteratur.

4. *Imperfectos*. Nonnulli, *imperitos*, *imperf. Imperiti* seu *imperfecti*, ἀπαίδευτοι, stoica lingua sunt *plebeii nec sapientes*. Τὸ *imperitos* additum esse videtur, explicationis causa, a glossatore.

2 sine tristitia redditurus [1]. Nec ideo est vilis sibi, quia scit se suum non esse; sed omnia tam diligenter faciet, tam circumspecte, quam religiosus homo sanctusque solet tueri fidei commissa. Quandocumque autem reddere jubebitur, non queretur cum fortuna, sed dicet : « Gratias ago pro eo quod possedi, habuique. Magna quidem res tuas mercede [2] colui; sed quia imperas, cedo gratus libensque : si quid habere me tui volueris, etiam nunc servabo; si aliud placet, ego vero factum signatumque argentum, domum, familiamque meam
3 reddo, restituo. » Appellaverit natura, quæ prior nobis credidit; et huic dicemus : « Recipe animum meliorem quam dedisti : non tergiversor, nec refugio; paratum habes a volente, quod non sentienti dedisti : aufer. » Reverti unde veneris, quid grave est? male vivet, quisquis nesciet bene mori. Huic itaque primum rei pretium detrahendum est, et spiritus [3] inter servitia [4] numerandus. Gladiatores, ait Cicero [5], invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt; favemus, si contemptum ejus præ se ferunt : idem evenire nobis
4 scias; sæpe enim causa moriendi est, timide mori. Fortuna illa quæ ludos sibi facit [6]; « Quo, inquit, te reser-

1. *Vivitque..... redditurus*. Conf. de Providentia, cap. 5 : Consol. ad Marc. cap. 10.

2. *Mercede*. Id est, magna mea impensa ac cura. Similia sunt apud Plutarch. de Tranquill. pag. 474 D. Ἡδὺ μὲν, ἄν τι φέρῃς· ὀλίγον δ' ἄχος, ἦν ἀπολείπῃς, e poeta.

3. *Spiritus*. Vita.

4. *Inter servitia*. Ex Erasm. reduxi. Omnes Mss. habent *in servitia*, unde Lipsius conjecit *in vilia*. Sumus servitia . id est, servi naturæ.

5. *Cicero*. In Oratione pro Milone, c. 34 : « Etenim si in gladiatoriis pugnis, et in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos et supplices et ut vivere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus; fortes et animosos et se acriter ipsos morti offerentes, servare cupimus....» Locum jam adduximus; vid. de Ira, lib. I, cap. 2, 3.

6. *Fortuna........facit*. Plerumque antiqui mutabilem vitæ humanæ statum hac ratione depingunt, inde ab Herodoti tempore. Cf. Horat. Od. III, 29, 50; ib. *Bœttiger*. Lucian. Ne-

» vem, malum et trepidum animal? Eo magis convulneraberis, et confodieris, quia nescis præbere jugulum. At tu et vives diutius, et morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis, sed animose recipis. » Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine vivo [1] faciet : at qui scit hoc sibi, quum conciperetur, statim condictum [2], vivet ad formulam [3], et simul illud quoque eodem animi robore præstabit, ne quid ex his quæ eveniunt, subitum sit. Quidquid enim fieri [4] potest, quasi futurum prospiciendo, malorum omnium impetus molliet; qui ad præparatos exspectantesque nihil afferunt novi, securis et beata tantum spectantibus graves eveniunt. Morbus enim, captivitas, ruina, ignis, nihil horum repentinum est. Sciebam [5] in quam tumultuosum me contubernium natura clusisset; totiens in vicinia mea conclamatum est [6], totiens præter limen immaturas exsequias fax cereusque [7] præcessit : sæpe al-

cyomant. cap. 16, pag. 19, T. III, Bip. *Bayle*, Timoléon, Not. *k*.

1. *Pro homine vivo.* Id est, dignum homine. *Vivo* tamen displicet, nec succurrit, quomodo medicinam adhibeam.

2. *Condictum.* Constitutum.

3. *Ad formulam.* Id est, regulam; metaphora ducta est a formula cognitionis a prætore judicibus et arbitris data : quam ad cap. 3, 4, attigimus.

4. *Quidquid enim fieri*, etc. Hæc hauserunt Stoici e schola Socratis. Ὥσπερ οἱ ἐν εὐδίᾳ πλέοντες καὶ τὰ πρὸς τὸν χειμῶνα ἔχουσιν ἕτοιμα, οὕτως οἱ ἐν εὐτυχίᾳ φρονοῦντες καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀτυχίαν ἡτοιμάκασι βοηθήματα. Stobæi Serm. (III, Schow. pag. 87), I, pag. 26. Gesn. Aliud præclarum Socratis dictum eodem pertinet (apud Stob. lib. I, pag. 44, Schow.) οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον. Epicharmus, secundum Stobæum, sub init. jam dixerat : Οὐ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν.

5. *Sciebam*, etc. Conf. Consol. ad Marc. cap. 9.

6. *Conclamatum est.* Apud Veteres, quum diem supremum aliquis obiisset, composuissentque jam frigenti oculos et ora amantissimæ amicorum manus, omnes simul propinqui, amici, vicini conclamabant, quasi dormienti somnum excussuri, experturive an dormiret. Ergo *totiens in vicinia mea conclamatum est*, idem est ac : Tot vicinorum meorum mortui sunt!

7. *Fax cereusque.* Sc. funis; pueros et acerba funera ad faces efferebant cereis immixtis, et, ut veri

tius ruentis ædificii fragor sonuit : multos ex his quos forum, curia, sermo mecum contraxerat, nox abstulit, et
6 vinctas ad sodalitium manus copulatas intercidit[1]. Mirer aliquando ad me pericula accessisse, quæ circa me semper erraverunt? Magna pars hominum est, quæ navigatura de tempestate non cogitat. Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Publius[2], tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, et verba ad summam caveam[3] spectantia reliquit, inter multa

simile est, noctu. *Cereus* vero erat candela cerea, quam nos hodie nuncupamus *bougie*, longior tamen, quamvis non adæquaret longitudine nostros *cierges*.

1. *Multos ex his...... intercidit.* Similiter Mart. lib. VI, epigr. LIII : « Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit; et idem Inventus mane est mortuus Andragoras. » Cæterum nescio an de more suo aliquid innuat quod nuper acciderat. Famosum talium rerum exemplum P. Cornel. Scip. Æmil. Afric. II præbuit, qui quum Dictator mox a Senatu creandus foret, ut Tib. Sempr. Gracchi, multa et magna in Republica novantis, cœptis interveniret, mane in lectulo mortuus inventus est. Congessere similia mult. Cicer. pro Sext. Rosc. Amer. Plutarch. Herodot. Strab. lib. IX, cap. 4.

2. *Publius.* Ille qui, e Syria oriundus, P. Syrus vulgo audit, et Cæsaris tempore mimicas fabulas acutissime simul et gravissime scripsit; ludicris rebus usque et usque ethicam et altiores disciplinas inserens, et hoc Laberium ipsum longe præstans. Istius mimos absumpsit temporum fuga; sed sententiæ remanent ex operibus variis excerptæ; quas vulgo ad calcem Phædri invenire est. De hoc mimographo dicemus in Consol. ad Marc. cap. 9, fin. ubi idem versus occurrit. Cf. ad lib. II, de Ira, cap. 11, 4. Lipsius laudat Phocylid. cap. 25, ed. Brunk. Gnomic. poet. græc. pag. 113. Κοινὰ πάθη πάντων· ὁ βίος τροχός· ἄστατος ὄλβος : parum cogitans, hoc carmen νουθετικὸν esse fœtum Christiani alicujus.

3. *Summam caveam.* Theatri, ubi minutæ plebis sedes erat. Nam caveæ nomen Amphitheatri aut theatri partibus datum, quæ spectatores continebant. Et quum sedilium multi ordines alii aliis superimpositi surgerent, summa et media et ima cavea distinguebatur. Porro Augustus, quum spectandi modum huc usque confusissimum et solutissimum non probaret, « militem secrevit e populo, maritis e plebe proprios ordines assignavit, prætextatis cuneum suum, et proximum pædagogis, sanxitque ne quis pullatorum media cavea sederet. » Suet. Aug. cap. 44. Ergo *summa cavea* idem est ac quod vocat Horat. Art. Poet. vs. 249: « Fricti ciceris..... et nucis emptor. » Cf. Vitruv. Philand. Cassiod. Marl. et Onuphr. e recent. Panvin. de Circ. Lips. de Amphith. cap. 13, sqq. Voss. Etymol. L. L. ad cavea; Bullinger. de Circ. Roman. cap. 32 et sq. ed. Lutet. 1598.

alia cothurno [1], non tantum sipario [2], fortiora et hoc ait:

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Hoc si quis in medullas demiserit, et omnia aliena mala, 7
quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit, tanquam illis liberum et ad se iter sit, multo ante se armabit, quam petatur. Sero animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur. « Non putavi hoc futurum! nunquam hoc eventurum credidissem! » Quare autem non? Quæ sunt divitiæ, quas non egestas, et fames, et mendicitas a tergo sequatur? Quæ dignitas, cujus non prætextam, et augurale, et lora patricia, et sordes comitentur, et exportatio [3], et notæ, et mille maculæ, et extrema contemptio [4]? Quod regnum est, cui non parata sit ruina, 8
et proculcatio, et dominus [5], et carnifex? nec magnis ista intervallis divisa, sed horæ momentum interest inter solium et aliena genua [6]. Scito ergo, omnem conditionem versabilem esse; et quidquid in illum incurrit, posse in te quoque incurrere. Locuples es? numquid ditior Pom-

1. *Cothurno*. Calceamenti genus altissimum, quo in tragicis fabulis utebantur. Virg. Ecl. VI, init. « Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno »; et Flaccus, Art. Poet. 278: « Post hunc, personæ pallæque repertor honestæ Æschylus, et modicis instravit pulpita tignis, Et docuit magnumque loqui nitique cothurno. »

2. *Sipario*. Velo in mimis usitato.

3. *Exportatio*. Id est, exsilium. Quum tamen adjuncta hoc fulmen sibi misceri non patiantur, Lipsius conj. *exsputatio*, contemptus extremi signum: Gronov. *exhæredatio*. Sed *exportatio* sana mihi videtur esse lectio. Refero ad exsilium, etsi intelligo, malum minoris momenti meliorem locum hic tenere.

4. *Quæ dignitas....... contemptio*. Jungit magistratum (cujus proprium erat toga prætexta, sc. purpura), sacerdotes (augurale, i. e. insigne et ornamentum, sive trabeam, sive lituum intelligas), et nobiles (propter bullam auream, loro in collo gestari solitam a pueris præsertim patriciis). Cf. Macrob. Saturn. lib. I, cap. 6, pag. 221 sq. Bip. Vol. I. Inter amuleta erat hæc bulla. Lipsius intelligit mulleos seu lunatos patriciorum calceos; usu tamen loquendi non adstructo. *Et sordes* tum paupertas...... tum *notæ*, ignominiæ.

5. *Dominus*. Tyrannus.

6. *Aliena genua*. Ad quæ se et superbiam suam provolvat, qui modo rex fuerat. Græce, γονυκλισία.

peio [1] ? cui quum Caius vetus cognatus, hospes [2] novus, aperuisset Cæsaris domum, ut suam cluderet, defuit panis et aqua : quum tot flumina [3] possideret in suo orientia, et suo cadentia, mendicavit stillicidia : fame ac siti periit, in palatio cognati, dum illi hæres [4] publicum funus
9 esurienti locat. Honoribus summis functus es ? numquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam universis, quam Sejanus [5] ? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit : in quem quidquid congeri poterat, Dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret [6]. Rex es ? non ad Crœsum te mittam, qui rogum suum et escendit jussus, et exstingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam morti suæ superstes : non ad Jugurtham, quem populus Romanus intra an-

1. *Pompeio.* Noster hanc rem unus persequitur : cæteris omnibus auctoribus qui de Caio Caligula exposuerunt silentibus. Fuit haud dubie hic Pompeius filius Sexti Pompeii, filii Cn. Pompeii Magni, qui ann. 767 consul erat cum Sexto Apuleio. (Dio Cass. lib. LVI, cap. 29, 38 et 45). Augusti, ideoque et Caii cognatus. Plura de Pompeiorum gente dabit Spanhem. de usu et præstant. numism. Tom. II, pag. 66.

2. *Hospes novus.* Ironice, ut patet, hoc dictum est, quatenus in palatium suum receperat eum Caius : ut (Pompeius) suam domum clauderet, tamquam postremus stirpis. Lusus est enim in ambiguitate τοῦ *domus*, quæ vox domicilium et stirpem significat.

3. *Quum tot flumina*, etc. Hinc conjici potest quantis opibus sæpe Romani primores affluerent. Cf. Ep. LXXXIX, fin. De Ira, cap. 16, 32. De Benef. 3, 8.

4. *Dum hæres.* Caius, hæres captivi factus, *publicum funus locat illi*, Pompeio nempe, quasi fato suo functo.

5. *Sejanus.* De Sejano, qui Senatum lætus intrans tribunicia potestate, id est, consortio et successione imperii a Tiberio donandus, in vincula conjectus (*Senatus* eum *deduxerat*), deinde in frusta discerptus est a populo. Conf. Dio Cass. lib. LVIII, cap. 10, 11.

6. *Quod carnifex traheret*; unco ulterius in Tiberim, quia populus ejus cadaver frustatim in fluvium jam conjecerat. Locus eximius Juvenal. de Sejano huic similis est, Sat. X, vs. 61 : « Jam strident ignes; jam follibus atque caminis Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens Sejanus : deinde ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ..... Sejanus ducitur unco Spectandus, etc. » Et serius, vs. 104, sq. « Qui nimios optabat honores Et nimias poscebat opes, numerosa parabat Excelsæ turris tabulata, unde altior esset Casus et impulsæ præceps immane ruinæ. »

num quam timuerat, spectavit [1]. Ptolemæum [2] Africæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus; alter in exsilium missus est; alter, ut meliori fide mitteretur, optabat. In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione, si non quidquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit. 10
Proximum ab his erit, ne 11 aut in supervacuis, aut ex supervacuo laboremus; id est, ne aut quæ non possumus consequi, concupiscamus; aut adepti, cupiditatum vanitatem nostrarum sero, post multum pudorem, intelligamus; id est, ne aut labor irritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus. Fere enim

1. *Jugurtham, quem.... spectavit.* Ad hæc *Ruhkopf*: Bellum Jugurthinum, quod Sallustium exposuisse constat, cœpit ann. U. C. 637, ante Chr. nat. 117; et quinto anno post debellatum est. Noster igitur non omnino accurate rem tradidit. Sed non advertit vir doctus per tres annos nihil bene ac fauste contra Jugurtham gestum, quum pecunia devicti duces, aut segni otio tempus consumerent, aut acie interdum vincerentur. Metellus quidem qui ann. 114 (belli quarto) copiis præfuit, armorum fortunam mutavit; sed quum iniit consulatum Marius, ann. 113, et Numidici belli dux factus est, adhuc timebatur Jugurtha. De quo tamen paucis mensibus victoriam adeptus est et triumphum.

2. *Ptolemæum.* Nullum e Lagidis h. l. intelligi patet, tum quod illorum gens cum Cleopatra Auletæ filia, Dionysii et Ptolemæi pueri sorore, illa gens exstincta est, tum quod in Ægypto Lagidæ regnaverant, quam Africæ partem esse Romani dubitabant, certe Africam nunquam appellavere. Immo Africæ nomen hanc regionem nuncupavere, quæ a Mauris et Carthagine, Syrtes juxta porrecta, Cyrenæos tangit. Sermo est de Ptolemæo, Jubæ filio, et M. Antonii ex Selena filia nepote, ideoque Caio consobrino, qui a Caio propter ejus divitias, ann. U. C. 793, interfici jussus est. Sueton. Caligul. c. 26: « Ptolemæum de quo retuli, et accersitum regno, et acceptum honorifice, non alia de causa repente percussit, quam quod, edente se munus, ingressum spectacula convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. » Dio Cass. Hist. R. lib. LIX, cap. 25: Γάϊος δὲ ἐν τούτῳ τόν τε Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταπέμψας καὶ μαθὼν ὅτι πλουτεῖ, ἀπέκτεινε καὶ ἄλλους πολλοὺς μετ' αὐτοῦ. Item Zonaras: ὅδε καὶ τὸν Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταστειλάμενος ὡς πλουτοῦντα κἀκεῖνος ἀπέκτεινε. Augustus ei, ann. U. C. 724, Cleopatram (Dione auctore, lib. LI, c. 15, fin.) cujus cognomen fuit Selena (Suet. l. l.) nuptum locaverat. — *Mithridates* a Tiberio Armenia donatus, sed post a Caligula in vincula conjectus: mox vero in regnum, Claudio monente, remeavit.

ex his tristitia sequitur, si aut non successit, aut successus pudet.

1 XII. Circumcidenda est concursatio, qualis est magnæ parti hominum, domos, et theatra, et fora pererrantium. Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem de domo interrogaveris : Quo tu? quid cogitas? respondebit tibi : « Non » mehercule scio; sed aliquos videbo, aliquid agam. » Sine proposito vagantur, quærentes negotia : nec quæ destinaverunt, agunt, sed in quæ incurrerunt. Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis, per arbusta repentibus; quæ in summum cacumen, deinde in
2 imum inanes aguntur [1]. His plerique similem vitam agunt, quorum non immerito quis inquietam inertiam dixerit. Quorumdam, quasi ad incendium currentium, misereris : usque eo impellunt obvios, et se aliosque præcipitant! quum interim cucurrerint, aut salutaturi [2] aliquem non resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi, aut judicium sæpe litigantis, aut sponsalia sæpe nubentis, et lecticam assectati, quibusdam locis et ipsi tulerint; deinde domum cum supervacua redeuntes lassitudine, jurant nescisse se ipsos, quare exierint, ubi fuerint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Omnis
3 itaque labor aliquo referatur, aliquo respiciat. Non in-

Tacit. Annal. lib. XI, c. 8; Dio Cass. lib. LVIII, cap. 27, lib. LX, cap. 8. Alter (Ptolemæus) in exsilium missus et in via occisus est: proinde alter (Mithridates) optabat, etc.

XII. ARG. Actiones inutiles sunt ideo vitandæ, nec exprimendum vitæ genus eorum, qui aliena negotia captantes (Satageos Noster, Epist. 98; græce πολυπράγμονας : Ardeliones appellat Phædrus, lib. II, fabul. 5, vs. 1) nihil agunt et deridentur.

1. *Formicis..... aguntur.* Hæc contra historiam naturalem dicta esse, vix quemquam hujus historiæ curiosum fugiet. Jam Plinius, lib. XI, cap. 36, Bip. aliique ante eum et Senecam hoc docuerunt. Horat. lib. I, Satir. 1, vers. 33 : « Exemplo est magni formica laboris, etc. »

2. *Salutaturi.* Spectat hoc ad officia, quæ honoris causa patronis

dustria inquietos et insanos falsæ rerum imagines[1] agitant : nam ne illi quidem sine aliqua spe moventur ; proritat illos alicujus rei species, cujus vanitatem capta mens non coarguit. Eodem modo unumquemque ex his, qui ad augendam turbam exeunt, inanes et leves causæ per urbem circumducunt, nihilque habentem in quo laboret, lux orta expellit : et quum, multorum frustra liminibus illisus, nomenclatores persalutavit, a multis exclusus, neminem ex omnibus difficilius domi, quam se,
convenit. Ex hoc malo dependet illud teterrimum vitium, 4
auscultatio, et publicorum secretorumque inquisitio, et multarum rerum scientia, quæ nec tuto narrantur, nec tuto audiuntur. Hoc secutum puto Democritum[2], ita cœpisse ; « Qui tranquille volet vivere, nec privatim agat » multa, nec publice ; » ad supervacua scilicet referentem. Nam si necessaria sunt, et privatim et publice, non tantum multa, sed innumerabilia agenda sunt : ubi vero nullum officium solemne nos citat, inhibendæ actiones sunt.

XIII. Nam qui multa agit, sæpe fortunæ potestatem 1
sui facit : quam tutissimum est raro experiri, cæterum semper de illa cogitare, et sibi nihil de fide ejus promittere. Navigabo, nisi si quid inciderit : et prætor fiam, nisi si quid obstiterit : et negotiatio mihi respondebit,

aliisque proceribus præstabantur matutina salutatione, sæpe ne admissa quidem a nomenclatore, id est, servo, cujus et erat, salutantes excipere, et introducere. Et sequentia, ut funus quis prosequatur, amico in judicio adsit tamquam testis aut advocatus, etc. ad officia pertinent.

1. *Falsæ rerum imagines*. Gronov. e codicibus exclusit recte τὸ *sed* ante *falsæ*; antehac vulgo receptum.

2. *Democritum*. Abderitani philosophi locum e Stobæo jam adduximus ad lib. III, de Ira, cap. 6, 2. Cf. supra ad cap. 2, 3.

XIII. Arg. Democriti dictum explicare pergit ; asseveratque, nil unquam a viro sapiente, ut rem certam, destinandum ; et omnibus sive inceptis sive consiliis hasce clausularum formas addendas : Si Diis placuerit ; nisi quid obstiterit, etc.

2 nisi si quid intervenerit. Hoc est, quare sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere; non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus : nec illi omnia, ut voluit, cedunt, sed ut cogitavit; inprimis autem cogitavit, aliud posse propositis suis resistere. Necesse est autem levius ad animum pervenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non utique promiseris.

1 XIV. Faciles etiam nos facere debemus, ne nimis destinatis rebus indulgeamus : transeamus in ea, in quæ nos casus deduxerit; nec mutationes aut consilii aut status pertimescamus, dummodo nos levitas, inimicissimum quieti vitium, non excipiat[1]. Nam et pertinacia necesse est anxia et misera sit, cui fortuna sæpe aliquid extorquet : et levitas multo gravior, nusquam se conti-
2 nens. Utrumque infestum est tranquillitati, et nihil mutare posse, et nihil pati. Utique animus ab omnibus externis in se revocandus est : sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat, recedat, quantum potest, ab alienis, et se sibi applicet, damna non sentiat, etiam adversa benigne interpretetur. Nuntiato naufragio, Zeno[6] noster, quum omnia sua audiret submersa: «Jubet, inquit, me fortuna expeditius philosophari.» Minabatur Theodoro[7] phi-

XIV. Arg. Et pertinacia et levitas vitandæ sunt, ut tranquillitas animi conservetur.

1. *Transeamus..... excipiat.* Laudat ad hæc Lipsius (e Stob. lib. I, cap. 9, et pag. 16, Gesn. III Serm. pag. 83 et 79, Schow.) : Ἀριστοτέλης εἶπεν· « Ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα, ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι, ὡς γίνεται. » Deinde, ἐκ τομαρίων τοῦ Ἀριστωνύμου· Κυβερνήτου μὲν ἔργον ἀγαθοῦ εἰς τὰς τῶν πνευμάτων μεταβολὰς ἁρμόσσθαι, ἀνδρὸς δὲ σοφοῦ πρὸς τὰς τῆς τύχης. Antea hic legebatur ψυχῆς : τύχης recepit Schow. e codicibus.

2. *Zeno.* Cittiens. Mercator purpuram Tyro venalem in Græciam advehi jubens navis juxta Pyræeum fregit; atque annos triginta natus ad Cratetem se applicavit. Cf. Diogen. Laert. lib. VII, cap. 4 et 5; ibiq. Menagius et Casaub. qui nostrum locum non neglexerunt.

3. *Theodoro.* Philosopho Platonico et Cyrenaico; vixit circa Ol. CXX, præceptor Bionis. Cf. Fabric. Bibl. græc. Vol. III, pag. 189, 625. Cic. Tusc. Disp. lib. I, cap. 43 : « Quid?

losopho tyrannus mortem, et quidem insepultam. « Ha-
bes, inquit, cur tibi placeas : hemina sanguinis in tua
potestate est; nam quod ad sepulturam pertinet, o te
ineptum, si putas interesse, supra terram, an infra pu-
trescam! » Canus Julius, vir inprimis magnus, cujus ad- 3
mirationi ne hoc quidem obstat, quod nostro sæculo na-
tus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeunti
Phalaris ille dixit [1] : « Ne forte inepta spe tibi blandiaris,
» duci te jussi : » — « Gratias, inquit, ago, optime prin-
» ceps. » Quid senserit dubito : multa enim occurrunt
mihi. Contumeliosus esse voluit, et ostendere quanta
crudelitas esset, in qua mors beneficium erat? An ex-
probravit illi quotidianam dementiam? agebant enim
gratias, et quorum liberi occisi, et quorum bona ablata
erant. An tanquam libertatem libenter accepit? Quid- 4
quid est, magno animo respondit. Dicet aliquis : Potuit
post hæc jubere illum Caius vivere. Non timuit hoc Canus:
nota erat Caii in talibus imperiis fides. Credisne, illum
decem medios usque ad supplicium dies [2] sine ulla sol-
licitudine exegisse? verisimile non est [3], quæ vir ille
dixerit, quæ fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat

Cyrenæum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui quum Lysimachus rex crucem minaretur : Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis! Theodori quidem nihil interest, humine an sublime putrescat. » Tusc. Disp. lib. V, cap. 40, extr. « Theodorus Lysimacho, mortem minitanti : magnum vero, inquit, effecisti, si cantharidis vim assecutus es! » Hoc in nostro *hemina sanguinis*, id est, dimidius sextarius exprimit.

1. *Phalaris ille dixit.* Bene tyrannus ille Agrigentinus, de Ira, lib. II, cap. 5, 1, cum Caligula comparatur. Hinc facile *falleris*, quod vulgatos libros obtinet, ex. c. Erasm. oriri potuit. Regula tamen critica quoque tyrannum Siculum hic tuetur, qua difficiliorem librarii doctrinæ lectionem faciliori præferre jubemur. Lipsio igitur accedo.

2. *Decem....... dies.* Ex Tiberiano Senatusconsulto cautum erat, ut pœna damnatorum in decimum diem semper differretur. Sueton. Tib. cap. 75. Cf. Lipsium ad Tacit. Annal. lib. III, cap. 51.

3. *Verisimile non est.* H. e. vix credi potest, quam fortiter iste locutus sit, etc. sine interrogatione.

latrunculis [1], quum centurio, agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet [2]. Vocatus numeravit calculos, et sodali suo; « Vide, inquit, ne post mortem
5 » meam mentiaris te vicisse. » Tum annuens centurioni, « Testis, inquit, eris, uno me antecedere. » Lusisse tu Canum illa tabula putas? illusit. Tristes erant amici talem amissuri virum. « Quid mœsti, inquit, estis? Vos » quæritis, an immortales animæ sint: ego jam sciam. » Nec desiit in ipso veritatem fine scrutari, et ex morte sua quæstionem habere. Prosequebatur illum philosophus suus [3]: nec jam procul erat tumulus, in quo Cæsari [4] Deo nostro fiebat quotidianum sacrum. « Quid, in» quit, Cane, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? » — « Observare, inquit Canus, proposui illo velocissimo » momento, an sensurus sit animus exire se. » Promisitque, si quid explorasset, circumiturum amicos, et
6 indicaturum quis esset animarum status [5]. Ecce in media tempestate tranquillitas! ecce animus æternitate dignus,

1. *Latrunculis*. Quodnam hic dicatur genus ludi, ambiguum est. Hunc quidam volunt qui hodie schacchia, *des échecs*, vocatur. In ludo tamen schacchico nostro non tam id quæritur, quot latrones (*officiers et pions*) tibi restent, sed quinam sit ludi status, etc. igitur de numerandis calculis sermo esse ibi nequit. Convenit proinde melius in nostrum *jeu de dames*, in quo numeri major saltem ratio haberi solet. Cf. Gesner. ad Chrestom. Vid. et Plin. lib. XV, cap. 23, pag. 153, sq. inprimis Ernesti Clav. Cicer. ad voc. Scriptorum ludus, ubi saniora traduntur.

2. *Illum quoque excitari* Gron. e codd. et edd. priscis dedit. Antea *et illum citari*. Parum tamen refert, utrum præferas.

3. *Philosophus suus*. De hoc more romano quædam adnotabimus in Consol. ad Marc. cap. 4, 1. Conferre potes et Ernestium qui lineas disputationis de hac re ducit. Exc. XV, ad Sueton. Tiber. cap. 46.

4. *Cæsari*. Caligulæ. Dio Cass. lib. LIX, capp. 26 et 28.

5. *Promisitque, si quid explorasset.... status*. Et quidem vanum non omnino fuisse hoc promissum, narrat Plutarch. ap. Syncellum, pag. 330 (qui tamen locus fugit P. *Bayle*, *Dictionn. histor. et crit.* lib. I, pag. 603, a.); Antiocho enim Seleuciensi (fortasse suo philosopho) de nocte per somnium apparuisse Canum, eique exposuisse τὰ περὶ διαμονῆς τῆς ψυχῆς καὶ καθαρωτέρου φωτὸς μετὰ τὴν ἔξοδον.

qui fatum suum in argumentum veri vocat, qui in ultimo illo gradu positus exeuntem animam percontatur, nec usque ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte discit! Nemo diutius philosophatus! sed non raptim relinquetur magnus vir, et cum cura dicendus: dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianæ cladis magna portio [1]!

XV. Sed nihil prodest privatæ tristitiæ causas abje- 1
cisse. Occupat enim nonnunquam odium generis humani,
et occurrit tot scelerum felicium turba, quum cogitave-
ris quam sit rara simplicitas, quam ignota innocentia,
et vix unquam [2], nisi quum expedit, fides, et libidinis
lucra damnaque pariter invisa, et ambitio usque eo jam
se suis non continens terminis, ut per turpitudinem
splendeat. Agitur animus [3] in noctem, et velut eversis
virtutibus, quas nec sperare [4] licet, nec habere prodest,
tenebræ oboriuntur. In hoc itaque flectendi sumus, ut 2
omnia vulgi vitia non invisa nobis, sed ridicula videan-
tur: et Democritum potius imitemur, quam [5]Heraclitum.
Hic enim quoties in publicum processerat, flebat; ille
ridebat. Huic omnia quæ agimus, miseriæ; illi ineptiæ

1. *Caianæ cladis........ portio.* Ingentium damnorum, quæ Caligula orbi intulit, tu unus magna pars!

XV. Arg. Odio generis humani abjecto et fastidio rerum humanarum evitato, vanitates æquo animo sunt ferendæ: nec bonorum exitu malo contristemur. Deinde continua simulatio et observantia sui vitanda. Otium, somnus, festi dies, etc. refectioni adhibeantur.

2. *Et vix unquam* occurrit *fides*, nisi cum utilitate sit conjuncta: tum occurrunt *libidinis lucra damnaque*, i. e. homines, qui voluptatibus illicitis divitias sibi pepererint profuderintve.

3. *Agitur animus.* Eorum animus qui hæc viderint et cogitaverint, mox fit mœstus et exosus genus humanum. Poetice hæc expressa sunt, nisi e poeta quodam desumpta.

4. *Sperare* in aliis, *habere* in se ipso.

5. *Democritum........ Heraclitum.* Conf. quæ jam diximus ad lib. II, de Ira, c. 10, 2. Juven. Sat. x, 32, postquam de utriusque ingenio in ὑπερβολὰς ita effuso exposuit, de altero mox addit: « Sed mirandum unde ille oculis suffecerit humor! »

videbantur. Elevanda ergo omnia [1], et facili animo ferenda : humanius est deridere vitam, quam deplorare.
3 Adjice, quod de humano quoque genere melius meretur qui ridet illud, quam qui luget. Ille et spei bonæ aliquid relinquit : hic tamen stulte deflet, quæ corrigi posse desperat; et universa contemplatus, majoris animi est, qui risum non tenet, quam qui lacrimas, quando levissimum affectum animi movet, et nihil magnum, nihil severum, nec serium quidem, ex tanto apparatu putat. Singula, propter quæ læti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, et sciat verum esse, quod Bion [2] dixit : « Omnia hominum negotia similia mimicis [3] esse, nec » vitam illorum magis sanctam aut severam esse, quam
4 » conceptus inchoatos. » Sed satius est, publicos mores et humana vitia placide accipere, nec in risum, nec in lacrimas excidere. Nam alienis malis torqueri, æterna miseria est : alienis delectari malis, voluptas inhumana; sicut illa inutilis humanitas, flere, quia aliquis filiam efferat, et frontem suam fingere [4]. In tuis quoque malis

1. *Elevanda ergo omnia*. Coneris ut *leviora* omnia fiant, quæ pati necesse est, siquidem « Durum, sed *levius* fit patientia Quidquid corrigere est nefas. » Horat. lib. I, Od. XXIV, vss. penult. et ultim. *Elevare* est enim *minuere* et quasi *levare*, *sublevare, allevare*. Cicer. de Invent. lib. I, cap. 78 : « Reprehensio est per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut *elevatur*. » Item Tuscul. lib. III, cap. 24 : « Nihil est quod tam obtundat *elevet*que ægritudinem, quam, etc. » Persius, Satir. I, vs. 5 : « Non, si quid turbida Roma Elevet, accedas. »

2. *Bion*. Conf. supr. ad cap. 8, 2. Ubi tamen hæc comparatio scriptoris æstimati in antiquitate occurrerit, e fragmentis ejus colligi nequit : neque hæc ipsa, quantum sciam, usquam græce nunc exstat. Cæterum cf. var. lect.

3. *Mimicis*. Hæc lectio debetur Pinciano, cui et Lipsius et Gatak. ad Antonin. pag. 389, 10, assentiuntur. Plerique Mss. *initiis*; alii *nuptiis*. Reliqua tamen sensu idoneo carent : *quam conceptus inchoatos* : quæ quidem lectio facta est e script. codd. *conceptus nihilo natos*; aut, *conceptum nihilo natum*. Hariolationibus non indulgeo, exspectans meliores codd.

4. *Frontem suam fingere*. Nempe in tristitiæ speciem; quod omnes fere faciunt, vel minime condolentes.

id agere te oportet, ut dolori tantum des quantum poscit
ratio, non quantum consuetudo. Plerique enim lacrimas
fundunt, ut ostendant; et toties siccos oculos habent,
quoties spectator defuit [1]: turpe judicantes non flere,
quum omnes faciant. Adeo penitus [2] hoc se malum fixit, 5
ex aliena opinione pendere, ut in simulationem etiam
simplicissima res, dolor, veniat! Sequitur pars, quæ so-
let non immerito contristare, et in sollicitudinem addu-
cere [3], ubi bonorum exitus mali sunt. Ut Socrates cogi-
tur in carcere mori, Rutilius [4] in exsilio vivere, Pom-
peius [5] et Cicero [6] clientibus suis præbere cervicem, Cato
ille, virtutum viva imago, incumbens gladio, simul de
se ac de Republica palam facere [7]. Necesse est torqueri, 6
tam iniqua præmia fortunam persolvere; et quid sibi
quisque nunc speret, quum videat pessima optimos pati?
Quid ergo est? vide quomodo quisque illorum tulerit:
et si fortes fuerunt, ipsorum illos animos desidera; si
muliebriter et ignave periere, nihil periit. Aut digni
sunt, quorum virtus tibi placeat: aut indigni, quorum
desideretur ignavia. Quid enim est turpius, quam si

1. *Toties siccos oculos habent quoties spectator defuit.* Non absimiliter Martialis, lib. I, epigram. XXXIV, vs. 4: « Amissum non flet, quum sola est, Gellia patrem; Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrimæ. Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit; Ille dolet vere qui sine teste dolet. »

2. *Adeo penitus*, etc. Similis locutio apud Martialem est, lib. I, epigr. XC: « Adeone penitus sedit hic tibi morbus, Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes? »

3. *Sollicitudinem* dedit Gronovius e codd. ap. Grut. recte. Antea *solitudinem*, inepte.

4. *Rutilius*. Vid. infra Consol. ad Marc. lib. XXII, 2.

5. *Pompeius*. Sermo est forsan de Ptolemæo puero (Dionysii fratre, Auletæ filio) cui quodammodo cervicem Pompeius tradidit, quippe qui illo imperante occisus est. At tradidit, qui cliens ejus erat, patre (Ptolemæo Aulete, sive XI), per Gabinium auctore Pompeio in regnum restituto. Malim ego cum Lipsio intelligere de Septimio, qui olim ordines sub eo duxerat.

6. *Cicero*. Popillio cervicem præbuit, quem defenderat.

7. *Palam facere*. Utrumque uno eodemque tempore periisse. Cf. Ep. CIV.

maximi viri timidos fortiter moriendo faciunt? Laudemus toties dignum laudibus, et dicamus: Tanto fortior, tanto felicior, humanos effugisti casus, livorem, morbum! existi ex custodia! non tu dignus mala fortuna Diis visus es, sed indignus in quem jam aliquid fortuna
7 posset! Subducentibus vero se, et in ipsa morte ad vitam respectantibus manus injiciendæ sunt[1]. Neminem flebo lætum, neminem flentem; ille lacrimas meas ipse abstersit: hic suis lacrimis effecit, ne ullis dignus sit. Ego Herculem fleam, quod vivus uritur[2], aut Regulum, quod tot clavis configitur, aut Catonem, quod vulnera sua fortiter tulit[3]? Omnes isti levi temporis impensa[4] invenerunt quomodo æterni fierent: ad immortalitatem
8 moriendo venerunt. Est et illa sollicitudinum non mediocris materia, si te anxie componas, nec ulli simpliciter ostendas: qualis multorum vita est, ficta, et ostentationi parata. Torquet enim assidua observatio sui, et deprehendi aliter, ac solet, metuit: nec unquam cura solvimur, ubi toties nos æstimari putamus, quoties adspici. Nam et multa incidunt, quæ invitos denudent: et ut bene cedat tanta sui diligentia, non tamen jucunda vita, aut secura est, semper sub persona[5] viventium.

1. *Manus injiciendæ sunt.* Vi abigendi seu pœna afficiendi sunt illi timidi homines.

2. *Herculem...... uritur.* In monte Œta. Vid. Sophocl. Trachin. Sen. Trag. Herc. Œtæum. Cf. Apollod. lib. II, cap. 7, 7.

3. *Vulnera sua fortiter tulit.* Lectio est bona Mss. et editt. fere omnium. Muretus dederat e conj. *quod vulnus suum iteraverit?* (respiciens ad Senec. Ep. 24, post init. et Plutarc.) Lipsius emendat: *quod vulnera sibi fortiter intulit?* Trillerus (Obss. crit. pag. 140) proponit ......*fortiter rupit?* Sed his meris conjectaneis supersedebimus, lectione vulgata et salva et bonum sensum fundente. Nonne enim is, qui vulnus, quod sibi ipse intulerat, et deinde a medico obligatum ruperat, *fortiter tulisse* dicendus est?

4. *Impensa.* Quatenus sibi ipsi mortem consciverunt, ideoque vitæ sibi reliquæ jacturam fecerunt.

5. *Sub persona.* Ut histrio, quocum sæpe homines comparantur. Cf. Gatak. ad Anton., pag. 389, sq. 438.

At illa quantum habet voluptatis sincera et per se ornata 9
simplicitas, nihil obtendens moribus suis? Subit tamen et hæc vita contemptus periculum, si omnia omnibus patent; sunt enim qui fastidiant, quidquid propius adierunt[1]. Sed nec virtuti periculum est, ne admota oculis revilescat : et satius est simplicitate contemni, quam perpetua simulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus; multum interest, simpliciter vivas, an negligenter. Multum et in se recedendum est; conversatio enim dissimilium bene composita disturbat[2], et renovat affectus, et quidquid imbecillum in animo, nec percura-
tum est, exulcerat. Miscenda tamen ista, et alternanda 10
sunt, solitudo et frequentia. Illa nobis faciet hominum desiderium, hæc nostri : et erit altera alterius remedium; odium turbæ sanabit solitudo, tædium solitudinis turba. Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens est,
sed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates[3] ludere 11
non erubescebat : et Cato[4] vino laxabat animum, curis publicis fatigatum : et Scipio[5] triumphale illud et militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus[6]; sed ut illi antiqui viri solebant, inter

1. *Propius adierunt.* Sic apud nos : Il n'est point de héros pour son valet de chambre.

2. *Conversatio disturbat.* Consilia bona corrumpuntur conversatione malorum hominum. De Ira, III, 8.

3. *Socrates.* Narrat etiam Valer. Maxim. lib. VIII, cap. 8, ib. Intpp.

4. *Cato.* De Catone Uticensi intelligas Nostrum, Plutarcho fretus. Locus Horat. Od. III, XXI, 11, huc non spectat, sed ad Catonem Majorem.

5. *Scipio.* Africanus. Quædam de hac re attigit Liv. lib. XXIX, cap. 19, sq. Et copiosius Cicero de Orat. lib. II : « Non audeo dicere de talibus viris Scipione et Lælio; sed tamen ita solet narrare Scævola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum legere consuevisse, et ad omnem animi remissionem ludumque descendere. » Ad quod Horatius respicit, lib. II, sat. 1, vs. 71 : « Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Læli, Nugari cum illo, et discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. »

6. *Ut nunc mos..... fluentibus.* At-

lusum ac festa tempora, virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus suis spectarentur. Danda est remissio animis : meliores acrioresque requieti surgent. Ut fertilibus agris non est imperandum ; cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas : ita animorum impetus assiduus labor frangit.
12 Vires recipient paullum resoluti et remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quædam, et languor : nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quamdam voluptatem haberet lusus jocusque, quorum frequens usus omne animis pondus omnemque vim eripiet. Nam et somnus refectioni necessarius est : hunc tamen si per diem noctemque continues, mors erit [1]. Multum interest, remittas aliquid, an solvas. Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur [2]; tanquam necessa-
13 rium laboribus interponentes temperamentum. Et magni, ut didici [3], viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant : quidam nullum non diem inter et otium et curas dividebant; qualem Pollionem Asinium [4], oratorem magnum, meminimus, quem nulla res ultra [5] decimam

tigit Nat. Q. lib. VII, cap. 31. Cantandi et saltandi obscœna studia effœminatos tenent, ait Seneca pater, et mollitie corporis certare cum fœminis, nostrorum adolescentium specimen est. Jam Horatii tempore hic mos saltationibus ionicis, i. e. obscœnis, ad libidines excitandas aptis delectandi, ex quo puellæ ionicæ Romanis proceribus in deliciis esse cœpere, Romæ invaluit. Mox eas imitatæ sunt romanæ puellæ et ipsi viri. Horat. Od. III, 6, 21, ib. Intpp. inprimis Bœttiger.

1. *Nam et somnus...... mors erit.* Lipsius laudat Platon. de Legg. lib. VII, pag. 361, Bip. Tom. VIII, Bip. ubi eadem sententia occurrit.

2. *Cogerentur.* Congregarentur.

3. *Didici.* Recepi in textum hanc Lipsii conjecturam. Antea *dixi;* at nusquam *dixerat.*

4. *Pollionem Asinium.* Orator ille celeberrimus fuit, et amplissimis functus est honoribus ; et distinguendus est a Vedio Pollione.

5. *Decimam.* Quartam horam post meridianam, ex nostro more loquendi, cœnæ et curæ corporis apud Romanos destinatam.

retinuit; ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid novæ curæ nasceretur : sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interjunxerunt [1], et in postmeridianas horas aliquid levioris operæ distulerunt. Majores quoque nostri [2] novam relationem, post horam decimam, in senatu fieri vetabant. 14
Miles vigilias [3] dividit, et nox immunis est ab expeditione redeuntium. Indulgendum est animo; dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit : et in ambulationibus apertis vagandum, ut cælo libero et multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando vectatio iterque et mutata regio vigorem dabunt, convictusque et liberalior potio : nonnunquam et usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat [4]. Eluit 15
enim curas, et ab imo animum movet : et ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur : Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inventor vini, sed quia liberat servitio curarum animum, et asserit, vegetatque et audaciorem in omnes conatus facit. Sed ut libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem [5], Arcesilaumque [6] indulsisse vino credunt. Catoni ebrietas objecta est [7] : facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen

1. *Interjunxerunt*. Scil. se a gravioribus laboribus : ab aurigis metaphora sumpta est; qui interjungunt, quum quiescunt leviter et pausant. Senec. Ep. LXXXIII.

2. *Majores nostri.... vetabant*. Vel ut corpora curarent, vel quia Senatus consultum post occasum solis factum nec ratum quidem erat. Aul. Gell. Nat. Att. 14, 7.

3. *Vigilias*. In quaternas; et eas singulas trium horarum.

4. *Deprimat*. Avocet animum ab intentione nimia et curis altioribus.

5. *Solonem*. Ipse de se canit : Ἔργα δὲ Κυπρογενοῦς νῦν μοι φίλα, καὶ Διονύσου, Καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας. Brunk. Gnomici poet. græc. pag. 73, 11.

6. *Arcesilaumque*. Academicum. Diog. Laert. lib. IV, cap. 41, sq.

7. *Catoni ebrietas objecta est*. Utri? majorine, an Uticensi. Certe Flaccus Carm. lib III, Ode XXI, v. 11, 12. «Narratur et prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus.» Sed Plutarchus conviviis duntaxat eum delectatum scribit lautioribus et copiosioribus. Hæc

honestum, quam turpem Catonem. Sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat : et aliquando tamen in exsultationem libertatemque extra-
16 hendus, tristisque sobrietas removenda paulisper. Nam, sive græco poetæ [1] credimus, « Aliquando et insanire jucundum est » : sive Platoni [2], « Frustra poeticas fores compos sui pepulit » : sive Aristoteli [3], « Nullum ma-

sunt verba. Ἦν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν ἀγρῷ δαψιλέστερον· ἐκάλει γὰρ ἑκάστοτε τῶν ἀγρογειτόνων καὶ περιχώρων τοὺς συνήθεις, καὶ συνδίηγεν ἱλαρῶς οὐ τοῖς καθ' ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγένεσθαι καὶ ποθεινὸς, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις. At idem de minore Catone.

Προϊόντι δὲ τῷ χρόνῳ μάλιστα προσέτο τῷ πίνειν ὥστε πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον, κ. τ. λ... Διὸ καὶ Μεμμίου τινὸς ἐν συλλόγῳ φήσαντος, ὅλας τὸν Κάτωνα μεθύσκεσθαι τὰς νύκτας, ὑπολαβὼν ὁ Κικέρων, Ἐκεῖνο δὲ οὐ λέγεις, εἶπεν, ὅτι καὶ τὰς ἡμέρας ὅλας κυβεύει. De illo igitur libentius intelligam. Et credendum quidem ad hanc Memmii objurgationem quam retundit Tullius, Nostrum respexisse. Cæterum de Catone hoc vulgatum esse testatur et Martialis, lib. II, Epigr. LXXXIX, vss. 1 et 2 (nost. edition. Tom. I, pag. 256) : « Quod nimio gaudes noctem producere vino, Ignosco : vitium, Gaure, Catonis habes. » Cf. et Plin. lib. III, Epist. XII.

1. *Græco poetæ*. Lipsius laudat illud Anacreontis, Od. XXXI :

Ἄφες με τοὺς θεοὺς σοι
Πιεῖν, πιεῖν ἀμυστί.
Θέλω, θέλω μανῆναι.
Ἐμαίνετ' Ἀλκμαίων τε
Χ' ὠ λευκόπους Ὀρέστης
Τὰς μητέρας κτανόντες.
Ἐγὼ δὲ μηδένα κτὰς,
Πιὼν δ' ἐρυθρὸν οἶνον,
Θέλω, θέλω μανῆναι.

Quod Anacreonteo ἑφθημιμερεῖ et Latine sic redditum est :

Liceat meri profundos,
Liceat bibam trientes!
Furere hunc juvat furorem.
Eriphylides furebat
Madidus cruore matris;
Gladios in ora matris
Pepulit furens Orestes.
Roseo madens liquore
Ego, non cruore sacro,
Furere hunc volo furorem.

Unde credendus est Horatius desumpsisse, lib. III, Od. XIX, vs. 18 : « Insanire juvat; » et lib. IV, Od. XII, vs. ultim. « Misce stultitiam consiliis brevem; Dulce est desipere in loco. » et lib. II, Od. VII : « Recepto Dulce mihi furere est amico. »

2. *Platoni*. Locus exstat in Phædro (T. X, pag. 317, a. Bip.) : Ὃς δ' ἂν ἄνευ Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.

3. *Aristoteli*. Lipsius laudat Stagiritæ hunc locum : Cur homines, qui ingenio claruerunt, vel in studiis philosophiæ, vel in republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuisse videmus. » (Aristot. Problem. sect. 30, Quæst. I, pag. 815, B, tom. 2, edit. Paris. 1629.) Quo respexit Cic. Tusc.

» gnum ingenium sine mixtura dementiæ fuit[1] ». Non potest grande aliquid et supra cæteros loqui nisi mota mens. Quum vulgaria et solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior[2], tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali[3]. Non potest sublime quidquam et in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. Desciscat oportet a solito, et efferatur, et mordeat frænos, et rectorem rapiat suum : eoque ferat quo per se timuisset [4]escendere.

Habes, Serene carissime[5], quæ possint tranquilli-

Dispp. lib. I, cap. 33, ubi confer. Intpp.

1. *Nullum magnum ingenium...... fuit.* Et propterea sane furere Prophetæ et Poetæ dicebantur apud Antiquos : et nos nulla non die vernacula lingua poeticum calorem appellamus *délire.* Comicus non inglorius *Piron*, *Métromanie*, Act. III, sc. VII, vs. 129.

> ...... Eh bien ! faisons comme eux ;
> Ils nous ont dérobé, dérobons nos neveux ;
> Et, tarissant la source où puise un beau délire,
> A la postérité ne laissons rien à dire.

Et lyricæ poeseos princeps inter recentiores *Lebrun* :

> Ce n'est point en vain que ma lyre
> Préludait à la liberté
> Dans son prophétique délire.

1. *Instinctuque sacro surrexit excelsior.* Auferend. cas. hoc loco ne putes ob comparat. *excelsior* usurpatum, sed quasi scriberetur *propter instinctum*, etc. Cæterum instinctus non id designat quod gallica lingua nos *instinct* diximus, sed hanc stimulationem innuit qua interius commoti in nova et inopinata abripimur, mentis nostræ jam non satis compotes; vel a græcis vocibus ἐν *in* (quasi ἐνδοῖ, *interius* et σ̓τίζειν, *pungere*), derivatur ; et poeticus furor utraque lingua œstrum dicitur. Porro οἶσ̓ρος principio ἔντομον ζῶον fuit, cui Latini *asyli* nomen inditum (Virg. Æneid. lib. VIII, vs. 342 ; qualis ille fuit qui Ioni in vaccam versæ tot mala addidit. Æschyl. Prometh. vinct. v. 544 ; Act. IV, sc. 1 : Χρίει τις αὖ με τάλαιναν οἶστρος, Εἴδωλον Ἄργου γηγενοῦς, ἄλευ, ' ὦ δᾶ ! Et mox : Τί ποτέ μ', ὦ Κρόνιε παῖ, τί ποτε, Τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑρὼν Ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοναῖσιν ; ἒ, ἒ· Οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν παρακόπον ὧδε τείρεις ; tum : Πῶς οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου Τῆς Ἰναχείης, ἣ Διὸς θάλπει κέαρ Ἔρωτι ; et μυριάκις dehinc.

13. *Quum vulgaria....... mortali.* Cic. Nat. Deor. lib. II, cap. 66. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit.

1. *Escendere.* Vox rara quidem, quam tamen neque inelegantem facile judicabis et optimæ notæ scriptoribus usurpatam bene animadvertit Lipsius, in Taciti Ann. lib. XIII, c. 5 : «Escendere suggestum»; et Ann. XV, cap. 59, « escendere rostra. » Cui tamen Nostri locum non allegatum esse miror. Cæterum *escendere* idem fere est cum τῷ *ascendere ;* aliquid tamen huic verbo acuminis addit, dum ex alio loco innuit nos progredi et in altiora pedetentim evadere. Non absimilis gallica vox *grimper.*

1. *Habes, Serene carissime*, etc. A linea hancce φράσιν incipere volui ; nam diversus plane sensus est, et ab

tatem tueri [1], quæ restituere, quæ surrepentibus vitiis resistant. Illud tamen scito, nihil horum satis esse validum, rem imbecillam servantibus, nisi intenta et assidua cura circumeat animum labentem.

his longe recedit quæ precedunt. Conclusio est, clausula, et, si non ἀνακεφαλαίωσις, certe ἐπίλογος totius libri. Distinguendum igitur omnino et separandum id fuit.

1. *Quæ possint tranquillitatem.... restituere.* Duo hic annotanda sunt quæ jam (de Ira, I, 16; II, 19, 21) nos advertimus, nempe et illa indicari quæ sanitatem, si valeas, servant, et ista quæ morbum, si ægrotaveris, amoveant; vel, ut verbis aliis ego utar, hæc medicinæ pars quæ proprie medicina nuncupatur, et hæc quam ὑγιείην (*hygiène*) vocant.

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD SENECÆ LIBRUM

DE TRANQUILLITATE ANIMI.

Qu'est-ce que la tranquillité de l'ame? Comment la perdons-nous? Comment pouvons-nous la recouvrer?

Ce traité est adressé à Sérénus, capitaine des gardes de Néron, ami de Sénèque, qui se reprocha dans la suite l'excessive douleur que sa mort lui causa. Pline nous apprend que Sérénus périt avec tous ses convives empoisonnés par des champignons.

On présume que cet ouvrage est un des premiers écrits de Sénèque; qu'il le composa peu de temps après son retour de la Corse; qu'il ne jouissait pas encore d'une grande opulence, et qu'il était mal affermi dans la philosophie, bien qu'il eût adressé à Marcia et à Helvia des consolations qui ne sont pas d'un stoïcien néophyte, et qu'il eût donné des leçons publiques de Zénonisme.

Il se montre ici flottant entre l'obscurité de la retraite et l'éclat des fonctions publiques. La fortune l'éblouit, le désir d'une grande réputation le tourmente, il le sent, il s'en accuse : il se relègue dans la classe de ceux qui oscillent entre le vice et la vertu, et qui ne sont ni assez corrompus pour être comptés parmi les méchans, ni assez vertueux pour être comptés parmi les bons. On est charmé de la franchise avec laquelle il dévoile le fond de son cœur. Il dit : « J'ai des vices qui m'attaquent à » force ouverte; j'en ai qui épient le moment de me surprendre, » espèces d'ennemis avec lesquels on ne peut ni se tenir en ar- » mes, comme dans les temps de guerre, ni jouir de la sécurité,

» comme pendant la paix. Je suis économe, simple dans mon » vêtement, frugal ; cependant le spectacle du faste et de l'opu» lence m'en impose ; je m'en sépare, sinon corrompu, du » moins triste ; je doute si le palais d'où je sors n'est pas le do» micile du bonheur. Je ne suis pas dans les horreurs de la » tempête, mais j'ai le mal de mer ; je ne suis pas malade, » mais je ne me porte pas bien. »

Le stoïcien était valétudinaire toute sa vie ; sa philosophie trop forte était une espèce de profession religieuse qu'on n'embrassait que par enthousiasme, où l'on faisait vœu d'apathie, et sous laquelle on restait de chair, avec quelque zèle qu'on travaillât à se pétrifier. Sénèque se désespère d'être un homme.

Mais d'où lui venait sa perplexité ? Son ame avait-elle été brisée par la longueur et la dureté de son exil ? L'horreur des antres de la Corse avait-elle embelli à ses yeux les palais des grands ? la solitude dans laquelle il avait passé huit années, donné de nouveaux charmes à la société ? et les rochers arides et déserts aiguisé les attraits de la capitale ? ou le rôle d'Hercule, au sortir de la forêt de Némée, entre le chemin qui conduit à la gloire et celui qui mène au plaisir, nous serait-il commun à tous ? Je n'en doute pas. Entre tant de pygmées, pas un qui n'ait éprouvé l'agonie d'Hercule, et qui ne se soit trouvé *al bivio*. Quelque parti que prenne Sénèque, ce ne sera point l'adulation de lui-même qui le perdra.

Ce traité offre d'excellentes réflexions sur l'emploi de son temps et de son talent ; sur l'essai de ses forces ; sur la vanité des richesses, lorsqu'on voit un affranchi de Pompée plus opulent que son maître ; sur la résignation aux peines de son état et aux traverses de la vie ; et cette morale est toujours relevée par des anecdotes intéressantes.

Caligula dit, par forme de conversation, à Canus Julius : « A propos, j'ai donné l'ordre de votre supplice..... » Julius lui répond : « Je vous rends grâces, prince très-excellent. »

Il jouait aux échecs, lorsque le centurion arriva. « Au moins, » dit-il à son adversaire, n'allez pas, après ma mort, vous vanter » de m'avoir gagné..... » et à ses amis : « Ce grand problême de

» l'immortalité des ames, dont vous avez tant disputé, dans un » moment il sera résolu pour moi. »

Le philosophe qui l'accompagnait au lieu du supplice, lui ayant demandé, au moment où la hache était levée sur son cou, à quoi il pensait : « J'épie, lui répondit-il, à cet instant si court » de la mort, si mon ame apercevra sa sortie du corps..... » On n'a jamais philosophé si long-temps.

Depuis le siècle de Néron jusqu'à nos jours, les sectateurs de la doctrine d'Épicure n'ont cessé de nous montrer un des leurs, appelant la mollesse et les plaisirs à ses derniers instans, et allant à la mort avec la même nonchalance qu'il aurait continué de vivre. Certes, je n'ai garde de blâmer la manière facile dont le voluptueux Pétrone mourut ; mais je trouve autant de fermeté, autant d'indifférence et plus de dignité dans la mort de Canus Julius. Était-il possible de porter le mépris ou pour la vie, ou pour l'empereur, ou pour l'un et l'autre, au delà de ce qu'il en a mis dans sa réponse à Caligula? A-t-on jamais exprimé ce mépris d'une manière plus simple et plus fine? Pétrone est à table ; il se fait lire des vers en mourant. Julius, en attendant le centurion, s'amuse à jouer aux échecs. Quoi de plus tranquille et même de plus gai que ses discours à son adversaire et à ses amis?

Pour un disciple d'Épicure qui sait accepter la mort quand elle vient, Zénon peut en citer nombre des siens qui n'ont pas hésité d'aller au devant d'elle.

Mais, à parler vrai des uns et des autres, chacun d'eux se soumit à la nécessité selon ses principes et son caractère.

Si vous lisez le traité de Sénèque, combien cet extrait vous paraîtra court et pauvre ! Il y montre une grande connaissance du cœur de l'homme et des différens états de la société. Ici, il peint l'ambitieux qui se résout à des actions malhonnêtes, et qui s'afflige de s'être déshonoré sans fruit, lorsque le succès n'a pas répondu à ses viles et sourdes intrigues. Là, c'est le même personnage qui s'enfonce dans la retraite où l'envie dont il est dévoré, fait des vœux pour la chute de ses rivaux. Il semble qu'il ait vécu parmi nous, qu'il ait interrogé, et qu'il ait en-

tendu répondre un de nos oisifs excédé de fatigue et d'ennui. — Quel est votre projet du jour? — Ma foi, je n'en sais rien; je sortirai, je verrai du monde, et je deviendrai ce qu'on voudra.

C'est, je crois, dans le même traité qu'il dit de Diogène : « que celui qui doute de son bonheur, peut aussi douter de » la félicité des dieux, qui n'ont ni argent, ni propriété..... » ni besoins.

L. ANNÆI SENECÆ
DE CONSTANTIA
SAPIENTIS,

SIVE

QUOD IN SAPIENTEM NON CADIT INJURIA,

AD ANNÆUM SERENUM.

LIBER UNUS.

ARGUMENTUM.

I, II. A laudibus Stoicorum orditur, quos eo nomine præfert cæteris omnibus philosophis, quod non molliter et blande, sed viriliter agunt, et nos eo ducere tentant, ut supra omnem fortunam emineamus. Jam mentione M. Catonis facta et objectione injecta: Nonne Cato contumeliis affectus, verberibus et sputis? transit ad paradoxon Stoicorum tractandum: sapientem non affici injuria. III, IV. Ab hac objectione tam adversus hoc dogma, quam adversus reliqua Stoicorum decreta rigidiora, ingreditur in materiem, et docet, Catonem injuriis non esse affectum: fuit enim sapiens, in quem nulla injuria cadit. Quod tamen ea mente dici ait Noster, non ut omnino non fiat, sed ut eam non admittat. Feritur quidem sapiens, sed non læditur, quippe qui intactus et impenetrabilis est injuriis et contumeliis. V.—VII. Dividit deinde dicenda in duas partes, idque a discrimine Injuriæ et Contumeliæ. Priore autem negat illam cadere in sapientem, posteriore nec hanc. Quod ad injuriam pertinet, ea malum est, quod in sapientem cadere nequit. Injuria detrahit et diminuit: sapienti autem nihil eripitur, quippe qui in se habet omnia reposita, ideoque extra injuriam et fortunæ ludibria positus est, ut Stilpo philosophus. VIII. Fortis ab infirmo non læditur: non ergo a malitia virtus. Refellit deinceps objectionem: Atqui Socrates nonne injuria damnatus est? ita ut dicat, hoc sine injuria factum esse. Inimici quidem intulerunt injuriam, sed ille non accepit, sapientia ejus rejecit. Qua in re similis est ejus, qui veneni ipsi dati vim antidoto infringit, sive, qui scelus non patitur, quod alius ei facere tentat. IX, X. Injuria cum injustitia mixta est e quibus neque hæc, neque illa in sapientem cadit. Sapienti nemo prodest, ergo non lædit. Quum injuria aut a spe, aut a metu proficiscatur, sapiens neutro eorum tangitur. Injuriam denique nemo immota mente accipit: quæ quum sine perturbatione et ira esse nequit, et illa caret sapiens, ut qui tam ira, quam perturbatione caret. Usui autem est sapienti injuria, per quam experimentum sui capit, et virtutem tentat. Concludit hanc priorem tractationis partem adhortatione ad dogma hoc animis accipiendum. Altera pars circa contumeliam tota versatur. Ac primum explicat, quid proprie sit calumnia, quam a sapiente alienam esse docet, seu a sapiente arcet, quia sapiens magnitudinem suam novit, ideo contumelia ad eum non pertinet, quippe quam nomen et rem a contemptu habere putat. XI, XII. Quum nemo nisi superbus et insolens contumeliam infert, sapiens tales spernit. Nemo majorem atque meliorem se contemnit: is autem est sapiens. Ergo in se dicta ridet, ut in conviviis joculos puerorum. Sed quid? fert igitur hæc omnia sapiens? non castigat aut compescit? Immo facit interdum, sicut illos ipsos pueros castigare solemus: non quia malum ille sapiens acceperat ab iis, sed quia fece-

runt, et ut desinant facere. XIII, XIV. Neque tamen hanc animi firmitatem alienam a viro sapiente esse credere licet, quum et in aliis eam animadvertamus : exempli causa, in medico, qui phreneticis non irascitur. Scit enim sapiens, omnes alios homines, qui non e præceptis philosophiæ vivant, insanire, et ideo esse ægros. Idcirco nec irascitur, nec movetur contumeliis potentiorum, ditiorumque, aliorumque, exemp. caus. mulieris, luxu et mollitie diffluentis ejusdemque imprudentis. XV. Jam mixtim utramque, et injuriam, et contumeliam refutat. Nam quum securitas propria est sapientis, illa carere debet, si alterutram accipit, aut accipere potest. Simile et Epicurei præceperant, sed minus fortiter : raro sapienti intervenit Fortuna. XVI.— XVIII. Hæc naturæ non repugnant : sensus enim doloris non detrahitur injuriis, sed nomen. Denique levia pleraque, quibus vulgus offenditur, rejicienda sunt et ridenda, ne ipse ridearis. Concludit admonitione, quomodo et tironi, et qui jam ad philosophiam pervenit, injuriæ sint ferendæ. Illi cum morsu aliquo animi et colluctatione : huic sine alterutro : victor enim jam agit ante se utramque, et triumphat.

Quo tempore scriptus sit hic liber, satis certo definiri nequit. Si Lipsii judicium sequaris, editus est sub tempus libri de Tranquill. Anim. cui vulgo etiam ante Lipsium junxerant : fortasse magis propterea, quod ad eumdem Serenum missus erat, quam quod pro secunda parte istius libri haberi debeat : nam volumen per se efficere manifestum est.

Quum dogmata, quæ Noster in hoc libro exposuit, potissima sunt in iis, quæ ad philosophiam moralem Stoicorum pertinent, non opus est, ut ii hic adducantur, quorum scripta ejusdem argumenti laudari possent. Cf. Fabric. Bibl. Græc. Vol. III ; in Catalogo Stoicorum, Chrysippus, pag. 546, Cleanthes, pag. 551, sqq. Panætius, pag. 569, al.

L. ANNÆI SENECÆ
DE CONSTANTIA
SAPIENTIS,

SIVE

QUOD IN SAPIENTEM NON CADIT INJURIA,

LIBER UNUS.

CAP. I. TANTUM inter Stoicos, Serene, et cæteros sapientiam professos [1] interesse, quantum inter fœminas et mares, non immerito dixerim: quum utraque turba ad vitæ societatem tantumdem conferat [2], sed altera pars ad obsequendum, altera imperio nata sit. Cæteri sapientes [3] molliter et blande, ut fere domestici et familiares me- 1

I. ARG. Stoici præstant omnes cæteros philosophos virili, quam ingrediuntur, via, quæ initio quidem aspera, sed mox plana fit. Nec officit, quod sapienti mala accidant.

1. *Cæteros.... professos.* I. e. philosophos. Cynicos certe excipias, ait Lipsius, qui duritie et robore super ipsos Stoicos, etsi dogmate fere conveniebant. At h. l. Cynicos ipse excepit, quippe quos Stoici pro cognatis et suæ partis addictis habuere. Cf. ap. Diog. Laert. lib. VII, cap. 121. Apollodorus ἐν τῇ ἠθικῇ. Lipsii Manuduct. ad Stoic. phil. lib. I, cap. 13, p. 42, sq. Item e recentioribus omnes qui de historia philosophiæ scripsere, *Buhle*, *Tiedemann*, *de Gérando*.

2. *Tantumdem conferat.* Hoc est, idem afferat. Non premendus hoc loc. sensus, quasi voluisset Noster dicere non minus e. g. Academicum Epicureumve (modo hoc nomine haud indignum) cæteris mortalium utilem esse quam Stoicum; hoc enim sequentia falsum indicant: sed ait sapientiam ab utroque afferri et in humanam vitam induci; quæ quamvis apud varios varia sit, aliquid tamen vel ob hoc præstat, quod ad altiora et graviora mentem vertat.

3. *Cæteri sapientes*, etc. Nam om-

dici[1] ægris corporibus, non qua optimum et celerrimum est, medentur, sed qua licet. Stoici virilem ingressi viam, non ut amœna ineuntibus videatur curæ habent, sed ut quamprimum nos eripiant[2], et in illum editum verticem educant, qui adeo extra omnem teli jactum
2 surrexit, ut supra fortunam emineat. At ardua per quæ vocamur, et confragosa sunt. Quid enim plano aditur excelsum[3]? Sed ne tam abrupta quidem sunt, quam quidam putant: prima tantum pars saxa rupesque habet, et invii speciem, sicut pleraque ex longinquo speculantibus abscisa[4] et connexa videri solent, quum aciem longinquitas fallat. Deinde propius adeuntibus[5] eadem illa, quæ in unum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur[6]; tum illis, quæ præcipitia ex intervallo ap-
3 parebant, redit lene fastigium. Nuper quum incidisset

nes aut ad voluptatem, aut ad gloriam referri virtutes docebant. Pro vulgata opinione de philosophis hæc eadem venditat Hermotimus apud Lucian. Tom. IV, pag. 21. Bip. Ἤκουον ἁπάντων λεγόντων ὡς οἱ μὲν Ἐπικούρειοι γλυκύθυμοι καὶ φιλήδονοί εἰσιν· οἱ Περιπατητικοὶ δὲ καὶ φιλόπλουτοι καὶ ἐριστικοί τινες· οἱ Πλατωνικοὶ δὲ τετύφωνται καὶ φιλόδοξοί εἰσι. Περὶ δὲ τῶν Στωϊκῶν πολλοὶ ἔφασκον, ὅτι ἀνδρώδεις, καὶ πάντα γιγνώσκουσι· καὶ ὅτι ὁ ταύτην ἰὼν τὴν ὁδὸν μόνος βασιλεὺς, μόνος πλούσιος, μόνος σοφὸς, καὶ συνόλως ἅπαντα.

1. *Domestici et familiares medici.* Inter servorum et libertorum greges in magnis domibus medici erant; qui non ad arbitrium suum ægrotantibus dominis medebantur, neque illa jubebant quæ optima ipsi existimabant, sed quæ herus magis appetebat. Vid. Cilani Antiq. Roman.

2. *Nos eripiant.* A malorum spectaculo et contubernio, quorum vestigiis insistere non raro ille cupit, qui felices eos degere adspicit.

3. *Quid enim plano aditur excelsum.* Hoc est: Nonne enim in editos et confragosos locos pervenies, si planitiem nunquam deserueris?

4. *Abscisa*, omnes Mss. dant. Hæc forma verbi, *abscidere*, Nostro familiarior est quam altera, *abscindere*; exempli causa, de Ira, lib. I, cap. 15, 2. De Clement. lib. I, cap. 14, 3, *abscidat*, non *abscindat*; ibid. cap. 19, 5, *abscidere*, non *abscindere.* Gronovium secutus sum: quem et conf. ad Liv. XLIV, 5, ubi aut abolendum censet τὸ *abscissus*, aut non tam membranas, quam rationem aliquam et aurem decernere oportere, ubi sit hoc aut illud ponendum.

5. *Deinde propius adeuntibus*, etc. Explicat, quæ de Ira, lib. II, cap. 13, 3, nude posuerat.

6. *Adaperiuntur.* Separata in con-

mentio M. Catonis[1], indigne ferebas, sicut es iniquitatis
impatiens, quod Catonem ætas sua parum intellexisset,
quod supra Pompeios et Cæsares surgentem infra Vati-
nios posuisset: et tibi indignum videbatur, quod illi dis-
suasuro legem, toga in foro esset erepta, quodque a
Rostris usque ad arcum Fabianum[2] per seditiosæ factionis
manus tractus, voces improbas, et sputa, et omnes alias
insanæ multitudinis contumelias pertulisset. Tunc ego 4
respondi habere te quod Reipublicæ nomine movereris,
quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius, ac pessimus quis-
que venumdabat; et cæca cupiditate corrupti, non intel-
ligebant, se, dum vendunt, et venire[3].

II. Pro ipso quidem Catone securum te esse jussi; I
nullum enim sapientem nec injuriam accipere, nec con-
tumeliam posse; Catonem autem certius exemplar sa-
pientis viri nobis Deos immortales dedisse, quam Ulys-
sem et Herculem[4] prioribus sæculis. Hos enim Stoici
nostri sapientes pronuntiaverunt, invictos laboribus,

spectum veniunt. Eumdem loquendi usum jam ap. Virg. *Æneid.* lib. III, vss. 275, 531, invenies, explicatum ab Heynio ad lib. III, 410.

1. *M. Catonis.* De M. Porcio Catone Uticensi agi constat. Omnis historia testatur, exemp. caus. Dio Cass. lib. XXXVII, cap. 22, lib. XXXVIII, cap. 3. Senec. Ep. 14. De lege tamen ambigi potest: utrum Metelli trib. pl. fuerit de Pompeio in Italiam cum copiis vocante, an Cæsaris, de agro Campano dividendo.

2. *Arcum Fabianum.* Cic. Verr. Act. I, 7, ibi Asconius hæc habet: «Arcus est juxta Regiam in sacra via, a Fabio Censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est · ibique statua ejus posita proptcrea est.»

3. *Et venire.* Hoc est: Vendi posse; et se, dum nihil non venale putant, venales fieri. De Vatinio vide infra Tom. II, pag. 26, not. 2.

II. Arg. Nullus sapiens injuriam accipere nec contumeliam potest.

4. *Ulyssem et Herculem.* Jam antea monuimus, Stoicis fuisse proprium, fabulas allegorice interpretari: quem morem etiam in Ulysse et Hercule ut sapientibus extollendis adhibuerunt. De Ulysse nemo facile dubitaverit: Herculem vero sapientem pronuntiari mirationem facere possit. Sed recorderis, fuisse magnam fabularum ad Herculem spectantium varietatem: deinde Sophistas rhetóresque Hercule ad hominem fortem, virtutis amantem et sapientem repræsentandum usos esse, ex. caus.

contemptores voluptatis, et victores omnium [1] terrorum.
2 Cato cum feris manus non contulit, quas consectari venatoris agrestisque est; nec monstra igne ac ferro persecutus est [2]; nec in ea tempora incidit, quibus credi posset cælum unius humeris [3] inniti, excussa jam antiqua credulitate, et sæculo ad summam perducto solertiam.
3 Cum ambitu congressus, multiformi malo, et cum potentiæ immensa cupiditate, quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat, adversus vitia civitatis degenerantis, et pessum sua mole sidentis, stetit solus, et cadentem Rempublicam, quantum modo una retrahi manu poterat, retinuit: donec vel abreptus, vel abstractus, comitem se diu sustentatæ ruinæ dedit: simulque
4 exstincta sunt, quæ nefas erat dividi. Neque enim Cato post libertatem vixit, nec libertas post Catonem. Hinc tu putas injuriam fieri potuisse a populo, quod aut præturam illi detraxit, aut togam? quod sacrum illud caput

Prodicum ap. Xenoph. Memor. Socrat. lib. II, cap. 1, 21 sq. Cf. et Plutarch. qui in libro Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις, quum de viris qui sapientia et virtute claruere sermonem habet, Herculem quoque nominat: qui locus in nota ad lib. de Provid. totus exscriptus est nobis, T. II, p. 6. Non abs re erit Horatiani loci meminisse in Carm. lib. III, Od. III, stroph. 3, qui ita habet: « Hac arte Pollux et vagus Hercules Innixus, arces attigit igneas. » Nec tamen de robusto viro tantum agebatur, sed de probo et forti, quem « Justum ac tenacem propositi..... Non civium ardor prava jubentium, Nón vultus instantis tyranni Mente quatit solida. » Ita factum est, ut Stoicis via munita esset. Hinc quoque ejus consortium cum Musis exortum est, quarum ductor, Musagetes, apud Romanos colebatur. Cf. Intpp. ad Sueton. Aug. 29, et Heynii Comment. Soc. Gotting. lib. III, 23, et seqq.

1. *Terrorum.* Lipsium sequor. Antea *terrarum*. *Terrores* vicisse, non *terras* constat, et nexus postulat. — *Omnium terrorum.* Similiter Virg. Georg. lib. II: « Atque metus omnes et inexorabile fatum Subjecit pedibus. »

2. *Monstra..... persecutus est.* Alludebat modo ad varios Herculis labores, leonem v. g. Nemeæum, aut aves Stymphalidas; specialius nunc innuit Lernæam hydram, cui e septem capitibus, uno exciso, alterum renascebatur. Hanc Hercules domuit Iphicli fratris auxilio, qui ubi vulnus Hercules inflixerat, ignem statim admovebat, ita ut crescenti cute excisum caput non jam resurgeret.

3. *Unius humeris.* Sive Atlantis,

purgamentis oris aspersit? Tutus est sapiens, nec ulla
affici aut injuria, aut contumelia potest.

III. Videor mihi intueri animum tuum incensum, et 1
effervescentem; paras acclamare : « Hæc sunt quæ aucto-
ritatem præceptis vestris[1] detrahant! magna promittis,
et quæ ne optari quidem, nedum credi possint : deinde
ingentia locuti, quum pauperem negastis esse sapientem,
non negatis solere illi et servum, et vestem, et tectum,
et cibum deesse; quum sapientem negastis insanire, non
negatis et alienari, et parum sana verba emittere, et
quidquid vis morbi cogit, audere[2]; quum sapientem ne- 2
gastis servum esse, iidem non itis infitias, et venum
iturum, et imperata facturum, et domino suo servilia
præstiturum ministeria. Ita, sublato alte supercilio, in
eadem quæ cæteri descenditis, mutatis rerum nomini-
bus. Tale itaque aliquid et in hoc esse suspicor, quod
prima specie pulchrum atque magnificum est : nec inju-
riam, nec contumeliam accepturum esse sapientem. Mul- 3

sive Herculis, qui in succollando ei successit.

III. Arg. Tametsi sapiens tentatur et lacessitur, nulli tamen injuriæ obnoxius est. Cf. Lipsii Manuduct. ad stoicam Philosophiam, lib. III, cap. 18, pag. 188, sq.

1. *Vestris.* Id est, Stoicis. Exprobrationes, quas hic in Stóicos conjectas vides, a primis inde temporibus hujus sectæ contra eos depromptas esse, docet Lipsius Manud. ad Stoic. phil. lib. I, cap. 14. Quod autem cuicumque philosopho magno, inprimis novæ sectæ conditori, accidere solet, et Zenoni aliisque Stoicis evenit, ut verba nova, non res attulisse accusarentur ab iis, qui eorum decreta animo complecti non poterant. At falsum id esse docuit *Tiedemann*, Tom. II, pag. 427, sqq. Chrysippus ideo dixit, Lipsio laudante : Διὸ καὶ διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τε μεγέθους καὶ τοῦ κάλλους πλάσμασι δοκοῦμεν ὅμοια λέγειν, καὶ οὐ κατὰ τὸν ἄνθρωπον, καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν.

2. *Quum pauperem......... audere.* Fusius hæc explicat Lipsius Manud. ad Stoic. phil. lib. III, capp. 11 et 18. Docuerunt Stoici, sapientem sibi sufficere; ejus omnia esse non occupatione, sed animo. Virtutes enim possidet, quæ sunt magnæ æstimationis et pretii : ideoque solus est dives. Vid. Nost. de Benefic. lib. VII, cap. 4. Neque sapientem insanire docuere, i. e. nulla vi aut casu virtutem ei eripi posse, Cleanthe auctore, et Seneca, Epist. 1, et Horat. Serm. II, 3, 43, sq. Quum omnia

tum autem interest, utrum sapientem extra indignatio-
nem [1], an extra injuriam ponas. Nam si dicis illum æquo
animo laturum, nullum habet privilegium; contigit illi
res vulgaris, et quæ discitur ipsa injuriarum assiduitate,
patientia. Si negas accepturum injuriam, id est, nemi-
nem illi tentaturum facere; omnibus relictis negotiis,
4 Stoicus fio. » Ego vero sapientem non imaginario honore
verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quo
nulla permittatur injuria. « Quid ergo? nemo erit qui la-
cessat, qui tentet? » Nihil in rerum natura tam sacrum
est, quod sacrilegum non inveniat: sed non ideo divina
minus in sublimi sunt, si exsistunt qui magnitudinem,
5 multum ultra se positam, non icturi appetant [2]. Invulne-
rabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur.
Ex hac tibi nota sapientem exhibeo. Numquid dubium
est, quin certius robur sit, quod non vincitur, quam
quod non lacessitur? quum dubiæ sint vires inexpertæ,
ac merito certissima firmitas habeatur, quæ omnes in-
cursus respuit [3]. Sic tu sapientem melioris scito esse na-
6 turæ, si nullius illi injuria nocet, quam si nulla sit. Et
illum fortem virum dicam, quem bella non subigunt, nec
admota vis hostilis exterret; non cui pingue otium est,
inter desides populos: hujusmodi igitur sapientem nulli
esse injuriæ obnoxium [4]. Itaque non refert, quam multa
in illum conjiciantur tela, quum sit nulli penetrabilis.
7 Quomodo quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro du-

hæc præcepta ad animum et virtutes spectarent, male ab aliis iisque adversariis intellecta rixas pepererunt et exprobrationes: quibusdam ex iis quæ dicerent a consuetudine loquendi abhorrentibus (de Benefic. lib. II, cap. 35). Cf. Cic. Paradox. lib. V.

1. *Indignationem*. I. e. utrum dicas, eum non curare injuriam, an injuriæ non esse obnoxium.

2. *Non icturi appetant*. E codd. reduxit Gronov. Antea *petant*.

3. *Numquid dubium...... respuit*. Cf. de Providentia, cap. 4.

4. *Hujusmodi..... obnoxium*. Repetas ex antecedentibus *dicam*.

ritia est, nec secari adamas, aut cædi, vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit [1]; quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum habitumque conservant; quemadmodum projecti in altum scopuli [2] mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ vestigia, tot verberati sæculis, ostentant: ita sapientis animus solidus est, et id roboris collegit, ut tam tutus sit ab injuria, quam illa quæ retuli.

IV. « Quid igitur? non erit aliquis qui sapienti facere 1
tentet injuriam? » Tentabit [3], sed non perventuram ad eum. Majore enim intervallo a contactu inferiorum abductus est, quam ut ulla vis noxia usque ad illum vires suas perferat. Etiam quum potentes, et imperio [4] editi, et consensu servientium validi, nocere ei intendent: tam citra sapientem omnes eorum impetus deficient, quam quæ nervo tormentisve [5] in altum exprimuntur, quum extra visum exsilierunt, citra cœlum tamen flectuntur.
Quid? tu putas, quum stolidus ille rex [6] multitudine te- 2
lorum diem obscurasset, ullam sagittam in Solem incidisse? aut demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi? Ut cælestia humanas manus effugiunt, et ab his qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil divinitati nocetur: ita quidquid fit in sapientem proterve, petulanter, superbe, frustra tentatur. « At satius 3

1. *Quomodo,.......... retundit.* Nec nostris artificibus lima anglica vel optima usis cessisse gemmam adamantem constat. Neque tamen de politura adamantis, quæ pulvere ex eadem gemma petito fieri solet, et apud Veteres quoque in usu fuise videtur, nec de indomita ejus per ignem vi (quam victam esse novimus) nunc sermo est. Cf. quæ *Funke* (*Naturgeschichte und Technologie*, T. III. p. 157. sqq.) de hac gemma collegit.

2. *Scopuli.* Promontoriorum, etc.

IV. Arg. Vir sapiens intactus et impenetrabilis est injuriis et contumeliis.

3. *Tentabit.* Sc. aliquis.

4. *Imperio ed.* Ad imperium evecti.

5. *Nervo tormentisve*, cf. ad. de Ira I, 9, 1.

6. *Stolidus ille Rex.* Xerxes. Herodot. lib. VII, cap. 33, sq. cap. 108, seq. ~~Leonidam~~ tela Persarum solem

erat, neminem esse qui facere vellet! » Rem difficilem optas humano generi, innocentiam. Et non fieri, eorum interest qui facturi sunt, non ejus qui pati, ne si fiat quidem, non potest [1]. Immo nescio, an magis vires sapientia ostendat tranquillitatis inter lacessentia: sicut maximum argumentum est imperatoris, armis virisque
4 pollentis, tuta securitas et in hostium terra. Dividamus, si tibi videtur, Serene, injuriam a contumelia: prior illa natura gravior est; hæc levior, et tantum delicatis gravis; qua non læduntur, sed offenduntur. Tanta est tamen animorum dissolutio et vanitas, ut quidam nihil acerbius putent. Sic invenies servum, qui flagellis quam colaphis cædi malit, et qui mortem ac verbera tolerabi-
5 liora credat, quam contumeliosa verba. Ad tantas ineptias perventum est, ut non dolore tantum, sed doloris opinione vexemur: more puerorum, quibus metus incutit umbra, et personarum deformitas, et depravata facies; lacrimas vero evocant nomina parum grata auribus, et digitorum motus [2], et alia, quæ impetu quodam erroris improvidi refugiunt.

1 V. Injuria propositum hoc habet, aliquem malo afficere: malo autem sapientia non relinquit locum. Unum

obscurantia derisisse, et Xerxem verberasse Hellespontum, et catenas ut vincula injiciendas in mare curasse iratum, constat ex locis adductis.

1. *Et non fieri......potest.* Improbitas impiorum utilis turbæ est, nec sapienti nocet, qui injurias vel inflictas, quia spernit, pati nequit. — *Si fiat.* Sc. injuria. Sequens discrimen inter injuriam et contumeliam Stoico dignum est, spinosiore sæpe quam opus erat. Contumelia enim sæpissime injuria quoque est, quandoquidem mala eam sequi solent. Inde tamen excusatur noster, quod h. l. rem per se considerat, et leviora contumeliæ genera respicit, ut exemplum servi, qui flagella, vulgares servorum pœnas, præferre solebat colaphis, quibus irrisio et ludribrium inerat.

2. *Digitorum motus.* Ad denotandum hominem nigrum, infamem. Cf. Persii Sat. II, 33. ibiq. Intpp.

V. Arg. Quum injuria malum sit, virtutem vero nec lædere, nec diminuere possit, in virum sapientem non cadit. Facile hic ἀπάθειαν Stoicam deprehendes. Cf. de Tranq. Anim.

enim malum illi est turpitudo, quæ intrare eo, ubi jam
virtus honestumque est, non potest: injuria ergo ad sa-
pientem non pervenit. Nam si injuria alicujus mali pa-
tientia est, sapiens autem nullius mali est patiens, nulla
ad sapientem injuria pertinet. Omnis injuria deminutio
ejus est, in quem incurrit, nec potest quisquam injuriam
accipere sine aliquo detrimento vel dignitatis, vel cor-
poris, vel rerum extra nos positarum: sapiens autem
nihil perdere potest: omnia in se reposuit, nihil fortunæ
credit, bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ
fortuitis non indiget. Ideoque nec augeri, nec minui po- 2
test; nam in summum perducta incrementi non habent
locum. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem
autem non dat; ideo nec detrahit. Libera est, inviola-
bilis, immota, inconcussa; sic contra casus indurat [1], ut
nec inclinari quidem, nedum vinci possit. Adversus ap-
paratus terribilium rectos [2] oculos tenet, nihil ex vultu
mutat, sive illi dura, sive secunda ostentantur. Itaque
nihil perdet, quod perire sensurus sit. Unius enim in
possessione virtutis est, ex qua depelli nunquam potest:
cæteris precario utitur; quis autem jactura movetur
alieni? Quod si injuria nihil lædere potest ex his quæ 3
propria sapientis sunt, quia virtute sua salva sunt, in-
juria sapienti non potest fieri. Megaram [3] Demetrius ce-

cap. 11, et Cic. Paradox. II: Ότι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

1. *Sic contra casus indurat.* E codd. et priscis edd. restituit. Gron. Pinciani. et conjectura: *Sic contra casus obdurata, ut.* Intelligas: se, s. animum. — *Indurat.* H. e. induratur. Nam sæpe apud Latinos agendi vox pro passiva usurpatur, ut *vertit* pro *vertitur*, *movet* pro *movetur*. Nostrates similiter *remuer* pro *se remuer*, *tourner* pro *se tourner*, *durcir* pro *se durcir*.

2. *Rectos.* Interritos. Cf. *Bentley* ad Horat. Carm. lib. III, Od. III, vs. 18, ubi nostrum locum non prætermisit.

3. *Megaram, etc.* Demetrius filius Antigoni, unius e successoribus (διαδόχοις) Alexandri, Megaram, urbem Atticis finibus proximam, cepit Ol. 118, 2, Cassandro Antipatris filio debellato. (Diodor. XX, 45, 46).

perat, cui cognomen Poliorcetes fuit : ab hoc [1] Stilpon philosophus interrogatus, num quid perdidisset, « Nihil, inquit; omnia namque mea mecum sunt. » Atqui et patrimonium ejus in prædam cesserat [2], et filias [3] rapuerat hostis, et patria in alienam ditionem venerat, et ipsum rex circumfusus victoris exercitus armis ex superiore
4 loco rogitabat. Ille victoriam illi excussit [4], et se, urbe capta, non invictum tantum, sed indemnem esse testatus est; habebat enim secum vera bona, in quæ non est manus injectio [5]. At ea quæ dissipata et direpta ferebantur, non judicabat sua, sed adventitia, et nutum fortunæ sequentia : ideo non ut propria dilexerat. Omnium enim extrinsecus affluentium lubrica et incerta possessio
5 est. Cogita nunc, an huic fur, aut calumniator, aut vicinus potens [6], aut dives aliquis regnum orbæ senectutis exercens [7], facere injuriam possit, cui bellum et hostis

1. *Stilpon.* De Stilpone cf. Diog. Laert. II, 115. ubi Menag. nostrum locum adhibuit. Fabricii Bibl. Gr. II, 719. sq. *Tiedemann*, II, 411. sqq.

2. *Cesserat.* Pervenerat. Alioquin hæc eadem de Biante, uno e septem sapientibus, quum Priene sua capta fugeret, narrantur ap. Cicer. I, 2, Paradox. dubitanter tamen; addit enim : « ut opinor. »

3 *Filias.* Unius filiæ Diogenes meminit l. l. et metuo, ne reliquæ Stilponi a nostro obtrudantur. Eamdem sententiam tuitus est P. *Bayle* T. IV. Stilpon. F. p. 283.

4. *Et filias rapuerat hostis, et patria in alienam ditionem venerat, et ipsum rex circumfusus victoris exercitus armis ex sup. loc. rog. Ille victor. illi exc.* E codd. bonis reduxit Gron. Antea e. c. ap. Eram. *et filias rapuerat hostis, et patriam violaverat. Ille illi victoriam excussit.*

5. *Manus injectio.* Fit a domino, qui sibi suum vindicat, sive ab accusatore, qui vocatum nec comparentem ad judicem vi trahere poterat. Cf. Fragmenta XII. a bb. ex recens. Funckii. Gœtting. 1756. p. 4.

6. *Vicinus potens.* Vulgata lectio. quam Gronov. e codd. quibusdam immutavit: *vicinus impotens* i. e. *improbus.* Vulgatum tamen bene habet: est enim in codd. quoque et in edd. e. c. Erasmi. Deinde improbitas illa, quam hic Gronov. desiderasse videtur, continetur sequentibus : *facere injuriam possit.* Accedit, quod *potens* cum *divite* plerumque conjungitur. Proinde reduxi *potens*. Ceterum τὸ *impotens* non omnino spernendum esse equidem puto.

7. *Aut dives aliquis.....exercens.* Cic. Paradox. V, 2, explicat: « Hæreditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum

ille [a] egregiam artem quassandarum urbium professus, eripere nihil potuit. Inter micantes ubique gladios, et militarem in rapina tumultum, inter flammas et sanguinem stragemque impulsæ civitatis, inter fragorem templorum super Deos suos cadentium, uni homini pax fuit.

VI. Non est itaque quod audax judices promissum, 1
cujus tibi, si parum fidei habeo, sponsorem [2] dabo. Vix enim credis tantum firmitatis in hominem, aut tantam animi magnitudinem cadere; sed si prodit in medium, qui dicat : « Non est, quod dubites, an tollere se homo natus supra humana possit, an dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa se frementium securus adspiciat, et dura placide ferat, et secunda moderate; nec illis cedens, nec his fretus, unus idemque inter diversa sit, nec quidquam suum, nisi se, putet esse, ea quaque parte [3] qua melior est [4]. En adsum 2
hoc vobis probaturus, sub isto tot civitatum eversore, munimenta incussu arietis [5] labefieri, et turrium altitudinem cuniculis ac latentibus fossis repente residere, et æquaturum editissimas arces aggerem crescere : at nulla

locupletis senis non observat? loquitur ad voluntatem : quidquid denunciatum sit, facit : assectatur, assidet, muneratur. » Conf. ad Consolat. ad Marc. XIX, 1. Horat. Serm. II, 5. Sexcenties Martialis, ut v. g. lib. I, Epigr. L : « Imperia viduarum procul; » et passim.

1. *Hostis ille.* Demetrius jam supra memoratus : Poliorcetes, s. urbicapus, uti Lipsius addit, dictus. Plutarchus (T. V. Reisk.) ejus vitam descripsit.

VI. Arg. Pergit Stilponis exemplo docere, sapientem extra injuriam et fortunæ ludibria positum esse; nec in publica clade quidquam perdere, sed omnia secum portare.

2. *Sponsorem.* Stilpon. Non *credis* mihi; *sed* Stilponi. Fortasse sequentia aut similia quædam in Stilponis libris occurrerunt; quamquam noster hæc ἐπιδεικτικῶς ex persona Stilponis extulisse videri potest.

3. *Ea quaque parte* (animi). In textum e conjectura mea recepi : quoniam Noster τὸ *quoque* nullum sensum promit. *Ea quaq. part.* explicationis causa τοῦ *se* adjecta sunt.

4. *Ea quaque... Melior est* : explicative adjecta sunt propter τὸ se; intell. animum, quo supra humana elatus est.

5. *Arietis.* De ariete, machinamento Veterum ad muros quassandos

machinamenta posse reperiri, quæ bene fundatum animum agitent. Erepsi modo e ruinis domus, et incendiis undique relucentibus, flammas per sanguinem[1] fugi. Filias meas qui casus habeat, an pejor publico[2], nescio.
3. Solus, et senior, et hostilia circa me omnia videns, tamen integrum incolumemque esse censum meum profiteor; teneo, habeo quidquid mei habui. Non est quod me victum, victoremque te credas: vicit fortuna tua fortunam meam! Caduca illa et dominum nutantia, ubi sint nescio: quod ad res meas pertinet, mecum sunt,
4 mecum erunt. Perdiderunt isti divites patrimonia, libidinosi amores suos[3], et magno pudoris[4] impendio dilecta scorta, ambitiosi curiam, et forum, et loca exercendis in publico vitiis destinata[5]; fœneratores perdiderunt tabellas[6] suas, quibus avaritia falso læta[7] divitias imaginatur: ego quidem omnia integra illibataque habeo. Proinde istos interroga qui flent, qui lamentantur, strictisque gladiis nuda pro pecunia corpora opponunt, qui
5 hostem onerato sinu fugiunt. » Ergo ita habe, Serene, perfectum illum virum, humanis divinisque virtutibus plenum, nihil perdere. Bona ejus solidis et inexsuperabilibus munimentis præcincta sunt. Non Babylonios illi

et diruendos aptato, et de cuniculis fossisque latentibus, sub muro urbis duci solitis ab oppugnatoribus omnia nota sunt, cum ex al. tum e Nieuportio. Lipsius laudat Poliorcetica sua.

1. *Per sanguinem*. Occisorum.

2. *An pejor publico*. Sc. casu, i. interitu. Cogitat de servitute, de pudore perdito, de membris truncatis, etc. Gronovio interprete.

3. *Amores suos*. Amasios, τὰ παιδικά.

4. *Magno pudoris.....scorta*. Et seq. e moribus romanis sunt dijudicanda: græcis enim turpe non erat scorta (ἑταίρας) diligere, quod cuique vel ex præfatione Cornel. Nep. notum est.

5. *Ambitiosi ..... destinata*. Cf. de Ira II, 7, 4.

6. *Tabellas*. In quibus pecunia, quam aliis sub usuris commodaverat, s. quam alii apud fœneratores, argentariosve deposuerant, prescripta erat una cum contractibus et cautionibus. Horat. II. Serm. III, 69. Cf. Ernesti Opusc. oratoria p. 402. et Siberi Dissertatt. de argentariis.

7. *Falso læta*. Falsæ enim sunt divitiæ istæ.

muros contuleris, quos Alexander intravit: non Carthaginis aut Numantiæ mœnia, una manu [1] capta: non Capitolium, arcemve [2]; habent ista hostile vestigium. Illa quæ sapientem tuentur, a flamma et ab incursu tuta sunt: nullum introitum præbent, excelsa, inexpugnabilia, Diis æqua.

VII. Non est quod dicas, ita ut soles, hunc sapientem 1
nostrum nusquam inveniri. Non fingimus istud humani
ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ rei
concipimus; sed qualem confirmamus, exhibuimus, et
exhibebimus. Raro forsitan, magnisque ætatum interval-
lis invenitur; neque enim magna, et excedentia solitum
ac vulgarem modum, crebro gignuntur; ceterùm hic
ipse M. Cato, a cujus mentione hæc disputatio proces-
sit, vereor ne supra nostrum exemplar [3] sit. Denique 2
validius debet esse quod lædit, eo quod læditur; non est
autem fortior nequitia virtute: non potest ergo lædi sa-
piens. Injuria in bonos nisi a malis non tentatur: bonis
inter se pax est: mali tam bonis perniciosi quam inter
se. Quod si lædi nisi infirmior non potest, malus autem
bono infirmior est, nec injuria bonis, nisi a dispari, ve-

1. *Una manu.* I. e. Scipionis posterioris Africani vi.

2. *Capitolium arcemve.* Pars extrema montis Saturnii, regum tempore arcem habuit, et postea *arx* dicta: contigua erat Capitolio. Sæpe propterea conjuncti reperiuntur apud classicos auctores, exemp. caus. apud Cic. IV, Catilin. 9.

VII. ARG. Sapientem virum raro quidem, tamen interdum inveniri. Redit deinde ad docendum, sapientem ab injuria lædi non posse. Vide Lipsii Manud. ad philosoph. Stoic. II, 8. p. 82. sq. ubi multa loca Ciceronis aliorumque affert, neminem mortalem, docentium, illam sapientiam esse consecutum. Ἔστι δὲ οὗτος οὐδαμοῦ γῆς, οὐδὲ γέγονεν, ait Plutarch. et ipse Stoicus in libro de pugn. Stoicor. Conf. Nostrum in Epist. 42. Enimvero satis est, quod nemo negat, qualem sapientem describi a Stoicis viderent, eum posse tamen esse. Eadem ratio etiam est circa virtutem et veritatem, quibus qui propior accesserit, is optimus haberi debet.

3. *Supra nostrum exemplar sit.* Lipsius de communi nostra sorte intelligit. Ordo tamen poscere videtur,

renda est : injuria in sapientem virum non cadit. Illud enim jam non es admonendus, neminem bonum esse nisi
3 sapientem. « Si injuste, inquis, Socrates damnatus est, injuriam accepit. » Hoc loco intelligere nos oportet, posse evenire, ut faciat aliquis injuriam mihi, et ego non accipiam : tanquam si quis rem quam e villa mea subripuit, in domo mea ponat ; ille furtum fecerit, ego nihil perdiderim. Potest aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit. Si quis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit [1], quamvis illa adultera non sit.
4 Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit : venenum illud dando, scelere se obligavit, etiamsi non nocuit. Non minus latro est, cujus telum opposita veste elusum est. Omnia scelera [2] etiam ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt. Quædam ejus conditionis sunt, et hac vice copulantur, ut alterum sine altero esse possit, alterum sine altero
5 non possit. Quod dico, conabor facere manifestum. Possum pedes movere, ut non curram ; currere non possum, ut pedes non moveam : possum, quamvis in aqua sim, non natare ; si nato, non possum in aqua non esse [3]. Ex hac sorte, et hoc est de quo agitur, si injuriam accepi, necesse est factam esse ; si est facta, non est necesse accepisse me. Multa enim incidere possunt, quæ submoveant injuriam. Ut intentam manum dejicere casus potest, et emissa tela declinare : ita injurias qualescumque potest

ut de sapiente, quem descripserat, Catone inferiore cogitemus.

1. *Adulter erit, quamvis illa... non sit.* Cujus rei notum præbet exemplum Cephali et Procridis fabula, quum prior suam uxorem, induta divitis mercatoris forma, deceperit, posterior vero, in venatricem vicissim mutata, maritum, venatici canis et teli spe, ad adulterium adduxerit.

2. *Omnia scelera.* Cf. de Ben. V, 14.

3. *Possum..... non esse.* Hujus rei multa exempla afferuntur in mathematicis, quum de *reciprocis* propositionibus agitur.

aliqua res depellere, et in medio intercipere, ut et factæ sint, nec acceptæ.

VIII. Præterea nihil injustum justitia pati potest, quia 1
non coeunt contraria : injuria autem non potest fieri, nisi injuste; ergo sapienti injuria non potest fieri. Nec est quod mireris, si nemo potest illi injuriam facere, nec prodesse [1] quidem quisquam potest; et sapienti nihil deest, quod accipere possit loco muneris : et malus nihil potest tribuere sapienti. Habere enim prius debet, quam dare : nihil autem habet, quod ad se transferri sapiens gavisurus sit. Non potest ergo quisquam aut nocere sa- 2
pienti, aut prodesse : quemadmodum divina nec juvari desiderant, nec lædi possunt; sapiens autem vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate [2], similis Deo. Ad illa nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali et concordi cursu fluentia, secura, benigna, bono publico natus, et sibi et aliis salutaris [3], nihil humile concupiscet, nihil flebit, qui rationi innixus, per humanos casus divino incedet animo. Non habet ubi accipiat injuriam; ab homine me tantum dicere putas? nec a fortuna quidem : quæ quotiens cum virtute congressa est, nunquam par recessit. Si maximum illud [4], ultra 3
quod nihil habent iratæ leges, aut sævissimi domini minantur, in quo imperium suum fortuna consumit, æquo

VIII. Arg. Nemo sapienti neque nocere, neque prodesse potest. Cf. de Benef. VII, 4. et Ciceron. Paradoxa.

1. *Nec prodesse.* Omnia enim sapientis sunt: nulla re eget, et se ipso contentus est ad beate vivendum. Nota præcepta Stoicorum sunt.

2. *Excepta mortalitate.* Stoicorum esse præceptum hoc, inter omnes constat, et sæpe in his libris legimus.

3. *Bono publico natus, et sibi et aliis salutaris*: ex emend. Lipsii. Antea, *nata..... salutaria.* B. P. N. vel B. R. P. N. (i. e. bono reipublicæ natus) est formula in principum laudem crebra in lapideis monumentis, quam hic expressam putavit Vir doctus.

4. *Si maximum illud.* Sc. mortem, quippe quæ ultima est, qua fortunæ imperium terminatur.

placidoque animo accipimus, et scimus mortem malum non esse, ob hoc ne injuriam quidem; multo facilius alia tolerabimus, damna, dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates, discidia; quæ sapientem, etiamsi universa[1] circumveniant, non mergunt, nedum ad singulorum impulsus mœreat. Et si fortunæ injurias moderate fert, quanto magis hominum potentium, quos scit fortunæ manus[2] esse?

1 IX. Omnia itaque sic patitur, ut hiemis rigorem, ut intemperantiam cæli, ut fervores morbosque, et cætera forte accidentia. Nec de quoquam tam bene judicat, ut illum quidquam putet consilio[3] fecisse, quod in uno sapiente est: aliorum omnium non consilia, sed fraudes, et insidiæ, et motus animorum inconditi sunt, quos casibus adnumerat. Omne autem fortuitum citra nos sævit et injuriatur[4]. Illud quoque cogitat, injuriarum latissime patere materiam illis[5], per quæ periculum nobis quæsitum est: ut, accusatore submisso, aut criminatione falsa, aut irritatis in nos potentiorum motibus, quæque

1. *Etiamsi universa*, supple, hæc mala simul sapientem *circumveniant*. Est Horat. illud: « Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ; » Carm. lib. III, Od. III, vss. 7, 8. In quo loco sapientem Stoicum describi putem impavidum vel inter ruinas orbis terrarum a Jove conquassati.

2. *Manus*. Instrumenta.

IX. Arg. Omnia sapiens sic patitur, ut fortuito accidentia. Sapiens autem Stoicus solummodo prudens est, cæteri omnes insaniunt, ut cuique ex Horatio, Serm. II, 3, 40, sqq. notum esse potest.

3. *Consilio*. Prudentia et intelligentia recta: opponuntur *motus animorum inconditi* i. e. impetus.

4. *Omne autem fortuitum citra nos sævit, et injuriatur*. Sic optimi codd. et edd. e. c. Erasmi, nisi quod hic habet: *circa nos*, male, ut facile videbis. Nos sumus elati supra sævitiam et injurias fortuitas, si quidem sapientes sumus. Lipsius explicat bene: Sapiens fortuita fert, et quidquid non consilio evenit: ergo et injuriam, quia hæc a stultis, quibus non est consilii copia, proficiscitur. *Injuriatur* occurrit et ap. Tertullian. adversus Gnosticos. 6. Lipsius tamen emend. etiam *injuria*. Gron. autem: *Omne.... sævit*: *et injuria igitur*. Unus enim cod. dabat *et inurnatur;* et quinque, *et invitia*.

5. *Illis*. Scilicet malis; mox enim

alia inter togatos [1] latrocinia sunt. Est et illa injuria fre- 2
quens; si lucrum alicui excussum est, aut præmium diu
captatum; si magno labore affectata hæreditas [2] aversa est,
et quæstuosæ domus gratia erepta [3]; hæc effugit sapiens,
qui nescit nec in spe, nec in metu vivere. Adjice nunc,
quod injuriam nemo immota mente accipit, sed ad sen-
sum ejus perturbatur: caret autem perturbatione vir
erectus, moderator sui, altæ quietis et placidæ. Nam si
illum tangit injuria, et movet, et impedit [4]: caret autem
ira sapiens, quam excitat injuriæ species; nec aliter ca-
reret ira, nisi et injuria, quam scit sibi non posse fieri.
Inde tam erectus lætusque est, inde continuo gaudio 3
elatus, adeo ad offensiones rerum hominumque non con-
trahitur, ut ipsa illi injuria usui sit, per quam experi-
mentum sui capit, et virtutem tentat. Faveamus, obsecro
vos, huic proposito, æquisque et animis et auribus adsi-
mus, dum sapiens injuriæ excipitur: nec quidquam ideo
petulantiæ nostræ, aut rapacissimis cupiditatibus, aut
cæcæ temeritati superbiæque detrahitur. Salvis vitiis 4
vestris, hæc sapienti libertas quæritur: non, ut vobis
facere non liceat injuriam, agimus, sed ut ille omnes
injurias in altum dimittat [5], patientiaque se ac magnitu-
dine animi defendat. Sic in certaminibus sacris [6] pleri-

explicat exemplis.— *Ut... submisso*, subornato ab aliis.

1. *Togatos*. I. e. Romanos, seu magistratus romanos.

2. *Est et illa..... aversa est*. Cf. quæ dixit supr. de Ira, lib. III, cap. 34. *Præmium*, hoc loco est, laboris et sudoris multi pretium, commodum aliquod.

3. *Hæreditas.....erepta*. Verb. grat. ad lib. V, cap. 5. — *Quæstuosæ*, mercatoris.

4. *Nam......impedit*. Si injuria tangeretur sapiens, ea quoque moveretur et quies ejus disturbaretur.—*Nisi et injuria*, supple, careret.

5. *In altum dimittat*. Lipsius, locum non intelligens, putat: aut *in alto* (quasi ipse sapiens in alto et sublimis dimittat injurias spernatque) aut potius *inultus*, una voce, i. e. sine vindicta injurias transit. Sed quidni *injurias in altum dimittere* sc. *mare* significet, nihil facere, negligere, non curare eas?

6. *In certaminibus sacris*, sc. Græ-

que vicere, cædentium manus obstinata patientia fatigando. Ex hoc puta genere sapientem eorum, qui exercitatione longa ac fideli, robur perpetiendi lassandique omnem inimicam vim consecuti sunt.

1 X. Quoniam priorem partem percurrimus, ad alteram transeamus : qua[1] jam quibusdam propriis, plerisque vero communibus contumeliam refutabimus. Est[2] minor injuria, quam queri magis quam exsequi[3] possumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt. Hunc affectum movet humilitas animi contrahentis se ob factum dictumque inhonorificum. Ille me hodie non admisit, quum alios admitteret : sermonem meum aut superbe aversatus est, aut palam risit : et non in medio
2 me lecto[4], sed imo collocavit[5]; et alia hujus notæ. Quæ quid vocem, nisi querelas nauseantis animi, in quas fere delicati et felices incidunt? non vacat enim[6] hæc notare, cui pejora instant. Nimio otio ingenia natura infirma et muliebria, et inopia veræ injuriæ lascivientia, his commoventur, quorum pars major constat vitio interpretantis. Itaque nec prudentiæ quidquam in se esse, nec fiduciæ ostendit, qui contumelia afficitur : non dubie enim

ciæ, olympicis, pythicis, nemeæis, isthmicis; quippe diis vel heroibus sacra erant: unde et ἀγῶνες ἱεροὶ vocabantur κατ' ἐξοχήν. Pugiles dicit, qui longa exercitatione ad illa certamina præparabantur. Conf. Corsini dissertatt. agonisticæ. Pauw. *Recherches sur les Grecs*. Tom. II, p. 147. sq. et *Meiners* Commentatt. Soc. reg. Gotting. T. XI, p. 260. sq.

X. Arg. Contumeliam injuria minorem esse dicit.

1. *Qua*. Antea : *quoniam......refutabimus*. *Contumelia*. Vox *contumelia* exsulat omnibus scriptis et edd. ante Muretum. Gronov. nostram lect. bene constituit, secutus Codd. et Erasmum, nisi quod hic *quoniam* habet, et *plerisque non communibus*. Propriis et communibus, quibus in antecedentibus injuriam a sapiente arcuerat Seneca, se refutaturum promittit contumeliam argumentis.

2. *Est*. Sc. contumelia.

3. *Exsequi*. Vindicare, ulcisci. de Ira lib. I, 12, 3.

4. *Lecto*. Recepi e Codd. et Gronov. ed. Antea : *loco*.

5. *Ille me hodie.....collocavit*. Similem sententiam vide de Ira, lib. III, cap. 37.

6. *Non vacat enim*; mihi, *cui pe-*

contemptum se judicat : et hic morsus non sine quadam humilitate animi evenit, supprimentis se ac descendentis.
Sapiens autem a nullo contemnitur, magnitudinem suam 3
novit : nullique tantum de se licere renuntiat[1] sibi : et omnes has quas non miserias animorum, sed molestias dixerim, non vincit, sed ne sentit quidem. Alia sunt quæ sapientem feriunt, etiamsi non pervertunt : ut dolor corporis, et debilitas[2], aut amicorum liberorumque amissio, et patriæ bello flagrantis calamitas. Hæc non nego sentire sapientem : nec enim lapidis illi duritiam ferrive asserimus; nulla virtus est, quæ non sentias, perpeti[3].

XI. Quid ergo est? Quosdam ictus recipit : sed re- 1
ceptos evincit, sanat, et comprimit[4]; hæc vero minora ne sentit quidem; nec adversus ea solita illa virtute utitur dura tolerandi : sed aut non annotat, aut digna risu putat. Præterea, quum magnam partem contumeliarum superbi insolentesque faciant, et male felicitatem ferentes : habet quo istum affectum inflatum respuat, pulcherrimam virtutem omnium, animi sanitatem[5], magnitudinemque. Illa quidquid hujusmodi est, transcurrit, ut vanas somniorum species, visusque nocturnos, nihil habentes solidi atque veri. Simul illud cogitat, omnes in- 2
feriores esse, quam ut illis audacia sit tanto excelsiora

jora mala *instant*, *hæc* exigua *notare*.

1. *Renuntiat sibi*. Dicit sibi.

2. *Debilitas*. Corporis mutilatio.

3. *Nulla virtus est........perpeti* : Exemplo est Diogenes Sinopensis, a Lipsio ad h. l. laudatus, qui hieme statuam æneam amplexus Lacone interrogante : an riges? se sentire negavit. Quid ergo, inquit Laco, magnum facis? Plutarch. in Laconum Apophthegm.

XI. Arg. Sapiens contumelias aut transcurrit, aut risu dignas putat.

4. *Quosdam...comprimit*. Conf. de Ira. lib. I, cap. 16, 6. sq. ibiq. notata.

5. *Animi sanitatem*. I. e. recta decreta animi; veræ sapientiæ proprium. Fortasse quoque de Ira. lib. III, cap. 1, 3. præstat eodem sensu intelligere τὸ a sanitate desciscere, quod ibi de morbis cepimus. Sanus enim nemo nisi sapiens est Stoicis.

despicere. Contumelia a contemptu dicta[1] est, quia nemo, nisi quem contempsit, tali injuria notat; nemo autem majorem melioremque contemnit, etiamsi facit aliquid quod contemnentes solent. Nam et pueri os parentum feriunt, et crines matris turbavit laceravitque infans, et sputo aspersit, aut nudavit in conspectu suorum tegenda, et verbis obscœnioribus non pepercit: et nihil horum contumeliam dicimus; quare? quia qui fecit contemnere
3 non potest. Eadem causa est, cur nos mancipiorum[2] nostrorum urbanitas, in dominos contumeliosa, delectet: quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si cœpit a domino. Ut quisque contemptissimus et ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. Pueros quidem in hoc mercantur procaces, et eorum impudentiam acuunt, et sub magistro habent, qui probra meditate effundant: nec has contumelias vocamus, sed argutias[3].

1 XII. Quanta autem dementia est, iisdem modo delectari, modo offendi: et rem ab amico dictam maledictum vocare, a servulo, joculare convicium? Quem animum nos adversus pueros habemus, hunc sapiens adversus omnes, quibus etiam post juventam canosque puerilitas est. An quidquam isti profecerunt, quibus animi mala sunt[4], auctique in majus errores, qui a pueris magnitudine tantum formaque corporum differunt; cæterum non minus vagi incertique, voluptatum sine dilectu appeten-

1. *Contumelia a contemptu dicta est.* Etymologiam hanc vanam esse, ut omnes fere quas antiqui extudere, facile in oculos se ingerit. Verior aut vero similior est derivatio a *tumere*: prima ejus vis fuisse videtur turgidi maris impetus, quæ et occurrit apud Cæsar. B. G. lib. III, cap. 13.

2. *Mancipiorum.* De vernis agitur: Cf. ad de Provident. cap. 1, extrem.

3. *Argutias*, Gallice, *des bons mots*.

XII. Arg. Contumeliam facientes tractat sapiens, ut servos joculariter convicia jactantes, aut ut pueros rectique ignaros, immo aliquando ut et pecudes rationis expertes et jumenta, quibus non indignamur.

4. *Quibus animi mala.* Id est, morbis et vitiis laborant et erroribus eo magis auctis, quo magis ab ado-

tes, trepidi, et non ingenio [1], sed formidine [2], quieti?
Non ideo quidquam [3] inter illos puerosque interesse quis 2
dixerit, quod illis talorum nucumque et æris minuti ava-
ritia est, his auri argentique et urbium : quod illi inter
ipsos magistratus gerunt, et prætextam fascesque ac tri-
bunal imitantur, hi eadem in campo foroque et in curia
serio ludunt : illi in litoribus [4] arenæ congestu [5] simulacra
domuum excitant, hi ut magnum aliquid agentes, in
lapidibus ac parietibus, et tectis moliendis occupati [6], ad
tutelam corporum inventa in periculum [7] verterunt? Ergo 3
par pueris, longiusque progressis, sed in alia majoraque
error est. Non immerito itaque horum contumelias sa-
piens ut jocos accipit : et aliquando illos, tanquam pue-
ros, malo pœnaque admonet et afficit; non quia accepit
injuriam, sed quia fecerunt, et ut desinant facere. Sic
enim et pecora verbere domantur : nec irascimur illis,
quum sessorem recusaverint, sed compescimus, ut dolor
contumaciam vincat. Ergo et illud solutum scies, quod

lescentibus puerisque........ differunt.

1. *Ingenio.* Natura et consilio.

2. *Formidine.* Timentes nempe, ne male mulctentur.

3. *Non ideo quidquam,* etc. Eamdem sententiam repetit Noster, Ep. CXV. — *Illis* : esse deberet ex regula grammat. *his*; spectat enim τὸ *illis* ad pueros. Sed apud Ciceronem quoque exempla hujus negligentiæ occurrunt. Cf. *Ernesti*, Clav. Cicer. voc. Hic.

4. *Illi in litoribus ...... excitant.* Lipsius laudat Hom. Il. O, 362, 6 *bis*.

5. *Arenæ congestu.* Revocavit recte Gron. cum Grutero ex Erasmi edd. Antea : *arena congesta*. Male.

6. *Hi ut magnum...... occupati.* De ædificiis in ponto, inprimis vero in cratere s. sinu Baiano constructis intelligo : propter litoris mentionem quam nisi hic valere putes, ad *lapsus Tectorum* (Romæ) *assiduos*. Ap. Juven. Sat III, vs. 7 referas. Proinde *lapides* sunt fundamenta e saxis in mare conjectis facta, quibus parietes et tecta superstruebantur. Qua occasione et alludit luxum, quem jam Horat. Od. II, vss. 18, 20. Od. III, vss. 1, 33. sq. taxaverat. Et temperati aeris et prospectus causa, ille sinus a proceribus et divitibus prælatus est ad ædificia illa construenda. Conf. Virg. Æn. lib. IX, vs. 711. ib. Heyn. Nunc totam regionis faciem fœdatam esse, docent, qui eam adierunt, vid. Meyeri *Darstellungen* p. 452. sq.

7. *In periculum.* Ob ruinas crebras ex mole et altitudine.

nobis opponitur : quare, si non accepit injuriam nec con-
tumeliam sapiens, punit eos qui fecerunt? non enim se
ulciscitur, sed illos emendat.

1 XIII. Quid est autem, quare hanc animi firmitatem
non credas in virum sapientem cadere, quum tibi in
aliis idem notare, sed non ex eadem causa liceat? Quis
enim phrenetico medicus irascitur? quis febricitantis et
a frigida prohibiti maledicta in malam partem accipit?
Hunc affectum adversus omnes habet sapiens, quem ad-
versus ægros suos medicus, quorum nec obscœna, si re-
medio egent, contrectare, nec reliquias et effusa intueri
dedignatur, nec per furorem sævientium excipere con-
2 vicia. Scit sapiens, omnes hos, qui togati [1] purpura-
tique [2] incedunt, valentes coloratosque [3] male sanos esse :
quos non aliter videt, quam ægros intemperantes. Itaque
ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi
sunt adversus medentem, et quo animo honores eorum
3 nihilo æstimat, eodem parum honorifice facta. Quemad-
modum non placet sibi [4], si illum mendicus coluerit, nec
contumeliam judicabit, si illi homo plebis ultimæ salu-
tanti mutuam salutationem non reddiderit : sic nec se
suspiciet quidem, si illum multi divites suspexerint; scit
enim illos nihil a mendicis differre, immo miseriores
4 esse; illi enim exiguo, hi multo egent. Et rursum non tan-
getur, si illum rex Medorum [5], Attalusve Asiæ, salu-

XIII. Arg. Nec irascitur iis, qui contumeliam inferunt, sapiens. Sunt enim ægrorum similes, insaniunt.

1. *Togati.* Magistratus, quorum togæ purpura prætexebatur.

2. *Purpuratique.* Ditiores et potentiores, quorum togæ e purpura totæ erant.

3. *Valentes coloratosque.* Hi, quos vides facie valentes et bene tinctos colore fortium, isti omnes male-sani sunt et ægri. A corpore valent, ab animo ægrotant. Cf. de Vit. Beat. 7. Sic locum bene interpretatur Lipsius.

4. *Placet sibi*, Magno honori sibi ducit.

5 *Rex Medorum.* Id est, Parthorum. Hor. lib. I, Od. 2, 51. Potentissimum Asiæ regnum fuit ab Arsace,

tantem silentio ac vultu arroganti transierit; scit statum
ejus non magis habere quidquam invidendum, quam
ejus cui in magna familia[1] cura obtigit ægros insanos-
que compescere. Num moleste feram, si mihi non red-
diderit nomen[2] aliquis ex his, qui ad Castoris[3] negotian-
tur nequam mancipia ementes vendentesque, quorum
tabernæ pessimorum servorum turba refertæ sunt? non,
ut puto: quid enim is boni habet, sub quo nemo nisi
malus est? Ergo ut hujus humanitatem inhumanitatem- 5
que negligit, ita et regis. Habes[4] sub te Parthos, Medos,
et Bactrianos: sed quos metu contines, sed propter quos
remittere arcum[5] tibi non contigit, sed postremos, sed
venales, sed novum aucupantes dominium[6]. Nullius ergo 6
movebitur contumelia: omnes enim inter se differunt:
sapiens quidem pares illos, ob æqualem stultitiam, omnes
putat. Jam si semel se dimiserit eo, ut aut injuria mo-
veatur, aut contumelia; non poterit unquam esse secu-
rus: securitas autem proprium bonum sapientis est. Nec

Persa quodam (ann. ante Chr. 256) conditum. Plin. N. H. lib. VI, c. 29. — *Attalusve Asiæ.* Fuit primo nomen regum Pergami, quorum ultimus, Attalus Philometor, Romanos hæredes regni sui reliquit ann. U. C. 621. Freinshem. Supplem. Liv. LIX, 11. Deinde reges ditiores Asiæ minoris, fortasse præfecti quoque Romani ex Asia reduces et ii ditiores (ut, ap. Anglos hodiernos, qui ex India orientali divitiis abundantes reversi sunt, *Nababs* audiunt), Attali dicti sunt.

1. *Familia.* Servorum.

2. *Reddiderit nomen.* Id est, salutationem reddiderit: quum tamen mancipia per nomina quotidie citet.

3. *Ad Castoris.* Est unicus locus hac in re de mancipiis emendis vendendisve ad Castoris ædes. Sed quum hic de ipsa urbe sermo sit, diversa lectio *ad castra* quæ mangones quoque secutos esse constat, non admittenda est. — *Castoris.* Ædes in foro Romano, juxta quas, ut ex hoc loco discimus, tabernæ venalium servorum fuere, in quibus mangones servos emebant vendebantque. Cæterum notus àpprime est Hellenismus perelegans *ad Castoris.*

4. *Habes.* Mangonem nempe, quamvis non hoc loco expresse nominat, alloquitur et dicit: Habes, o mango, sub te servos diversarum nationum.

5. *Remittere arcum.* Proverbialiter dictum est, de animo, in rem aliquam semper adverso, defixo.

6. *Dominium.* Gruter. et Gronov. ex edd. et multis codd. receperunt:

committet, ut vindicando sibi contumeliam factam, honorem habeat ei qui fecit; necesse est enim, a quo quisque contemni moleste fert, suspici gaudeat.

1 XIV. Tanta quosdam dementia tenet, ut contumeliam sibi posse fieri putent a muliere. Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam [1]? æque imprudens [2] animal est, et nisi scientia accessit ac multa eruditio [3], ferum, cupiditatum incontinens. Quidam se a cinerario [4] impulsos moleste ferunt, et contumeliam vocant ostiarii difficultatem, nomenclatoris [5] superbiam, cubicularii supercilium. O quantus inter ista risus tollendus est, quanta voluptate implendus animus, ex alienorum errorum tumultu, con-
2 templanti quietem suam! « Quid ergo? sapiens non accedet ad fores quas durus janitor obsidet? » Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur, et illum, quisquis

coll. de Vit. Beat. 5, 1. Consol. ad Marc. 20, 3. ubi *dominum* rescribas ex omnibus codd. Grut.—*Sed postremos......dominium.* Sub te habes homines infimæ notæ, dominum post dominum mutantes, et qui nunc in eo sunt, ut novum dominium captent.

XIV. Continuatio. Neque mulier, neque servus sapienti contumeliam inferre potest: ille enim non factam esse pronuntiabit.

1. *Quid refert.....sellam.* Nam divites, viri feminæque, hexaphoro vel octaphoro sella, s. lectica vehebantur: i. e. gestamine sex vel octo bajulorum. At tenuiores vel duobus contenti erant. Conf. Lipsii Electa. lib. I, cap. 19.— *Oneratas.* Unionibus, gemmisve (Senec. de Benef. lib. VII, cap. 9.).

2. *Imprudens.* Vel omnibus codd. et edd. reclamantibus recepi e conjectura mea in textum *imprudens*, vulgata ejecta: *impudens.* Curnam *impudens animal*? Nullam hujus cognominis causam invenies. Immo ideo eam animal imprudens vocat, quod nullis bonis literis, nulla scientia ac eruditione sit instructa. Est autem vox stoica, ut sæpe jam vidimus *imperitus, imperfectus, imprudens, stultus, puer*, opponuntur *prudenti, sapienti, viro.* Quo pertinet illud: quod unum bonum est Scientia; unum malum, Imperitia: Socraticis assertum. Cf. Lipsii Manuduct. ad Stoic. philos. lib. II, c. 1. p. 65. sq.

3. *Scientia......eruditio.* Sc. philosophia Stoica. Conf. Cons. ad Helv. 16, 9. sq.

4. *Cinerario.* Servo mulieris qui calamistris calefactis in cinere, capillum ornat. Varro de Lingua Lat. IV. 29. (p. 36. Tom. I. bip.

5. *Nomenclatoris.* Nomen obviam factorum domino suo indicantis.

erit, tanquam canem acrem [1], objecto cibo leniet, nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans et in pontibus quibusdam pro transitu dari. Itaque illi quoque, quisquis erit, qui hoc salutationum [2] publicum [3] exercet, donabit : scit emere venalia. Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, quod virgam [4] ejus fregit, quod ad dominum accessit, et petiit corium [5]. Fecit se adversarium [6] qui contendit, 3
et ut vincat, par fuit. « At sapiens colaphis percussus, quid faciet ? » quod Cato [7], quum illi os percussum esset ; non excanduit, non vindicavit injuriam : nec remisit quidem, sed factam negavit. Majore animo non agnovit quam ignovisset. Non diu in hoc hærebimus ; quis enim nescit, nihil ex his quæ creduntur bona aut mala, ita videri sapienti, ut omnibus ? Non respicit quid homines turpe judicent, aut miserum ; non it qua populus : sed ut sidera [8] contrarium mundo iter intendunt, ita hic adversus opinionem omnium [9] vadit.

XV. Desinite itaque dicere : « Non accipiet ergo sa- 1

1. *Canem acrem.* Et ipsi janitores canem secum habebant ad ostium alligatum, et catena erant adstricti, ut canes. Cf. De Ira lib. III, cap. 37, 2.

2. *Salutationum.* Præfert Lipsius : alii *salutatorium.*

3. *Publicum.* Quasi vectigal, τελωνεία, pro admissione ad salutandum.

4. *Virgam.* Seu arundinem ad submovendos indignos importunosve.

5. *Corium.* Id est, petiit, ut ostiarius servus vapularet, et sibi de corio ejus satisfieret, ex Mureti interpretatione sana, a Gronovio probata, inprimis contra Lipsium, qui usum loquendi (petere corium) dubitaverat. *Petere* enim, ut constat, est verbum judiciale : actor est *petitor*, *qui petebat*, et adversarius is, *unde petitur.* In publicis judiciis mulctam et pœnam petit accusator. Jam quum *vitam*, *sanguinem*, *caput petere* dicitur, quidni translato inde modo loquendi et dicatur : *corium petere ?* Accedit itaque ad dominum ut accusator, quem statim dicit facere se adversarium. Nihili igitur est Lipsii conjectura : *petiit lorum.*

6. *Fecit se adversarium.* Rixam et pugnam adscivit : et quamvis vincat, in æquo cum illo stetit.

7. *Cato.* Cf. de Ira, lib. II, cap. 32, 2.

8. *Sidera*, planetæ ; *mundo*, cælo.

9. *Omnium.* Imprudentium.

XV. Arg. Cave, ne modulo tuo

piens injuriam, si cædetur? si oculus illi eruetur? non accipiet contumeliam, si obscœnorum vocibus improbis per forum agetur[1]? si in convivio regis[2], recumbere infra mensam[3], vescique cum servis ignominiosa officia sortitis jubebitur? si quid aliud ferre cogetur eorum, quæ excogitari pudori ingenuo molesta possunt?» In quantumcunque ista vel numero vel magnitudine cre-
2 verint, ejusdem naturæ erunt. Si non tangent illum parva, ne majora quidem: si non tangent pauca, ne plura quidem. Sed ex imbecillitate vestra conjecturam capitis ingentis animi: et quum cogitastis, quantum putetis vos pati posse, sapientis patientiæ paulo ulteriorem terminum ponitis. At illum in aliis mundi finibus sua virtus collocavit, nihil vobiscum commune habentem. Quare etsi aspera, et quantumcunque toleratu gravia sint, audituque et visu refugienda, non obruetur eorum cœtu, et qualis singulis, talis universis obsistet. Qui dicit, illud tolerabile sapienti, illud intolerabile, et animi magnitudinem intra certos fines tenet, male agit; vincit nos fortuna, nisi tota vincatur. Nec putes istam Stoicam
3 esse duritiam. Epicurus[4], quem vos patronum inertiæ vestræ assumitis, putatisque mollia ac desidiosa præcipere, et ad voluptates ducentia: « Raro, inquit, sapienti intervenit Fortuna[5]. » Quam pæne emisit viri vocem!

sapientem metiaris. Epicurus adeo haud multum abludit ab hac sententia Stoica.

1. *Si obscœnorum....... agetur.* Sibilis et conviciis hominum turpium proscissus.

2. *Regis.* I. e. potentioris.

3. *Infra mensam.* Id est, in subsellio juxta lectum.

4. *Epicurus.* De eo omnia explicata et nota sunt post *Gassendi.* Scripta ejus omnia periere. Cf. Fabric. Bibl. Græc. Tom. III, pag. 582, sqq. *Tiedemann, Geist. der Spekul. Philos.* lib. II, 366, sq.

5. *Raro...... fortuna.* Vitruv. præfat. libri VI, hæc ipsa affert: « Epicurus non dissimiliter (sub. ait): Pauca sapientibus Fortunam tribuere; quæ autem maxima et necessaria sunt, animi mentisque cogitationibus gubernari. »

Via[1] tu fortius loqui, et illam[2] ex toto submovere? Do-
mus hæc sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu,
sine apparatu, nullis observatur janitoribus, turbam ve-
nali fastidio[3] digerentibus : sed per hoc limen vacuum,
et ab ostiariis liberum, fortuna non transit; scit non esse
illic sibi locum, ubi sui nihil est. Quod si Epicurus quo- 4
que, qui corpori plurimum indulsit[4], adversus injurias
exsurgit : quid apud nos incredibile videri potest, aut
supra humanæ naturæ mensuram? Ille ait injurias tole-
rabiles esse sapienti, nos injurias non esse.

XVI. Nec est quod dicas, hoc naturæ repugnare. Non 1
negamus rem incommodam[5] esse, verberari et impelli,
et aliquo membro carere, sed omnia ista negamus inju-
rias esse; non sensum illis doloris detrahimus, sed no-
men injuriæ, quod non potest recipi virtute salva. Uter
verius dicat, videbimus : ad contemptum quidem injuriæ
uterque consentit. Quæris quid inter duos intersit? Quod
inter gladiatores fortissimos; quorum alter premit[6] vul-
nus, et stat in gradu, alter respiciens ad clamantem po-
pulum significat nihil esse, et intercedi non patitur. Non 2

1. *Vis tu loqui?* Id est, nonne vis?

2. *Illam.* Fortunam nempe; cujus modo nomen a loquente Epicuro prolatum est.

3. *Venali fastidio.* Quidam libri: *studio. Fastidio* præfero cum Lipsio; loquitur enim Seneca de fastu ac fastidio janitorum, qui introitum dent, ut quisque dedit, aut daturus speratur. *Venale* igitur *fastidium* est, quia pro pecunia fastum ponunt, aut sumunt. Sunt illi canes, qui objecta offa placantur; cap. 14, 2.

4. *Quod si Epicurus...... indulsit.* Quoniam summum bonum in voluptate posuit.

XVI. Arg. Hæc præcepta naturæ non repugnant. Injuriæ enim non sunt, ex Stoicorum mente, quæ vulgo feruntur injuriæ.

5. *Rem incommodam.* Hæc pertinent ad Stoicorum ἀποπροηγμένα, rejecta, rejectanea, a M. T. Cicerone vocitata. Quatuor autem classes τῶν ἀδιαφόρων (mediorum inter bonum et malum) constituebant Stoici. Quæ multa æstimatione (ἀξίᾳ) essent digna, προηγμένα, proposita (apud Cicer. de Fin. lib. IV, cap. 25; lib. III, cap. 15) commoda : iis opponebantur, ἀποπροηγμένα. *Tiedemann*, *System der Stoisch. Philos.* lib. III, cap. 289.

6. *Premit.* Occultat.

est, quod putes magnum, quo dissidemus. Illud de quo agitur, quod unum ad nos pertinet, utraque [1] exempla hortantur : contemnere iujurias, et, quas [2] injuriarum umbras ac suspiciones dixerim, contumelias, ad quas despiciendas non sapienti opus est viro, sed tantum conspiciente [3], qui sibi possit dicere : « Utrum merito mihi
3 ista accidunt, an immerito? Si merito, non est contumelia, judicium est; si immerito, illi, qui injusta facit, erubescendum est. Et quid est illud, quod contumelia dicitur? in capitis mei lævitatem jocatus est, et in oculorum valetudinem, et in crurum gracilitatem, et in staturam. Quæ contumelia est, quod apparet [4], audire? Coram uno aliquid dictum ridemus, coram pluribus indignamur : et eorum aliis libertatem non relinquimus, quæ ipsi in nos dicere assuevimus. Jocis temperatis delectamur, immodicis irascimur. »

1 XVII. Chrysippus [5] ait quemdam indignatum, quod illum aliquis Vervecem marinum [6] dixerat. In senatu

1. *Utraque exempla.* Gladiatorum, qui vulnus contemnunt.

2. *Quas injuriarum...... dixerim.* Conf. de Ira, lib. I, cap. 16, 7.

3. *Conspiciente.* Lectio vulg. et ea bona ; i. e. homine attento, nulla sapientia prædito. Vel homo imprudens, sensu stoico, oculis tantum instructus, contumelias despicere potest. Rubenius tamen emendabat, *consipiente*, explicatione addita, *mentis compote.* Quam emend. Gronovius, cui, ut Criticis interdum usu venire solet, verbum consipere, de cujus auctoritate ne satis quidem constat (ubicumque enim legitur, emendationi locum suum debet) in deliciis erat, libenter excepit, et ejus causam suscepit. Vide Gronov. de Ira, lib. III, cap. 13, 2. Natur. Quæst. lib. VI, 29, 1. Aul. Gell. 7, 3, 12, ibiq. Intpp.

4. *Quod apparet.* Quod verum et cuique videre est, probri loco ab aliquo audire.

XVII. Arg. Levitas hominum ad minuta et levia convicia irascentium reprehenditur. Contumelia aliorum præoccupanda et nostra vitia a nobismetipsis irridenda.

5. *Chrysippus.* Tertius doctor in Stoa. Successit Athenis Cleanthi. Multa ejus scripta periere omnia. Fabric. Bibl. Græc. Tom. III, p. 546, seq. *Tiedemann*, *Geist der Spek. Philos.* lib. II, 431, sq.

6. *Vervecem marinum.* Quum joci causa dictum sit, frustra quærimus quod sit animal hoc in rerum natura. *Vervex*, pro *stolido*, sæpissime.

flentem vidimus Fidum Cornelium [1], Nasonis generum, quum illum Corbulo Struthiocamelum [2] depilatum dixisset. Adversus alia maledicta, mores et vitam convulnerantia, frontis illi firmitas constitit : adversus hoc tam absurdum lacrimæ prociderunt. Tanta animorum imbecillitas est, ubi ratio discessit! Quid, quod offendimur, 2
si quis sermonem nostrum imitatur, si quis incessum, si quis vitium aliquod corporis aut linguæ exprimit? quasi notiora illa fiant alio imitante, quam nobis facientibus. Senectutem quidam inviti audiunt, et canos, et alia, ad quæ voto pervenitur. Paupertatis maledictum quosdam perussit : quam sibi objecit, quisquis abscondit. Itaque materia petulantibus et per contumeliam urbanis detrahitur, si ultro illam et prior occupes; nemo aliis risum præbuit, qui ex se cepit. Vatinium [3] hominem natum 3
et ad risum [4], et ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriæ proditum est; in pedes [5] suos ipse plurima dicebat, et in fauces concisas [6] : sic inimicorum, quos plures habebat quam morbos, et in primis [7] Ciceronis urbanitatem effugit. Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conviciis depudere didicerat, cur is non possit, qui

1. *FidumCorn.,Nasonis...Corbulo.* Unus Seneca hanc historiam tradidit. Cneius Domitius *Corbulo*, de quo hîc, fuit sub Claudio et Nerone, a quo Cenchreis ad Corinthum morti destinatus sibi ipse manum intulit, fortis et felix dux. Tacitus ejus sæpe meminit : et Dio Cass. lib. LX, cap. 30; lib. LXII, cap. 19, sq. lib. LXIII, cap. 17, ubi mors ejus memoratur. De Fido Cornelio, Senatore romano, veteres quantum sciam, præter Nostrum nihil memoraverunt. — *Nasonis*, an Ovidii? ignoramus.

2. *Struthiocamelum*. Propter formam et staturam : fuisse videtur oblongus homo, collo cruribusque gracilis, et calvus.

3. *Vatinium*. De homine illo improbissimo cf. Ciceronis orationem (sive potius interrogationem) in Vatinium.

4. *Risum*. Natus fuit rideri.

5. *Pedes*. Podagra enim laborabat.

6. *Fauces concisas*. Ob strumas sæpius exsectas. Cic. orat. laud. cap. 16; ad Attic. lib. II, 9, post med.

7. *Cicer*. Loca adducta non recordatus est Noster. Catulli convicia non

studiis liberalibus, et sapientiæ cultu ad aliquem profec-
4 tum pervenerit? Adjice, quod genus ultionis est, eripere ei qui fecit, contumeliæ voluptatem. Solent dicere : Miserum me, puto non intellexit! adeo fructus contumeliæ in sensu et indignatione patientis est. Deinde non deerit illi, aliquando parem invenire, qui [1] te quoque vindicet.

XVIII. C. Cæsar[2] inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnibus aliqua [3] nota feriendis[4], ipse materia risus benignissima. Tanta illi palloris insaniam testantis fœditas erat, tanta oculorum sub fronte anili [5] latentium torvitas, tanta capitis destituti[6], et emendicatis [7] capillis[8] aspersi deformitas; adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum, et enormitatem pedum. Immensum est, si velim singula referre, per quæ in patres, avosque [9] suos contumeliosus fuit, per quæ in uni-

effugit Vatinius. Cf. epig. 14, 53, etc.

1. *Deinde non deerit illi, aliquando parem invenire, qui....* Bene hanc lectionem reduxit Lipsius e cod. suo. Antea apud Erasmum aliter : *Deinde non deerit illi aliquando par. Invenietur qui te quoque vindicet.*

2. *C. Cæsar.* De Caio Caligula imperatore mentionem fieri advertas.

3. *Nota.* Id est, macula.

4. *Omnibus aliqua nota feriendis.* Id est, dum omnes aliqua nota feriebat. Reduxit Gronovius ex libris Erasmi (qui in margine hæc notaverat) et Lipsii. Antea *omnes aliqua nota feriendi*, vel *feriendo.* Latinius est receptum vulgari. Cf. Gronov. ad Liv. lib. XXIV, 15, pag. 339, 1.

5. *Fronte anili.* Ignoramus, an veteres *fronti anili* eamdem significationem tribuerint, ac Nostrates. Proinde et quoniam libri variant, aliis *havili*, aliis *simul* referentibus, Lipsius conjecit *sima*, et hoc rejecto, *simili.* Equidem nihil muto, etiamsi vulgat. nec mihi arridet, quum Sueton. Calig. 50, frontem latam et torvam Caligulæ tribuerit. — Alioqui *frons anilis*, id est, rugosa, simul cum notione stultitiæ.

6. *Destituti.* Oblongi, ideoque eminentiori, et quasi solius.

7. *Emendicatis.* Id est, adscititiis ideoque externis. De capillamento Caligulæ exstat saltem mentio quædam ap. Sueton. Calig. cap. 11. De usu verbi tamen dubito : nec diversæ lectiones *medicatis* (id est fuco tinctis) nec *enudati totis cap.* placent. Fortasse erat *ementitis* — Miramur quod de hoc verbo incertus sit Ruhkopf, et alias lectiones præferat, quum tam planus sit sensus; si interpreteris *des cheveux mendiés.* Capillo raro fuisse Calig. refert Suet. loc. l.

8. *Tanta illi... pedum.* Cf. Sueton. Calig. 50.

9. *In patres avosque.* Id est in Se-

versos ordines : ea referam, quæ illum exitio dederunt.
Asiaticum Valerium [1] in primis amicis habebat, ferocem 2
virum, et vix æquo animo alienas contumelias laturum.
Huic in convivio, item in concione[2], voce clarissima, qua-
lis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Dii boni, hoc
virum audire, Principem scire, et usque eo licentiam
pervenisse, ut non dico consulari, non dico amico, sed
tantum marito Princeps et adulterium suum narret, et fas-
tidium [3]? Chæreæ [4], tribuno militum, sermo non pro
manu erat [5], languidus sono [6], et infracta voce [7] suspectior.
Huic Caius signum [8] petenti modo Veneris, modo Priapi 3

natores, et in *avos*, Agrippam in primis. Cf. Suetonius, cap. 23.

1. *Asiaticum Valerium.* Quæ Noster hic tradit, non usquequaque convenire videntur cum Sueton. 18, nec Dione Cass. lib LIX, cap. 29, 30. Sed si Nostrum accuratius inspicias, omnis dissensus evanescit. Asiaticus Valerius, sensus est, contumelia affectus est a Caligula : vindicatus a Chærea, qui et ipse fœdissimo probro laceratus erat. In conjuratis tamen et Asiaticus Val. fuisse videtur ; dicit enim Seneca : Ea referam, quæ illum exitio dederunt. Consularem virum et Dio Cass. lib. LIX, cap. 30, Asiaticum appellat, quocum et consentit Tacit. Annal. lib XI, cap. 1, ubi Sosibius eum ut *præcipuum auctorem interficiendi Cæsaris* (Caligulæ) apud Claudium defert. Tractaverat hæc Tacitus in libris deperditis.

2. *Item in concione.* Omnium fere librorum scriptura. Erasmus omittit τὸ *item*. Alii dant : *idem*. Gronov. conj. ad lib. De Tranquil An. cap. 11, § 2, *item in cognitione* : et hoc rejecto: *id est, in concione*. Nescio, cur isti monstro, Caligulæ, hanc impudentiam fuisse non credamus, ut in concione populi narraverit adulteria, quem tamen omnia scimus effutivisse. Nisi omnes libri conspirarent, pro glossemate haberem.

3. *Fastidium.* Contumeliosa itaque quædam in uxorem Valerii effuderat.

4. *Chæreæ.* De hoc viro, qui Caligulam manu sua occidit, eadem tradit Dio Cass. lib. LIX, cap. 29. ubi eum hominem antiquorum morum et fortem appellat.

5. *Sermo non pro manu erat.* Credidit Ruhkopf idem hic esse *pro* ac *loco*, ideoque sic exposuit : Sermo ei non erat loco fortitudinis. Patet contra sensum hujus vocis esse : *en raison de.* Non illi erat, ut virilis manus et fortitudo, sic virilis sermo.

6. *Sono* : alii *somno* : Mox *infracta voce* : bene habent hæ lectiones vulg. Vacillantes libri non sunt h. l. curandi.

7. *Suspectior*, quod languidus ille sermo mollem mulierem magis quam strenuum militem decebat.

8. *Signum.* Gallice *mot du guet*, *mot d'ordre*; quod sæpe Chæreæ a Caligula petendum erat, quum non tantum tribunus militum, ut supra dicit noster, sed tribunus cohortis prætoriæ esset, testante Suet. Cal. 56.

dabat : aliter atque aliter [1] exprobrans armato [2] mollitiam. Hæc ipse perlucidus [3], crepidatus [4], auratus [5]. Coëgit itaque illum uti ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter conjuratos manum sustulit : ille cervicem mediam uno ictu discidit [6]; plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscentium gladiorum ingestum est;

4 sed primus vir fuit, qui minime visus est [7]. At idem Caius omnia contumelias putabat, et sicut ferendarum impatiens, faciendarum cupidissimus. Iratus fuit Herennio Macro, quod illum Caium salutaverat : nec impune cessit primipilario [8], quod Caligulam dixerat. Hoc [9] enim in castris natus, et alumnus legionum vocari solebat, nullo nomine militibus familiarior unquam factus : sed jam Caligulam convicium et probrum judicabat [10] cothurnatus. Ergo hoc ipsum solatio erit, etiamsi nostra facilitas ultionem omiserit, futurum aliquem, qui pœnas exigat a pro-

1. *Aliter atque aliter.* Mox ut feminæ, mox ut homini libidinoso.

2. *Signum petenti........ mollitiam.* Idem refert Sueton. cap. 56. Dio. Cass. l. l.

3. *Hæc ipse perlucidus*, etc. Intellige ista fecit, ista exprobravit quum et ipse esset mollitie infamis, et affectator nimiæ luxuriæ. *Perlucidus* est indutus veste diffluente nec solum nitida atque molli, sed perlucida quales erant Coa vela, *textiles venti*, *nebulæ lineæ*. Sic Martial. lib. XII, Epig. XXXVIII, vs. 3, « perlucidus ostro ».

4. *Crepidatus*. I. e. in soleis, quæ ad negligentiam domesticam pertinebant. Vid. de Ira, lib. III, cap. 18.

5. *Auratus*. Codd. et edd. lectio bona. Pincianus e conjectura invexerat ingeniose : *armillatus*. Cf. Suet. Calig. cap. 52.

6. *Discidit*. e. Sueton. cap. 58, restitui. Antea : *decidit*. Verba composita e *di* et *de* sæpe confundi notum est. Cf. Cuperi Obs. lib. IV, cap. 5, pag. 67, sqq.

7. *Primus vir fuit qui minime visus est.* I. e. Chæreas ille quem virum esse negabat Caligula, muliebrem vocem et effeminatæ mollitiæ speciem exprobrando, se primus virum, scilicet fortem, exhibuit, tyrannum primo ictu feriendo.

8. *Primipilario.* Qui primo pilo triariorum præerat.

9. *Hoc.* Hoc nomine, scilicet Caligula, et illo altero : *alumnus legionum* vocabatur. Conf. Tacit. Annal. lib. I, cap. 44. Sueton. Caligula. IX.

10. *Cothurnatus.* Pincianus dedit e conjectura, et quidem bene. Antea : *Con urbatis ergo*, etc. Quod sensu omnino carebat.

cace, et superbo, et injurioso : quæ vitia nunquam in uno homine, et in una contumelia consumuntur. Respiciamus 5
eorum exempla, quorum laudamus patientiam : ut Socratis [1], qui comœdiarum publicatos in se et spectatos sales in partem bonam accepit, risitque non minus, quam quum ab uxore Xanthippe [2] immunda aqua perfunderetur. Antistheni [3] mater barbara et Thressa objiciebatur : respondit, et deorum matrem Idæam [4] esse.

XIX. Non est in rixam colluctationemque veniendum : procul auferendi pedes sunt, et quidquid horum ab imprudentioribus fiet, (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) negligendum. Et honores et injuriæ vulgi, in promiscuo [5] habendi sunt : nec his dolendum, nec illis gaudendum. Alioquin multa, timore contumeliarum aut 2
tædio, necessaria omittemus : et publicis privatisque officiis, aliquando etiam salutaribus, non occurremus, dum muliebris nos cura angit, aliquid contra animum audiendi : aliquando etiam obirati potentibus, detegemus hunc affectum intemperanti libertate. Non est autem libertas nihil pati ; fallimur : libertas est, animum supponere inju-

1. *Socratis.* Aristophanem (Fabric. Bib. Gr. Vol. II, pag. 363), et Amipsiam, (Fabric. ib. et pag. 409. sq. Menag. ad Diog. Laert. lib. II, cap. 28), alludit. In primis legi merentur commentationes duæ Tychsenii, *über den Process des Socrates* in : *Bibliothek der alten litteratur u. Kunst.* (*Sur le procès de Socrate, dans la Bibliothèque de la littérature et des arts des anciens.*) Part. I et II, Gotting. 1786.

2. *Xanthippe.* Conf. Diog. Laert lib. II, cap. 36, ib. Menag.

3. *Antistheni.* e codd. Ante Lipsium : *At Iphicrates. De Antisthene* Cf. Diog. Laert. lib. VI, cap. 1, ubi Menag. nostrum hunc locum non prætermisit.

4. *Idæam.* Phrygiam, a monte Ida nominatam, ideoque et barbaram. Alias vocatur Berecynthia, Cybebe, Cybele, Cybelle. Locus classicus de hac dea est ap. Lucret. lib. II, vs. 598, sqq. Conf. Schlichtegroll *zu Abbildungen ægypt. griech. u. roem. Gottheiten*, (*Sur la représentation des divinités grecques et romaines*), II, pag. 75, sqq.

XIX. Arg. Remedia adversus injurias et calumnias.

5. *In promiscuo.* I. e. Eodem loco sunt habendi, i. e. æque spernendi sunt.

riis, et eum[1] facere se, ex quo solo sibi gaudenda veniant: exteriora deducere a se, ne inquieta agenda sit vita, omnium risus, omnium linguas timenti. Quis est enim, qui non possit contumeliam facere, si quisquam[2] potest? Diverso autem remedio utetur sapiens, assectatorque sapientiæ. Imperfectis enim, et adhuc ad publicum se judicium dirigentibus, hoc proponendum est, inter injurias ipsos
3 contumeliasque debere versari. Omnia leviora accidunt exspectantibus; quo quisque honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat: memor, in prima acie altos ordines stare, contumelias, et verba probrosa, et ignominias, et cetera dehonestamenta, velut clamorem hostium ferat, et longinqua tela, et saxa sine vulnere circa galeas crepitantia. Injurias vero, ut vulnera, alia armis, alia pectori infixa, non dejectus, ne motus qui-
4 dem gradu, sustineat. Etiamsi premeris et infesta vi urgeris, cedere tamen turpe est: assignatum a natura locum tuere. Quæris quis hic sit locus? viri. Sapienti aliud auxilium est huic contrarium. Vos enim rem geritis: illi parta victoria est. Ne repugnate vestro bono, et hanc spem, dum ad verum pervenitis, alite in animis: libentesque meliora excipite, et opinione ac voto juvate. Esse aliquem invictum, esse aliquem in quem nihil fortuna possit, e re publica humani generis est.

1. *Libertas est...... cum facere se.* Explicat τὴν ἀπάθειαν Stoicorum. *Eum facere se*, facere ut sit talis. Est Horatianum (Od. lib. III, 29, 55), « mea virtute me involvo. » Εἰς σεαυτὸν συνείλου ap. Antonin. VII, 28, ubi vid. Gataker, pag. 271.

2. *Si quisquam potest.* Si uni licet, quidni et omnibus. Est ex Publiano illo adumbratum: Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest. Tranq. Anim. cap. 11, § 6.

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD L. ANNÆI SENECÆ LIBRUM

DE CONSTANTIA SAPIENTIS.

Sénèque y traite de l'injure, de l'ignominie, de l'arrogance, de la vengeance, de la force, de la sécurité, du chemin qui conduit à la vertu.

Je ne crois pas que le vicieux puisse supporter la lecture de Sénèque, à moins qu'il ne se soit fait un système de perversité qui le garantisse de la honte et du remords, ou que, né scélérat et bouffon, il n'ait le courage de se moquer de la vertu.

Ce traité est adressé à Sérénus. Si le chemin par lequel le stoïcien conduit l'homme au bonheur est escarpé; en revanche, rien n'est si facile à suivre que la pente qu'il lui indique pour se soustraire à l'infortune.

« Insensé! pourquoi gémir? Qu'attends-tu? la fin de tes maux » d'un hasard? tandis qu'elle se présente à toi de tous côtés. Vois » ce précipice : c'est par-là qu'on descend à la liberté; vois cette » mer, ce fleuve, ce puits : la liberté est cachée au fond de leurs » eaux; vois cet arbre : elle est suspendue à chacune de ses bran- » ches; porte ta main à ta gorge; pose-la sur ton cœur : ce sont » autant d'issues à la servitude, il n'y pas une de tes veines par » laquelle ton malheur ne puisse s'échapper... » Cette morale est-elle inspirée à un Sénèque par un Caligula?

Plus j'y réfléchis, plus il me semble que nous aurions tous besoin d'une teinte légère de stoïcisme, mais qu'elle serait surtout utile aux grands hommes.

. . . .

Ce livre de *la Constance du Sage* est une belle apologie du stoïcisme, et une preuve sans réplique de l'âpreté de cette philosophie dans la spéculation, et de son impossibilité dans la pra-

tique. Je crois qu'il serait plus difficile d'être stoïcien à Paris, qu'il ne le fut à Rome, ou dans Athènes.

A tout moment on est tenté de dire à Sénèque et aux autres rigoristes : Vos remèdes, superflus pour l'homme sain, sont trop violens pour l'homme malade. Il faut en user avec la multitude comme les maîtres en gymnastique : c'est par un long exercice et des sauts modérés qu'ils préparent leurs élèves à franchir un large fossé ; encore entre ces élèves y en a-t-il dont les jambes sont si faibles, si pesantes, les muscles des cuisses si mous, que, quel que soin qu'ils se donnent, ils n'en feront jamais que de mauvais sauteurs. Que faut-il apprendre à ceux-là ? A marcher. Et à ceux qui ont peine à marcher ? A se traîner.

Je ne le dissimulerai pas, je suis révolté du mot de Stilpon [1] et du commentaire de Sénèque [2] : « Je me suis échappé à travers » les décombres de ma maison ; j'ai trempé mes pieds dans les » ruisseaux du sang de mes concitoyens égorgés ; j'ai vu ma patrie » jetée dans l'esclavage ; mes filles m'ont été ravies ; au milieu » du désastre général, je ne sais ce qu'elles sont devenues ; mais » qu'est-ce que cela me fait à moi ?..... » Qu'est-ce que cela te fait, homme de bronze !... « Je n'ai rien perdu... » Si tu n'as rien perdu, il faut que tu sois étrangement isolé de tout ce qui nous est cher, de toutes les choses sacrées pour les autres hommes. Si ces objets ne tiennent au stoïcien que comme son vêtement, je ne suis point stoïcien, et je m'en fais gloire ; ils tiennent à ma peau, on ne saurait me séparer d'eux sans me déchirer, sans me faire pousser des cris. Si le sage tel que toi ne se trouve qu'une fois, tant mieux ; s'il faut lui ressembler, je jure de n'être jamais sage.

[1] Je voudrais que Sénèque n'eût point supposé que Stilpon avait perdu et sa femme et ses enfans (Voy. la lettre IX) ; car c'est pousser un peu trop loin la philosophie que de se vanter qu'en ce cas-là même, on n'avait rien perdu. C'est apparemment une fausse glose de Sénèque ; il n'y a que lui qui fasse mention de cette perte. Diogène Laërce n'en parle point, ni Plutarque dans les deux endroits où il rappelle la réponse de Stilpon, savoir : au traité *de Educat. pueror.* pag. 5, et au traité *de Animi tranquilitate*, pag. 475. (Bayle, Dict. Crit. remarq. F de l'art. Stilpon.)

[2] De la Constance du Sage, chap. VI. (Voy. surtout Épitre IX.)

« On imagine à peine que l'homme soit capable de tant de » grandeur et de fermeté..... » Dites de stupidité féroce. Mais le rôle de Stilpon était-il vrai? Je le crois, parce que j'aime mieux lui supposer une insensibilité que j'abhorre qu'une hypocrisie que je mépriserais. Soldats, tuez ces infâmes usuriers qui ont perdu les registres de rapines sur lesquels ils attachaient des regards pleins de joie, et qui, dans leur désespoir, offrent leurs poitrines nues à la pointe de vos glaives; mais ce tigre qui semble s'amuser du désastre de sa ville, et qui foule d'un pied tranquille les cadavres de ses parens, de ses amis, de ses concitoyens, ne l'épargnez pas.

« Il y a autant de différence entre les stoïciens et les autres » philosophes, qu'entre l'homme et la femme... » Cela serait plus exact des cyniques.

« La plaisanterie coûta la vie à Caligula... » J'ai toujours désiré que le despote fût plaisant. L'homme supporte l'oppression, mais non le mépris : il répond tôt ou tard à une ironie par un coup de poignard.

En lisant ce que la raison dictait à notre philosophe sur l'affront, l'injure et la vengeance, je regrettais le chapitre qu'il eût ajouté à son ouvrage s'il eût vécu chez des barbares, où l'on est déshonoré, quand l'on ne se venge pas d'un mot ou d'un geste méprisant, et où l'on est poursuivi par des lois rigoureuses et ruiné, si l'on se venge.

Exiger trop de l'homme, ne serait-ce pas un moyen de n'en rien obtenir?

L. ANNÆI SENECÆ

DE OTIO

AUT

SECESSU SAPIENTIS

LIBRI PARS.

ARGUMENTUM.

Orditur ab otio laudibus efferendo : meliores erimus singuli in secessu; cap. 28, 4. At vero nonne hoc contra sententias Stoicorum est, qui usque ad ultimum vitæ finem in actu esse præcipiunt? Epicureum dogma amplecteris. Cui objectioni respondetur : Stoicorum duces se sequi, quippe qui ad rempublicam capessendam non accesserint; nec se a præceptis eorum desciscere. Quod ut probet, dicenda in duas dividit partes : 1° posse aliquem omni jure et secundum Stoicorum præcepta vel a prima ætate contemplationi veritatis totum se tradere; 2° seniorem a reipubl. tractatione secedere posse et in otio vivere; cap. 30. Quod ad primum attinet, Stoicis hæc una cum Epicureis placent, nisi quod hi otium petant ex proposito, et coacti ad remp. accedant; illi causa gravi permoti otium amplectantur; cap. 30, 3. Causæ vero istæ in republ. sitæ sunt : si desperate corrupta, si occupata est malis; deinde si auctoritate, viribus aut valetudine bona caret sapiens; cap. 30, § 4 – 31. Neque tamen inutilis erit. Nam quum duæ respublicæ cogitari possint, et vere sint, altera magna et vere publica, qua dii et homines continentur, altera minor, in qua quisque natus sit, cui utrique deservire possumus, ad hanc majorem et in otio accedere licet, quærendo, quid sit virtus, etc. brevi, philosophando; cap. 31 Ad contemplationem vero a natura conditos nos esse, docetur primum magna cupiditate cuique homini innata nova et ignota noscendi audiendive : deinde ipso loco quem in mundo tenemus, tum figura erecta, quam natura nobis dedit. Ita materiam acquirimus, qua nixi et ad ea transimus animo menteque, quæ sensuum observationibus se subducunt, et quæ ultra mundum jacent; cap. 32, 9. Deinde et actioni natura nos genuit : quæ cum contemplatione semper conjuncta est. Talem vitam egere Zenon, Cleanthes, Chrysippus, quippe qui docendo et scribendo non uni civitati, sed toti humano generi profuerunt, ideoque ex præceptis suis vixerunt; cap. 32, 14. Præterea tria vitæ genera, voluptarium, contemplativum, activum, ita inter se apta et nexa sunt, ut nec contemplatio, nec actio ulli eorum desit. Sapiens autem stoicus contemplationem præfert, quandoquidem ea respublica illi deest quæ eum, aut quam ipse pati possit.

Jam supra, de Tranq. An. cap. 3, vidimus, de otio sapientis quæstionem fuisse inter Philosophos, in primis inter Stoicos, qui otium prætulerunt, si causæ graviores obstarent, quominus ad reip. tractationem accederet sapiens, contra Epicureos, qui otium omni reip. tractationi anteposuerunt, nec ad remp. accessurum putabant sapientem, nisi si quid interveniret. Ce-

teri philosophi a Stoicorum stetere partibus. Nec ipsum Platonem aliam sententiam sequutum esse, inprimis patet e VII ejus Epistola ad Dionis propinquos et amicos, Tom. X, pag. 92, sq Bip.

Quum liber hicce mancus sit, neque de tempore, in quo scriptus sit, neque de nomine, neque de consilio libri, etc., certi quid definiri potest.

(Hoc fragmentum de Otio sapientis, quod in codicibus et veteribus edd. cum libro de Beata Vita connexum est, Muretus et Lipsius ab illo libro recte sejunxerunt, et inscriptione nunc vulgari illud instruxerunt. Ego non tantum sejunxi, sed propter argumenti similitudinem post librum de *Constantia sapientis* collocandum arbitratus sum. Feci autem hoc, non tam Mureti, Lipsii, Fabricii et Ernesti (Cf. Fabricii Biblioth. Lat. Vol. II, pag. 106, ed. Ernest.) auctoritatibus subnixus, quam ipso libelli tenore et argumento, quod cap. 29, 1, 2, declaratum legitur, permotus. Senecam ibi videmus singulari libro Stoicorum usum a reipublicæ tractatione abstinendi, ideoque decretum eorum de Otio sapientis defensum ivisse. Quæ quidem cum libro de Beata Vita non nisi contorte et violenter connecti posse videntur, Jureto quamvis contrariam sententiam parum dilucide atque perspicue tuito. Accedit quod in fragmento hocce neque vinculum satis firmum quo uti possis ad nexum restituendum, nec ulla quidem vitæ beatæ mentio occurrit. (*Hæc e præfatione I vol. edit. Ruhkopf, ad calcem, deprompta sunt.*)

L. ANNÆI SENECÆ

DE OTIO

AUT

SECESSU SAPIENTIS

LIBRI PARS.

XXVIII.....Circi nobis [1] magno consensu vitia commendant. Licet nihil aliud quam quod sit salutare [2] tentemus, proderit tamen per se ipsum secedere [3]; meliores erimus

Arg. XXVIII. Otii præstantia ad mores bonos formandos et ad firmum virtutis amorem comparandum. Stoicis hæc esse contraria, objicitur.

1. *Circi nobis*, etc. Ante hæc lacunam esse, quivis intelligit: attamen non magnam. Sequenti enim capite materiam dividit, et ideo ostendit, quæ nunc perierunt, procemii loco posita esse. Vetus tamen est jactura. — Adjecta fuisse videtur hæc libri pars volumini in quo erat liber de Vita beata: cui libro, foliis nonnullis perditis, deinde in edd. priscis e. c. Erasmi adhæsit: etsi argumentum est diversissimum. Capitum numeros ab iis usurpatos qui hunc librum finem esse libri *de beata vita* (qui ipse ex XXVII capite constat.) crediderunt, servavimus, ne confusioni locum daremus. — Exordium circa mala, quibus turba homines afficere solet, versatum esse videtur. Proinde præfero τὸ *Circi*, in quibus omnibus diei temporibus frequentia hominum versabatur partim ob ludos circenses, certis anni temporibus ibi celebratos, partim ob multa voluptatum et ludicrarum artium genera. Cf. Salmas. ad Solinum p. 635 sq. Alii tamen libri: *cur nobis*, quæ sensu carent.

2. *Quam quod sit salutare.* τὸ *quam* dedi ex Erasm., ut necessarium; deest in Lipsii, Gronov. al. edd.

3. *Proderit tamen per se ipsum secedere;* hæc ex edit. Colon. reposuit Lipsius. Antea: *proderit tamen posse ipsum secedere.*

singuli. Quid, quod secedere ad optimos viros [1], et ali-
quod exemplum eligere, ad quod vitam dirigamus, li-
cet? quod nisi in otio non fit [2]. Tunc potest obtinere quod
semel placuit [3], ubi nemo intervenit, qui judicium adhuc
imbecillum, populo adjutore, detorqueat [4]: tunc potest
vita æquali et uno tenore procedere, quam propositis di-
2 versissimis scindimus. Nam inter cetera mala illud pes-
simum est, quod vitia ipsa mutamus; sic ne hoc quidem
nobis contingit, permanere in malo jam familiari. Aliud
ex alio placet: vexatque nos hoc quoque, quod judicia
nostra non tantum prava, sed etiam levia sunt. Fluctua-
mus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinqui-
mus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem nostram
3 et pœnitentiam vices sunt [5]. Pendemus enim toti ex alienis
judiciis, et id optimum nobis videtur, quod petitores lau-
datoresque multos habet, non id, quod laudandum pe-
tendumque est. Nec viam bonam ac malam per se æsti-
mamus, sed turba vestigiorum, in quibus nulla sunt
redeuntium [6]. Dices mihi: « Quid agis Seneca? deseris

1. *Secedere ad optimos viros*. Non vere, sed mente tantum et animo. Aliquem eligamus ex iis viris qui indole, qui ingenio claruere, illius facta, mores, vitam iterum iterumque animo recolamus, arripiamus, combibamus, ut mox imitemur; id est quodammodo apud illum secedere.

2. *Proderit tamen.... quod nisi in otio non fit*. In libris vett. erat: *quod in otio non fit*. Erasm. et Muretus hanc clausulam omisere, a Lipsio repositam, qui sensus causa proposuit: *nonne fit*? Gronov. em. *nisi in otio non fit* recepimus, ut sensus saltem adsit; quidni enim non æque bene conjeceris: *quod in negotio non fit* sive, *quod in actione non fit?* — *Quod nisi in otio non fit*. Conf. de Brevit. vit. 6, 6.

3. *Tunc potest...... placuit*. Fusius paulo: Tunc ad eum finem aliquis potest pervenire quem sibi proposuit, quum, etc.; tunc ea exsequi nos valemus, quæ meliora judicavimus, si, etc.

4. *Detorqueat*. Flectat in propositum aliud.

5. *Fluctuamus... vices sunt*. Hanc hominis inconstantiam non semel objurgat nostras *Montaigne*. præcipue lib. II, cap. 201, ubi multa veterum loca de ipso hoc vitio affert.

6. *Turba.....redeuntium*. Ad notam fabulam de leone ægrotante, cui, roganti, cur non intraret in speluncam, uti ceteræ bestiæ. respondet

» partes. Certe Stoici vestri dicunt : Usque ad ultimum » vitæ finem in actu erimus, non desinemus communi » bono operam dare, adjuvare singulos, opem ferre etiam » inimicis miti manu [1]. Nos sumus, qui nullis annis va» cationem damus, et, quod ait ille vir disertissimus :

» Canitiem galea [2] premimus. »

» Nos sumus, apud quos usque eo nihil ante mortem
» otiosum est, ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa.
» Quid nobis Epicuri præcepta in ipsis Zenonis princi-
» piis loqueris [3] ? Quin tu bene naviter, si partium pi-
» get, transfugis potius, quam prodis [4] ! » Hoc tibi in 5
præsentia respondebo : numquid vis amplius, quam ut
me similem ducibus meis præstem ? Quid ergo est ? non
quo [5] miserint me illi, sed quo duxerint, ibo.

XXIX. Nunc probabo tibi, nec desciscere me a præ-

vulpes : Video quod vestigia intrantium multa, at nulla exeuntium.

1. *Miti manu.* Quidam libri : *eruti manu.* Lipsius emendat : *mente, manu.* Quæ dedi, mea conjectura est. Conf. de Clement. lib. II, cap. 6 ; de Vita beata xx, 4 : « inimicis mitis et facilis. »

2. *Canitiem galea premimus.* Hemistichium Virgil. Æneid. lib. IX, vs. 612, ex oratione Numani, cui Remulo cognomen erat, ex agro Piceno oriundi, in qua veteris Italiæ disciplina ac vita dura et militaris egregie describitur. Splendidam et magnam Virgilii imaginem sic imitatus est *Racine*, in fabula tragica *Mithridate.*

Jusqu'ici la fortune et la victoire mêmes
Cachaient mes cheveux blancs sous trente diadèmes.

Nec minus bene Lyricus noster *Lebrun.*

Qu'il est beau de couvrir les cheveux blancs d'un père
Des lauriers de son fils.

Ceterum de hoc stoico præcepto cf. de Tranquill. animi. c. III.

3. *Quid nobis...loqueris?* De his itaque in antecedentibus locutus erat. *Principiis* i. e. in ea parte castrorum, qua dux solet habitare, ideoque in potissima parte philosophiæ moralis, a Zenone propositæ.

4. *Transfugis potius quam prodis.* Ille transfugit qui popularium castra deserit, in hostilia evolaturus ; prodit vero qui apud suos dum manet, suorum consilia, aut opes hosti tradit.

5. *Non quo,* etc. Non quo *miserint* præceptis suis, *sed quo duxerint* præeundo. Exempla priorum Stoæ doctorum, Zenonis, Cleanthis, Chrysippi sequar, ut quos numquam reipublicæ tractationi operam suam dicasse constat.

XXIX. Arg. Dividit quæstionem in duas partes : primo, secundum præcepta Stoicorum licere per totam vitam unice contemplationi veritatis se tradere ; secundo, officiis et mune-

ceptis Stoicorum : nam ne ipsi quidem a suis descive-runt : et tamen excusatissimus essem, etiamsi non præcepta illorum sequerer, sed exempla [1]. Hoc quod dico, in duas dividam partes. Primum, ut possit aliquis, vel a prima ætate, contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi quærere, atque exercere, secreto.
2 Deinde, ut possit hoc aliquis emeritis jam [2] stipendiis, profligatæ ætatis [3], jure optimo facere, et ad alios actus animum referre : virginum Vestalium more, quæ, annis inter officia divisis, discunt facere sacra, et quum didicerunt, docent [4].

XXX. Hæc Stoicis quoque placere ostendam : non quia legem dixerim mihi, nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere : sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam [5] : quam si quis semper unius

ribus functo licere a republica secedere, et otio se committere.

1. *Non præcepta illorum sequerer, sed exempla.* Nam aliud præcipiunt, aliud faciunt homines; at Stoicorum vitam rectius imitatus sane esses quam dogmata accepisses.

2. *Emeritis stipendiis.* I. e. functus omnibus humanæ vitæ stipendiis (Senec. Ep. 93.) scilicet officiis, muneribus publicis.

3. *Profligatæ ætatis.* Id est, senior homo. *Profligare* Augusteo ævo proprium est verbum de iis rebus, quæ inchoatæ quidem et aliquo perductæ, sed nondum ad finem promotæ sunt; leniori significatione, qua ab etymol. et prima verbi potestate recedit. Conf. Duker. ad Florum lib. II, c. 15 p. 414.

4. *Virginum Vestalium..... docent.* Monachæ Romanorum fuerunt hæ virgines Vestales, ex instituto Numæ Pompilio tribui solito, ut quæque ad religionem vetustiorem spectantia, a Pontifice Max. lectæ s. captæ, numero sex, quarum natu maxima *virgo maxima* dicebatur. Per triginta annos officio suo, administratione sacrorum Vestæ et Deæ Bonæ, fungi tenebantur; et quidem ita, ut decem annos discerent, decem operarentur, et reliquos decem juniores lectas docerent. Quo tricennali tempore peracto, e collegio secedere et nubere licuit. De his Vestalibus, magni æstimatis Romæ, plura dabunt Plutarch. vit. Numæ Pompil. c. IX, p. 290 sq. Leopold. et Lipsius in Syntagmate de Vesta et Vestalibus.

XXX. Arg. Quod primo loco posuerat capite antecedenti nunc persequitur, docens, Stoicis hoc decretum placere. Zenon enim dixerat : Sapiens accedet ad Remp. nisi si quid impedierit. Distinguenda itaque sunt tempora.

5. *Me ire...... sententiam.* Proprie Senatorum esse sententiæ senatoris in Curia assentientium (ire pedibus,

sequitur, non id curiæ, sed jam factionis est[1]. Utinam
quidem jam tenerentur omnia, et inoperta ac confessa
veritas esset! nihil ex decretis mutaremus : nunc verita-
tem, cum iis ipsis qui docent, quærimus. Duæ maximæ
in hac re dissident sectæ, Epicureorum et Stoicorum : sed 2
utraque ad otium diversa via mittit. Epicurus[2] ait : « Non
» accedet ad rempublicam sapiens, nisi si quid interve-
» nerit. » Zenon[3] ait : « Accedet ad rempublicam, nisi
» si quid impedierit. » Alter otium ex proposito petit,
alter ex causa. Causa autem illa late patet : si respublica 3
corruptior est, quam ut adjuvari possit; si occupata est
malis, non nitetur sapiens in supervacuum, nec se nihil
profuturus impendet[4], si parum habebit auctoritatis aut
virium : nec illum erit admissura respublica, si valetudo
illum impediet. Quomodo navem quassam non deduce- 4
ret[5] in mare, quomodo nomen in militiam non daret debi-

ire in sent.) constat. Conf. Ernesti Clav. Cic. Discessio. Hinc de quocunque assensu dici cœptum est.

1. *Non id curiæ, sed jam factionis est.* Hæc lectio ingeniosa debetur Lipsio. Antea : *non id vitæ s.* Libri scripti dabant : *non injuria sed in factionis est* : unde Lipsius lectionem receptam fecit. Certe Seneca interdum alludit ad Senatum s. Curiam, e. c. de Vita beat. c. 2 et 3. Sensus : si quis semper unius sententiæ se mancipat, non senatorem agit, sed factiosum. Confert Lipsius Tertullian. Apologet. c. 39 : « Quum boni coeunt, quum pii et casti congregantur, non est factio dicenda, sed Curia. »

2. *Epicurus.* Quippe qui perturbationum vacuitatem quæsivit, ideoque noluit ut sapiens ad rempublicam accederet. Ipse hoc præcepit, Diogene Laert. referente X, 77, 119.

3. *Zenon.* Idem tradit Diog. Laert. VII, 121, πολιτεύσεσθαί φασι τον σοφὸν, ἂν μή τι κωλύῃ, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ Περὶ βίων. Cic. de finib. III, cap. 20. Quum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit administrare rempublicam, etc.

4. *Se impendet. Impendium sui faciet*, proprie, sed hic forsan, rigido strictoque minus sensu *sua impendet*, opes, verbi g. dignitatem, bonam valetudinem, etc.

5. *Deduceret.* Machinis *navem in mare* deducebant, per hiemem in continenti conservatam, conf. Mitscherlich ad Horat. lib. I, Od. IV, vs. 2. *Deduci* autem proprie dicitur de navibus quas mari injiciunt, de iis vero quæ, sive vitandarum procellarum causa, sive ob imminentem hie-

lis[1]: sic ad vitam, quam inhabilem sciet[2], non accedet. Potest ergo et ille, cui omnia adhuc in integro sunt, antequam ullas experiatur tempestates, in tuto subsistere, et protinus commendare se novis artibus[3]: et illud beatum otium exigere, virtutum cultor, quæ exerceri etiam a quietissimis possunt. Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis; si minus[4], paucis; si minus, proximis; si minus, sibi. Nam quum se utilem ceteris efficit, commune agit negotium[5]. Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus iis, quibus melior factus prodesse potuisset: sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat[6].

XXXI. Duas respublicas animo complectamur, alteram magnam[7], et vere publicam, qua dii atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos civitatis nostræ cum sole metimur: alteram, cui nos adscripsit conditio nascendi. Hæc aut Atheniensium erit, aut Carthaginiensium, aut

mem, aut semifractum alveum a mari evocantur, *trahi*. Horat. loc. cit. « *Trahunt* que siccas machinæ carinas. »

1. *Debilis*. Membris captus. Vide de Provid. lib. III, cap. 2.

2. *Sic ad vitam, quam inhabilem sciet*. Lectio vulg. et ea bona, ante Muretum, qui e conj. dedit: *ad iter, quod inhabile sc.* Reduxi ex edd. priscis, e. c. Erasm. MSS. *sic aditum, quod inhabile sc.* Salmasius adscripserat, Gronov. notante: *Sic ad actum, qui se habilem sc.* Parum feliciter.

3. *Artibus*, scilicet studiis.

4. *Si minus*. Pro, *si minus tantum fieri potest*.

5. *Commune .... negotium*. Quatenus Stoici et mundanos se esse dicerent, et sibi ipsi virtute exercenda prodessent.

6. *Si quis..... parat*. Si quis se bonum efficiat, aliis prodest quod parat hominem qui prodesse possit.

XXXI. ARG. Quum duæ respublicæ cogitari possint, altera minor, in qua quisque aut natus aut civis sit, altera major, nempe hic mundus, ipse ille qui contemplationi commendaverit se, otium actuosum agere potest, ideoque utilis esse.

7. *Alteram magnam*. Conf. Epist. LXVIII, et Consolat. ad Marciam c. 18. Cæterum de hac civitate sæpe jam mentionem factam vidimus ap. Nostrum: et est in Stoicorum decretis.

alterius alicujus urbis, quæ non ad omnes pertineat ho-
mines, sed ad certos. Quidam eodem tempore utrique 2
reipublicæ dant operam, majori minorique : quidam tan-
tum minori : quidam tantum majori. Huic majori reipu-
blicæ et in otio deservire possumus : imo vero nescio, an
in otio melius, ut quæramus [1], quid sit virtus, una plu-
resve sint [2]? natura an ars bonos viros faciat [3]? unum sit
hoc quod maria terrasque, et mari ac terris inserta com-
plectitur, an multa ejusmodi corpora Deus sparserit [4]? con-
tinua sit omnis et plena materia, ex qua cuncta gignuntur,
an diducta, et solidis inane permixtum sit [5]? Deus sedens 3
opus suum spectet, an tractet [6]? utrumne extrinsecus illi cir-
cumfusus sit [7], an toti inditus? immortalis sit mundus, an
inter caduca, et ad tempus nata, numerandus [8]? hæc qui

1. *Ut quæramus*, etc. Sequentes quæstiones in causa fuisse, cur philosophi diversarum sectarum inter se digladiarentur, nunc satis e Platone constat.

2. *Una pluresve sunt. Unam animi virtutem esse*, ait Noster Epist. LXVI, quæ tota conferenda est, *sed multas ejus species, quæ pro vitæ varietate et pro actionibus explicantur.* Erat Stoicorum virtus non aliud quam recta ratio, justitia. Plures placuere Academicis et Peripateticis, etc. Cic. de Invent. II, 53; Diog. L. VII, 125; Lipsii Manuduct. ad stoic. philos. II, 21.

3. *Natura..... faciat.* Jam Socratis tempore quærebatur : an docilis virtus esset? Xenoph Mem. S. I, 2, 19, sqq. Stoici consensu affirmabant. Lipsius in Manud. laud. II, X. Plato et Aristoteles contrariam secuti sunt sententiam.

4. *Unum sit.... sparserit.* Unusne mundus sit, an plures aut infiniti? Unum mundum probavere Stoici, Diog. L. VII, 137, plures aut infinitos Democritus, Anaxagoras, Epicurus al. Diog. lib. X, 45 ibique Menag.

5. *Continua........ permixtum sit.* Utrum materia, ὕλη, una serie cohæreat, et sine fine vacua sit, ut Stoici præcepere, an dividatur, et in infinitas partes secetur, secundum Academicos, an atomis in vacuo, secundum Epicureos, contineatur : Cf. Diog. L. VII, 150 ibiq. Menag.

6. *Deus... tractet.* Senecam Epicureos Stoicis opponere manifestum est.

7. *Utrumne.... sit.* Epicurus deum extra mundum in intermundiis posuit. Seneca de Benef. lib. IV, cap. 19. Stoici vero mundum et Deum unum idemque esse statuerunt. Diog. Laert. VII, 137.

8. *Immortalis........ numerandus.* Stoici ipsi inter se de hac re dissidebant : Epicurei vero inter caduca et ad tempus nata contra Aristotelem numerabant. Cf. Tiedemann, *Geist*

contemplatur, quid Deo præstat[1]? ne tanta ejus opera sine
teste sint. Solemus dicere, summum bonum esse, se-
cundum naturam vivere : natura nos ad utrumque genuit,
et contemplationi rerum, et actioni.

XXXII. Nunc probemus, quod prius diximus[2]. Quid
porro? hoc non erit probatum, si se unusquisque consu-
luerit, quantam cupiditatem habeat ignota noscendi,
quam ad omnes fabulas[3] excitetur? Navigant quidam,
et labores peregrinationis longissimæ una mercede per-
petiuntur, cognoscendi aliquid abditum remotumque.
Hæc res ad spectacula populos contrahit, hæc cogit præ-
clusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates[4] evol-
2 vere, mores barbararum audire gentium. Curiosum no-
bis natura ingenium dedit : et artis sibi ac pulchritudinis
suæ conscia[5], spectatores nos tantis rerum spectaculis
genuit[6], perditura fructum sui, si tam magna, tam clara,
tam subtiliter ducta, tam nitida, et non uno genere for-
mosa, solitudini ostenderet. Ut scias illam spectari vo-

d. sp. Phil. (Esprit de la philos. spéculative), lib. II, pag. 458.

1. *Quid Deo præstat.* H. e. fusius : quale officium Deo præstat? Ut sit testis et spectator operum divinorum. Noster de Benef. lib. VI, cap. 23, 5.

XXXII. Arg. Ut probet, hominem contemplationi rerum natum esse, affert cupiditatem communem hominum ignota noscendi, audiendive reperta, et tum naturalium rerum causas, tum earum quæ extra mundum sunt, indagandi. Inde sequitur, hominem et ad agendum et ad contemplationem esse natum : et quum tria vitæ genera sint, activum, contemplativum et voluptarium, alterum sine altero esse nequit : ipsa adeo voluptaria secta in actu est. Denique quærere cœpit, ad quam remp. sapiens accessurus sit.

2. *Prius.* Nos a natura contemplationi esse destinatos.

3. *Fabulas*, narrationes de rebus novis, sive sint veræ, sive fictæ.

4. *Antiquitates*, res antiquas.

5. *Artis sibi.... conscia.* Non abest e Genesi, cujus initio : « Et vidit Deus lumen quod esset bonum. »

6. *Spectatores.... genuit.* Hæc Senecæ sententia, naturam sive deum nos efformavisse ut tanta spectacula contemplaremur atque ita quemdam ex opere suo fructum ipse perciperet, mire congruit (ut tam multa nostri philosophi) cum iis quæ religio christiana nos docet, nimirum suæ gloriæ causa numen omnia creavisse.

luisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit. In media nos sui parte constituit [1], et circum- 3
spectum omnium nobis dedit: nec erexit [2] tantummodo hominem, sed etiam ad contemplationem factum [3], ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime [4] fecit illi caput,
et collo flexibili imposuit. Deinde sena per diem, sena 4
per noctem signa produxit [5], nullam non partem sui explicuit: ut per hæc quæ obtulerat ejus oculis, cupiditatem faceret etiam ceterorum; nec enim omnia, nec tanta visimus, quanta sunt [6]; sed acies nostra aperit sibi investigando viam, et fundamenta veri jacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura, et aliquid ipso mundo in-
veniat antiquius. Unde ista sidera exierint [7]? quis fuerit 5
universi status, antequam singula in partes discederent? quæ ratio mersa et confusa diduxerit? quis loca rebus

1. *In mediâ...... constituit.* Cf. ad Consol. ad Marc. 26, 4.

2. *Erexit.* Hæc ipsa jam multis ante nostrum observata esse constat: e. c. Cic. de Nat. Deor. lib. II, 56.

3. *Sed etiam ad contemplationem factum.* Erasmi et priorum edd. lectio et a MSS. exiguo discrimine data. *Factum... fecit* offendit Gronovium qui propterea *aptum* proposuit.

4. *Sublime fecit illi caput.* « *Os* homini *sublime* dedit, cælumque tueri Jussit et erectos ad sidera tollere vultus. » Ovid. Metam., lib. I, v. 85 sq.

5. *Deinde sena... produxit.* Spectant hæc ad Zodiacum, cujus sex signa qualibet die oriuntur, i. e. supra horizontem nostrum ascendunt, libra, scorpius, sagittarius, capricornus, aquarius, pisces; totidemque qualibet nocte, reliqua. Cf. Manil. lib. I, 263 sqq.

6. *Nec enim omnia.... sunt.* Conf. Nat. Qu. lib. VII, 30 sqq.

7. *Unde ista sidera exierint?* i. e. a qua origine? Ex igne secundum Stoicos. Duo enim rerum principia statuebant, Deum et materiam: Deum esse ignem intelligentem: πῦρ νοερὸν, materiam vero aquæ similem. Ex his creata esse quatuor elementa, ex quibus summum locum obtinere ignem: ex purissimo igne nata esse solem et astra, quæ ut ignea humore nutriri. Cf. Lipsii Physiol. lib. II, cap. 14, pag. 105 sqq. — Easdem quæstiones excussit celeberrimus *Buffon* in opere cui titulus *les Époques de la nature.* Sed omnia fere quæ in hoc continentur falsa affirmant Physici recentiores; et qui hæc circa sudat et satagit, nimis perspicuum est in irritum fatigari, quippe quæ humanum captum superent.

assignaverit? suapte natura gravia descenderint, evola-
verint levia [1]; an præter nisum pondusque corporum al-
tior aliqua vis legem singulis dixerit? an illud verum sit,
quo maxime probatur hominem divini spiritus [2] esse,
partem [3] ac veluti scintillas quasdam sacrorum [4] in terras
6 desiluisse, atque alieno loco hæsisse? Cogitatio nostra
cœli munimenta perrumpit, nec contenta est id quod
ostenditur scire. Illud, inquit [5], scrutor, quod ultra mun-
dum jacet: utrumne profunda vastitas sit, an et hoc ipsum
terminis suis cludatur? qualis sit habitus exclusis [6]: infor-
mia et confusa sint, an in omnem partem tantumdem loci
7 obtinentia [7], an et illa in aliquem cultum descripta sint [8]?
huic cohæreant mundo, an longe ab hoc secesserint, et in

1. *Suapte natura...... levia.* Ut temere satis (sed hoc poetæ facile condonandum) Naso evenisse canit, Metamorph. lib. I, fab. 1.

2. *Hominem divini spiritus esse.* Hoc admiserunt veteres fere omnes et omnis sectæ discipuli, sive poetæ illi, sive oratores aut sophi exstiterint. Plut., Quæst. Platon. hæc habet: ἡ δὲ ψυχὴ νοῦ μετασχοῦσα, καὶ λογίσμου, καὶ ἁρμονίας, οὐκ ἔργον ἐστι τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος, οὐδ' ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονεν. Pindar. Nemeis, Εἶδ. ϛʹ, initio. Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν Ματρὸς ἀμφότεροι. Similiter Virgil. Æneid. lib. VI, vs. 747: « Ætherium sensum atque aurai simplicis ignem, » et paulo ante vs. 730: « Igneus est ollis vigor et cœlestis origo Seminibus. »

3. *Partem.* Ἀποσπαάσματα enim mundi animos humanos Stoici credidere, cum Platone sentientes, qui mentem humanam dicit ἀπόσπασμα, τμῆμα, μόριον τῆς τοῦ παντὸς ψυχῆς.

4. *Sacrorum.* Ant. lect. Lipsius conj. *astrorum*: haud scio an melius.—*Sacrorum*, i. e. ignium æternorum, qui secundum Stoicos sacri et dii quidam.

5. *Inquit.* I. e. dicitur, dicunt. De vacuo quæro.

6. *Exclusis.* I. e. iis rebus quæ extra hunc mundum exstant.

7. *An in omnem partem tantumdem loci obtinentia.* An rudis indigestaque moles sint, sine ulla forma et pulchritudine, tantumdem loci spatii in omnem partem (nempe in longitudinem, altitudinem, latitudinem) obtinentia.

8. *Descripta sint.* An illa ipsa quæ ultra hunc mundum sunt, ita disposita fuerint ut aliquam formam aliqua cura excultam exprimant. Recentiores quidam philosophi hanc quæstionem agitaverunt, nec dubitavit Nostras *Fontenelle*, in libro inscripto *De la pluralité des mondes*, pronunciare planetas incolis vita et mente præditis habitari. Imo germanus quidam scriptor, *Wolf* nomine, eo procedit ut calculis definire auderet quæ uniuscujusque planetæ incolis altitudo et forma tribuenda sit.

vacuo volutentur? individua [1] sint, per quæ struitur omne 7
id quod natum futurumque est, an continua eorum materia sit, et per totum mutabilis [2]? utrum contraria inter se elementa sint, an non pugnent, sed per diversa conspirent. Ad hæc quærenda natus, æstima, quam non multum acceperit temporis, etiam si illud totum sibi vindicet. Cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, licet horas avarissime servet, et usque in ultimæ ætatis humanæ terminos procedat, nec quidquam
illi ex eo quod natura constituit, fortuna concutiat [3]; ta- 8
men homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Ergo secundum naturam vivo, si totum me illi dedi, si illius admirator cultorque sum. Natura autem utrumque facere me voluit, et agere, et contemplationi vacare. Utrumque facio: quoniam ne contemplatio quidem sine
actione est [4]. « Sed refert, inquis, an ad hanc volup- 9
tatis causa accesserit, nihil aliud ex illa petens, quam assiduam contemplationem, sine exitu: est enim dulcis, et habet illecebras suas [5]. » Adversus hoc tibi respondeo; æque refert, quo animo civilem agas vitam · an ut semper inquietus sis, nec unquam sumas ullum tempus, quo

1. *Individua*. I. e. corpuscula secari nescia, atomi.

2. *An continua...mutabilis*. Stoica sententia, antecedenti Epicureorum opposita. Atomi enim sunt immutabiles, nec diversas formas accipere possunt, quæ tantummodo concursu vario exsistunt.

3. *Concutiat*. Explicant quidam: male turbet, aut morbis aut infortuniis magnis quæ animum a nobili spectaculo avocent; sed perperam. Sensus est: *excutiat, rapiat, supprimat* partem vitæ.

4. *Ne contemplatio quidem sine actione est*. Agit nempe qui contemplatur, dum quæ speculatione longa pervidit, cæteros mortalium docet, humanam vitam sic emendans, ornans, regens. Quod si alios edocere mors citior adveniens vetet, tamen id sibi proposuit, dumque contemplaretur, acturus erat; quod si edocere noluit, tunc fatendum est nihil actionis mixtum ejus arcano labori; at hunc damnat eximitque Annæus e sapientium numero.

5 *An ad hanc*, etc. Supple secundam quæstionem: an ad hanc (contemplationem) actionis causa accedat.

10 ab humanis ad divina respicias[1]. Quomodo res appetere,
sine ullo virtutum amore, et sine cultu ingenii, ac nu-
das[2] edere operas, minime probabile est: (misceri enim
inter se ista, et conseri[3] debent:) sic imperfectum ac
languidum bonum est, in otium sine actu projecta virtus,
11 nunquam id quod didicit ostendens. Quis negat, illam de-
bere profectus suos in opere tentare, nec tantum, quid
faciendum sit, cogitare, sed etiam aliquando manum
exercere, et ea quæ meditata sunt, ad verum perdu-
cere? Quid? si per ipsum sapientem non est mora, si non
actor deest[4], sed agenda desunt: ecquid illi secum esse
permittes[5]? Quo animo ad otium sapiens secedit? ut sciat
12 secum quoque ea acturum, per quæ posteris prosit. Nos
certe sumus, qui dicimus, et Zenonem[6] et Chrysippum
majora egisse quam si duxissent exercitus, gessissent
honores, leges tulissent; quas non uni civitati, sed toti
humano generi[7] tulerunt. Quid ergo est, quare tale otium
non conveniat bono viro, per quod futura secula ordi-
net, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes om-

1. *Nec unquam...... respicias.* « O curvæ in terris animæ et cælestium inanes. » Persius, Sat. II, 61.

2. *Nudas.* Quæ quales sint animo non antepræcepisti quam exsequerere. Duo sunt quæ secerni operæ pretium est, deliberationem et acta. Deliberationem necesse est ad æqui et recti æternum exemplar totam deduci, acta vero deliberationi congrua esse. Sed *operas*, i. e., acta nuda, mera, absque deliberatione et prudentia, minime sunt probabilia, i. e. probanda, laudanda.

3. *Conseri.* e MSS. Lipsio probante. Antea: *conferri.* sensus est: una seri et jungi.

4. *Si per ipsum.... actor deest.* Si non sapiens moratur se negotiis applicare, si non agere ille abnuit, sed si agere cupienti nihil obvenit quod agat, etc.

5. *Ecquid........ permittes?* Num illi otioso esse licebit? Quem autem vel animum ei esse debere putemus, quo in otio tamen, id quod didicerit, ostendat, et posteris utilem se præbeat?

6. *Zenonem et Chrysippum.* Illos in exemplum affert ut potissimos stoicæ sectæ auctores: Chrysippus autem doctori suo Cleanthi anteponebatur.

7. *Non uni civitati, sed toti humano generi.* Hæc congrua sunt cum iis quæ supra dixit, cap. XXXI, ubi duas *respublicas* definit, alteram universam, alteram privatam.

nium gentium homines, quique sunt, quique erunt? Ad 13
summam quæro, an ex præceptis suis vixerint Cleanthes, et Chrysippus, et Zenon? Non dubie respondebis, sic illos vixisse, quemadmodum dixerant esse vivendum. Atqui nemo illorum rempublicam administravit. « Non fuit illis, inquis, aut fortuna, aut dignitas, quæ admitti ad publicarum rerum tractationem solet [1]. » Sed iidem nihilominus non segnem egere vitam : invenerunt, quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quam aliorum discursus [2] et sudor. Ergo nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamvis nihil publice agerent. Præ- 14
terea tria genera sunt vitæ, inter quæ, quod sit optimum, quæri solet : unum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni. Primum, deposita contentione depositoque odio quod implacabile diversa sequentibus indiximus [3], videamus, an hæc omnia ad idem sub alio titulo perveniant. Nec ille, qui voluptatem probat, sine 15
contemplatione est; nec ille, qui contemplationi inservit, sine voluptate est; nec ille, cujus vita actioni destinata est, sine contemplatione est. « Plurimum, inquis, « discriminis est, utrum aliqua res propositum, an pro« positi alterius accessio sit [4]. » Sane grande discrimen :

1. « *Non fuit......... solet?* » Censu enim et genere opus erat. Aliam causam Chrysippus attulisse fertur ap. Stobæum Serm. 43, pag. 313; Χρύσιππος ἐρωτηθεὶς διατί οὐ πολιτεύεται, εἶπε· διότι, εἰ μὲν πονηρά τις πολιτεύηται, τοῖς θεοῖς ἀπαρέσει· εἰ δὲ χρηςὰ, τοῖς πολίταις.

2. *Discursus.* Vanæ frivolæque nugantium cursitationes. Homines plerosque ardelionum similes judicat qui in rebus inanibus plurimum allaborant, cursitant, vigilant, et inutiles sibi, graves cæteris, laborum, cursitationum, vigiliarum nullos fructus obtinuere nisi sudorem.

3. *Quod implacabile....... indiximus.* Gravissimæ enim Sophorum Sophistarumque simultates erant et his temporibus : nam omnium sæculorum et vitiosa et exitiosa fuere. — *Diversa sequentibus* significat varias variis sententias probari.

4. *Utrum aliqua....... accessio sit.* An id quod habes, habere destinaveris, an his quæ et habes et habere tibi in consilio fuit, forte fortuna accesserit. Sic apud eum qui volupta-

tamen alterum sine altero non est. Nec ille sine actione
16 contemplatur, nec hic sine contemplatione agit. Nec ille
tertius [1], de quo male existimare consensimus [2], volupta-
tem inertem probat, sed eam quam ratione efficit firmam
sibi. « Ita et hæc ipsa voluptaria secta [3] in actu est! »
Quidni in actu sit, quum ipse dicat Epicurus, aliquando
se recessurum a voluptate, dolorem etiam appetiturum,
si aut voluptati imminebit pœnitentia, aut dolor minor
pro graviore sumetur [4]? « Quo pertinet hoc dicere? » ut
17 appareat, contemplationem placere omnibus. Alii petunt
illam [5]: nobis hæc statio est, non portus. Adjice nunc
huc, quod e lege Chrysippi vivere otioso licet: non dico,
ut otium patiatur, sed ut eligat [6]. Negant nostri sapientem

tem venetur, si contemplatio aliquem locum obtineat, contemplatio adventitia est, neque ob hanc causam ille laudandus; rursus si contemplatori voluptatis nonnihil contigerit, ne eum continuo voluptatum sectatoribus annumeres.

1. *Nec ille tertius*... De Epicuro esse hæc intelligenda, sequentia quoque docent. Ipse (ap. Diogen. Laert. X, 132, 136, 140, Cic. de finib. I, cap. 18 et 19.) sobriam fatetur et vigilantem rationem et causas explorantem, cur quidque eligat, aut vitet, vitam facere jucundam.

2. *Consensimus*. I. e. tu et ego, qui nunc de aliis disputamus. Ex edd. priscis et quatuor MSS. reduxi, Gronov. suasore. Frequens est Senecæ, altercationibus ejusmodi formulam intermiscere, quum profert aliquid utrique partium acceptum. Cf. De Benef. lib. VII, cap. 4, lib. II, c. 17.

3. *Ita et hæc... in actu est!* Adversarii verba qui putans nihil esse actionis in voluptariæ vitæ hominibus, per formulam mirationis dubitationem suam prodit.

4. *Dolor minor pro graviore sumetur*. H. e. gravioris loco, qui nullo modo declinandus mox insequeretur, minorem accipiam, arripiam libens. Duo facienda mihi aut patienda proponuntur, quorum utrumque mixtum dolore et voluptate est; utrum eligam? contemplari, computare me necessarium est, sic verbi causa: atqui hinc dolor est, voluptas futura est, illinc ad est præsens voluptas, sed quam plus multo doloris consequetur: quisquis et sapit et vitalem se sperat, prius anteferet.

5. *Alii petunt illam*. Intellige Epicureos, quibus contemplatio placet ex proposito, recedentes a republica. *Nobis*, Stoicis, actus placet, portus est; sed si excludamur, ad contemplationem, tanquam ad stationem, confugimus, similes nautæ, qui statione contentus est, portu exclusus.

6. *Non dico... ut eligat*. *Lagrange*, sic reddit: «Je ne dis pas un repos passif, mais un repos de choix.»

ad quamlibet rempublicam accessurum [1]. Quid autem interest, quomodo sapiens ad otium veniat: utrum quia respublica illi deest, an quia ipse reipublicæ? Si omnibus defutura respublica est (semper autem deerit fastidiose quærentibus), interrogo ad quam rempublicam sapiens accessurus sit? ad Atheniensium? in qua Socrates [2] damnatur, 18
Aristoteles, ne damnaretur, fugit [3]; in qua opprimit invidia virtutes. Negabis mihi accessurum ad hanc rempublicam sapientem. Ad Carthaginiensium ergo rempublicam sapiens accedet? in qua assidua seditio, et optimo cuique infesta libertas est, summa æqui ac boni [4] vilitas, adversus hostes inhumana crudelitas, etiam adversus suos hostilis. Et hanc fugiet. Si percensere singulas voluero, nullam inveniam, quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit. Quod si non invenitur illa respublica, quam nobis

1. *Negant...... accessurum.* Præcipiebant Stoici, actioni et reip. operam esse dandam, sed quum resp. talis, qualem vellent, vix inveniretur, ad quamlibet remp. negabant sapientem accessurum. Cf. Tranq. anim. c. III.

2. *Socrates damnatur.* Norunt omnes Socratis judicium et mortem, quæ triginta tyrannorum sub imperio, ann. ant. Ch. N 400, accidere.

3. *Aristoteles, ne damnaretur, fugit.* Factum hoc est primum Ol. CIV, 2. Alexandri morte audita, cujus quum olim præceptor, deinceps amicus fuisset Aristoteles, Athenienses, liberos jamjam se arbitrati, regis gloriam et triumphos ulcisci voluere in philosophum. Ergo ab Eurymedonte hierophantas. a Demophilo impietatis accusatus est, quum tredecim annos Athenis in Lyceo gymnasio docuisset. Accusationi prætexta causa fuit hymnus in Hermiam, et epigraphe ejusdem Hermiæ simulacro Delphico in templo supposita. Utrumque nobis servavere Diogen. Laert. lib. V, segm. 7, et Athenæus, Dipnosophist. lib XV, cap. 16, neque quodpiam in his reperitur quod impios sensus prodat. Sed injusti odii gnarus Aristoteles civitatem statim reliquit, cui ornamento tamdiu fuerat, et Chalcidem in Eubœa insula concessit unde Athenas misit scriptam defensionem; et exsilii causam sciscitantibus respondit nolle se ut bis Athenienses peccarent in philosophiam, id quod Socrati acciderat innuens et suum ipsius periculum Ælian. Var. Hist. lib. III, cap. 36. Hoc in exilio mortuus est, Ol. 114, 3. ante Christ. N. 322. Cf. Buhlii vita Aristot. T. I, Opp. ed. bip.

4. *Summa æqui ac boni vilitas.* Namque auri congerendi studiosior nulla gens fuit, fidei nulla negligentior; quæ ambo optime conveniunt.

fingimus, incipit omnibus esse otium necessarium, quia, quod unum præferri poterat otio, nusquam est. Si quis dicit optimum esse navigare, deinde negat navigandum in eo mari, in quo naufragia fieri soleant, et frequenter subitæ tempestates sint, quæ rectorem in contrarium rapiant, puto, hic me vetat navem solvere, quamquam laudat navigationem [1].***

1. *Navigationem.* Post hæc deesse nonnulla putat Lipsius; quocum plurimi interpretes et critici sentiunt. Repugnat tamen *Lagrange* et in annotatione satis prolixa in illos invehitur qui tam facile solent scribere : *Multa desunt*, *Pauca desunt*, *Desunt nonnulla*. Cujus e nota quædam exscribemus : « Parmi les ouvrages anciens ou modernes que nous supposons entièrement terminés, et qui le sont en effet, quel est celui auquel on ne pourrait pas ajouter encore une infinité de choses utiles, curieuses, instructives, nécessaires même ?....... Malgré le défaut de liaison réel ou apparent, que les commentateurs ont cru apercevoir dans plusieurs de ces ouvrages, personne n'est en droit d'affirmer qu'ils ne sont pas parvenus en entier jusqu'à nous. Les écrivains qui pensent beaucoup sont ennemis de toute espèce de méthode, et s'y assujétissent difficilement. Les idées après s'être accumulées, pour ainsi dire, dans leur tête, par une méditation forte et continue, en sortent en foule avec précipitation :

Velut agmine facto
Qua data porta ruunt.

Ils laissent leurs idées se succéder sous leur plume dans l'ordre où elles se présentent à leur esprit, sans se mettre en peine si elles naissent immédiatement du fond du sujet, ou si elles n'y sont liées et unies que par des rapports très fins, très déliés..... espèce de rapports toujours très difficiles à saisir, et qui ne pouvant être aperçus que par des lecteurs d'une sagacité peu commune, sont perdus pour des esprits vulgaires...Lorsqu'on écrit sur une matière, ne l'envisage-t-on pas sous le point de vue le plus analogue au caractère et à la tournure particulière de son esprit, au genre d'études et de connaissances dont on s'est occupé avec le plus de succès ? n'en écarte-t-on pas alors nécessairement une foule de questions que des hommes différemment organisés et avec des talens divers, regardent comme les plus importantes ? dit-on même sur celles dont on s'est proposé l'examen, tout ce qu'on désirait dire? Suit-on toujours rigoureusement le plan qu'on s'était fait ?.... Enfin, ne quitte-t-on jamais le ton froid, méthodique et sec d'un dissertateur, et ne se permet-on pas de ces écarts, de ces excursions qui ressemblent tout-à-fait à une conversation, qui donnent à un ouvrage un air facile et original, qui sèment de quelques fleurs une route longue, pénible et escarpée, et qui font dire d'un auteur ce qu'on a dit de Montaigne, qu'il causait avec son lecteur ? »

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD L. ANNÆI SENECÆ LIBRUM

DE OTIO SAPIENTIS.

On ne peut guère douter que ce petit Traité ne soit la continuation de celui qui précède (le *Traité de la Vie heureuse* [1]).

La retraite qui nous rapproche de nous-mêmes, en nous séparant de la foule qui nous heurte, restitue à notre marche son égalité.

« L'homme est né pour méditer et pour agir. Il est habitant du » monde et citoyen d'Athènes. Il sert la grande république dans » la solitude, et la petite dans les tribunaux ou dans le mi- » nistère. »

« Épicure dit que le sage ne prendra point de part aux affaires » publiques, si quelque chose ne l'y oblige. »

« Zénon, que le sage prendra part aux affaires publiques, à » moins que quelque chose ne l'en empêche. »

Mais l'énumération des obstacles est fort étendue. Par exemple, si la république est trop corrompue, et qu'il n'y ait aucun espoir de la sauver; si les moyens souffraient des contradictions insurmontables; si l'état est la proie des méchans, le sage se sacrifierait inutilement.

En effet, au milieu des brigues et des cabales de l'ambition, parmi cette foule de calomniateurs qui empoisonnent les meilleures actions; entouré d'envieux qui font échouer les projets les plus utiles, tantôt pour vous en ravir l'honneur, tantôt pour se

1. In argumento libri *De otio sapientis* causas exposuimus, cur hunc potius *De constantia* libri partem fuisse existimaverimus et illi ideo subjunxerimus.

ménager de petits avantages ; de ces politiques ombrageux qui épient les progrès que vous faites dans la faveur du souverain et du peuple, pour saisir le moment où il convient de vous desservir et de vous renverser ; de cette nuée de méchans subalternes qui ont intérêt à la durée des maux, et qui pressentent la tendance de vos opérations ; qu'a-t-on de mieux à faire qu'à renoncer aux fonctions d'État ? N'est-on utile qu'en produisant des candidats, en secourant les peuples, en défendant les accusés, en récompensant les hommes industrieux, en opinant pour la paix ou pour la guerre ?... Non, mais je ne mettrai pas sur la même ligne celui qui médite et celui qui agit. Sans doute la vie retirée est plus douce, mais la vie occupée est plus utile et plus honorable ; il ne faut passer de l'une à l'autre qu'avec circonspection ; c'est même l'avis de Sénèque.

« Et qu'importe, ajoute-t-il, par quels motifs le sage embrasse » la retraite, si c'est lui qui manque à l'État, ou si c'est l'État qui » lui manque ?.... » Il importe beaucoup : s'il manque à l'État, c'est un mauvais citoyen ; si l'État lui manque, l'Etat est insensé.

Sénèque dispense encore le sage de l'administration, s'il manque d'autorité, de force et de santé. Un homme s'est montré de nos jours plus intrépide que le stoïcien ne l'exige.

En passant en revue tous les gouvernemens, Sénèque n'en trouvait pas un seul auquel le sage pût convenir, et qui pût convenir au sage.

« S'il est mécontent de la république, comme il ne manquera » pas d'arriver, pour peu qu'il soit difficile, où se retirera-t-il ? » Dans Athènes, où Socrate fut condamné, et d'où Aristote s'en- » fuit pour ne le pas être ? A Carthage, le théâtre continuel des » dissensions ?... »

En passant en revue plusieurs de nos gouvernemens, le sage serait encore de l'avis de Sénèque.

Sénèque pense que la nature nous a faits pour méditer et pour agir ; mais lorsque les circonstances réduisent le philosophe à la vie contemplative, il est encore une gloire à laquelle il peut prétendre. « Chrysippe et Zénon, dans leur retraite, ont mieux mé-

» rité du genre humain que s'ils avaient conduit des armées, » occupé des emplois et promulgué des lois..... » Vaut-il mieux avoir éclairé le genre humain, qui durera toujours, que d'avoir ou sauvé, ou bien ordonné une patrie qui doit finir? Faut-il être l'homme de tous les tems, ou l'homme de son siècle? C'est un problème difficile à résoudre.

Auguste, ce maître de l'univers, cet homme qui réglait d'un mot le sort des nations, regardait le jour qui le délivrerait de sa grandeur comme le plus fortuné de sa vie. Cependant il mourut empereur, et fit bien. Rien de plus difficile que de se défaire de l'habitude de commander, si ce n'est de celle d'obéir : l'esclave a perdu son ame quand il a perdu son maître; comme le chien égaré dans les rues, il crie jusqu'à ce qu'il ait trouvé la maison où il est nourri d'eau et de pain et assommé de coups de bâtons.

Quelles mœurs, quelles effroyables mœurs que celles des Romains! je ne parle pas de la débauche, mais de ce caractère féroce qu'ils tenaient apparemment de l'habitude des combats du cirque. Je frémis lorsque j'entends un de ces citoyens, blasé sur les plaisirs, las des voluptés de la Campanie, du silence et des forêts du Brutium, des superbes édifices de Tarente, se dire à lui-même : « Je m'ennuie; retournons à la ville; je me sens le besoin de voir couler du sang; » et ce mot est celui d'un efféminé!

On ne tardera pas à devenir cruel partout où l'on circulera parmi des bourreaux et des assassins, partout où l'on verra, au pied des autels et sur les places publiques, une continuelle effusion de sang. Lorsque je compte les prêtres et les temples, les jeux du cirque et ses victimes, Rome ancienne me semble une grande boucherie, où l'on donnait leçon d'inhumanité.

Ici Sénèque s'exhorte à l'examen des choses sans partialité, sans cette haine implacable que sa secte a vouée à toutes les autres.

D'où venait cette intolérance des stoïciens? De la même source que celle des dévots outrés. Ils ont de l'humeur, parce qu'ils luttent contre la nature, qu'ils se privent et qu'ils souffrent. S'ils voulaient s'interroger sincèrement sur la haine qu'ils portent à

ceux qui professent une morale moins austère, ils s'avoueraient qu'elle naît de la jalousie secrète d'un bonheur qu'ils envient, et qu'ils se sont interdit sans croire aux récompenses qui les dédommageront de leur sacrifice; ils se reprocheraient leur peu de foi, et cesseraient de soupirer après la félicité de l'épicurien dans cette vie et la félicité du stoïcien dans l'autre.

L. ANNÆI SENECÆ

DE

BREVITATE VITÆ

LIBER UNUS,

AD PAULINUM.

ARGUMENTUM.

Querela tum vulgi imprudentis ac turbæ, tum clarorum quoque virorum, e. c. Hippocratis, de vitæ brevitate falsa est; non enim accepimus brevem vitam, sed fecimus. Rerum natura benigne se erga nos gessit, modo nos neque libidinibus, neque vitiis atque erroribus vitam nostram perdentibus traderemus; I, II. Proinde tempus suum nihili faciunt homines, numquam fragilitatis suæ recte memores; III, IV. Quam hominum inconstantiam exemplis Augusti, Ciceronis, Livii Drusi illustrat; V, VI, 3. Quorum tamen querelæ de vitæ brevitate, neque ipsos neque ullum alium mutaverunt. Nemo iis impeditur, quominus ad libidines et vitia projiciatur, parum memor, vivere esse artem tota vita discendam: idcirco præcipitant homines isti vitam suam, futuri desiderio laborantes, aliter ac illi, qui vitam bene agere sciunt, et nullum non tempus in usus suos conferunt. Igitur diu esse et diu vivere non eamdem habet potestatem ac vim. Miseri sane sunt ii, qui temporis justam æstimationem non tenent; VI, 3, IX. Sequitur eorum descriptio. Sunt autem occupati, et semper ex crastino pendent exspectantes. Vita eorum est brevissima, IX, X, 2. Jam docet, ut illis errorem suum exprobret, occupatos tempus suum male collocare: quum enim vita in tria tempora dividatur, quod est, quod fuit, quod futurum est, occupati præteritum, quod est certum, omittunt, at præsens iis subducitur. Quod apparebit, si senes ægros ac moribundos adverteris, comparatione cum iis, quibus vita procul ab omni negotio agitur, instituta; X, 2, XI, 3. At quinam sunt ii, qui occupatorum nomine digni sint? Præter eos, qui propalam in occupatis numerantur, illos quoque eo referas otiosos, luxui cujuscunque generis deditos, atque quum maxime grammaticos, s. eos, qui in litterarum inutilium studiis detinentur: hæc justo fusius persequitur auctor, nec multum abest, quin, quod haud raro ei accidit, in idem vitium, quod reprehendit, incidat; XIV, 4. Sequitur descriptio veri otii. Soli omnium otiosi sunt, qui sapientiæ vacant: soli vivunt. Omni tempore, et præterito, instante, et venturo bene utuntur. Hæc egregie tractata sunt; XVI. Neque tamen occupati isti longam agere vitam putandi sunt propterea, quod interdum vel mortem invocant; faciunt id metu; vel quod longus illis videtur dies; fit imprudentia. Nam nec occupatione, nec otio bene uti sciunt; aliunde alio confugiunt, numquam nec ulla re contenti; XVII. Quibus expositis convertitur oratio ad Paulinum exhortandum, ut officio publico, quamvis honorifico, quo fungatur, abdicato, in otium se recipiat et totum sapientiæ se tradat; de his usque ad fin.

Inscriptus est hic liber, de cujus bonitate constat, Paulino, amico Senecæ, ut colligimus e cap. I et XVIII. Fuerit Paulinæ, Senecæ uxoris, frater, an affinis, non liquet. Præfectum tamen annonæ, aut unum ex curatoribus cum

fuisse, ideoque hominem celebrem, e cap. laud. sqq. apparet: inprimis, XVIII, 1, 4 sq. XIX, 1.

De tempore hujus scripti nihil certi statui potest. Lipsio tamen placuit propter cap. XVIII, post Caligulam, et quidem statim post conceptum esse. Equidem nihil ibi reperire potui, unde vir ille acutissimus hæc duxerit: nisi forte id ex illis: « Cogita præterea, quantum sollicitudinis sit, ad tantam te molem objicere » collegisse statuamus Lipsium; hæc enim verba et sequentia haud parvi sane momenti esse videntur ad hanc opinionem obfirmandam, ut Paulinum, qui in eo fortasse erat ut præfecturam annonæ adiret, ab eo officio dehortaretur. Sed fac vel maxime hoc sic se habuisse, inde tamen minime sequitur, statim id factum esse Caligula exstincto: quandoquidem quæ de isto monstro horrendo, § 4, narrantur, magis ad periculum ejus officii, quam ad tempus, quo hoc scriptum compositum sit, designandum trahenda esse videntur. Atque totus orationis tenor, ut opinor, tempus remotius significat.

Ceterum jam in antecedentibus, præsertim in libro de Tranq. Anim. cap. 2, 3, etc. hanc eamdem quæstionem, an sapienti ad rempublicam capessendam adire liceat, tractatam vidimus, diversa tamen ratione, quam hoc libro, ubi secus ac Socrates præiverat, philosophiæ studiosos e terra ad cœlum avocatos legimus. Jam etsi Senecam bene memini, calore disputandi abreptum, quandoque vineta sua ipsum cædere, tamen inde causam ejus agi posse putaverim, quod non omnino Reip. tractationem rejicere, sed majore aut aliqua certe ætatis parte Reip. insumta secessum suadere videatur. Etenim Paulinus aliquantum temporis in Republica administranda exegerat. Sed quum nec de tempore hujus scripti, nec de Paulino ipso quæstio ad liquidum perduci possit, satius esse videtur, ut ad præcepta aurea, quibus hic liber abundat, animum vitamque nostram attemperemus, quam ut, operose nihil agendo, quæstionum inutilium illecebris detineamur.

L. ANNÆI SENECÆ

DE

BREVITATE VITÆ

LIBER UNUS,

AD PAULINUM.

I. Major pars mortalium, Pauline, de naturæ malignitate conqueritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo ut, exceptis admodum paucis, ceteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur, malo, turba tantum et imprudens vulgus ingemuit : clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maximi medicorum [1] exclamatio est : « Vitam brevem esse, longam artem. » Inde 2
Aristoteli [2], cum rerum natura exigenti [3], minime conve-

I. Arg. Communis quidem querela tam vulgi, quam sapientum de Vitæ brevitate, sed falsa est.

1. *Maximi medicorum*. Hippocratis, initio Aphorismorum : ὁ βίος βραχύς· ἡ δὲ τέχνη μακρή. Cf. Gatak. ad Antonin.

2. *Aristoteli*. Memoria nostrum lapsum esse condonemus. Theophrastus enim ille fuit, qui « moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset, » referente Cic. Tusc. disp. III, 28, qui ibidem et Aristotelem memorat, nulla tamen querelæ mentione injecta.

3. *Exigenti*. Exigere est quandoque disserere, disputare.

niens sapienti viro lis est : illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena secula educerent[1], homini in tam multa ac magna genito, tanto citeriorem[2] terminum stare.

3 Non exiguum[3] temporis habemus : sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur ; ultima demum necessitate[4] cogente, quam
4 ire[5] non intelleximus, transisse sentimus[6]. Ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus : nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplæ et regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt : ita ætas nostra bene disponenti multum patet.

II. Quid de rerum natura querimur ? illa se benigne gessit : vita, si scias uti, longa est. Alium insatiabilis tenet avaritia[7] : alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas : alius vino madet : alius inertia torpet : alium defatigat ex alienis judiciis suspensa semper ambitio : alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras,

1. *Educerent.* I. e. consumerent. Scriptorum lectio bona et ea exquisitior. Poeticas enim formas dicendi noster præferre solet. Antea : *edurent.*

2. *Citeriorem.* Nempe tam citra dena, quina secula, quum ne unum quidem paucissimis concedatur.

3. *Non exiguum*... Hanc eamdem sententiam Artabano tribuit Herodotus, VII, 46.

4. *Ultima necessitate.* Mortem hic per Εὐφημισμόν noster annuit, quod schematis genus inprimis familiare veteribus fuit ; quum de morte et iis quæ ad mortem spectant sermo incidit. Tacit. simillime, Histor., lib. I, cap. 3 : « Claræ magnorum virorum necessitates, et ipsa necessitas fortiter tolerata. »

5. *Ire.* I. e. abire vitam, ait Ruhkopf. Nobis vero judicibus *ire* est *pergere*, *incedere*, *labi*, et, ut gallice loqueremur, *marcher.*

6. *Sed ubi..... sentimus.* Recte confert Lipsius Sallustium Jugurth., cap. 1 ; addas Catilin, 1, 2.

II. Arg. Prave aliud agendo et cupiditatibus indulgendo vita temere consumitur et transcurrit.

7. *Alium.... avaritia.* Multa apud

omnia maria, spe lucri, ducit. Quosdam torquet cupido
militiæ, nunquam non aut alienis periculis [1] intentos,
aut suis [2] anxios : sunt quos ingratus superiorum cul-
tus [3] voluntaria servitute consumat. Multos aut affecta- 2
tio[4] alienæ fortunæ, aut suæ odium [5] detinuit : plerosque
nihil certum sequentes, vaga et inconstans et sibi displi-
cens levitas per nova consilia jactavit. Quibusdam nihil
quo cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque
fata deprehendunt [6] : adeo ut quod apud maximum poe-
tarum more oraculi dictum est [7], verum esse non dubitem :

Exigua pars est vitæ, quam nos vivimus [8].

certum quidem omne spatium, non vita, sed tempus est.

veteres loca reperias quibus diversa hominum studia sic recenseantur. Duo bene nota in Horatio occurrunt, lib. I, Od. 1; lib. I, Sat. 1, init.

1. *Alienis periculis*, sc. quæ inferant.

2. *Suis*. Ut ea evitent.

3. *Sunt.... cultus*. Qui fit salutatione, et omni officiorum et necessitudinum genere. Conjuncti sunt hi cum illis, qui e judiciis aliorum suspensam agunt vitam, sed non iidem : distant enim ab iis, ut species a genere. *Ingratus*, molestus, improbus. Lipsius interpretatur : qui gratiam non reddit.

4. *Affectatio*. Studium eadem fortuna fruendi, qua alii fruuntur.

5. *Odium*. Quoniam vox hæc non fuit conspicua in ullo cod. Gruteri, conjecit Gronovius : *aut suæ tædium; plerosque.... jactavit* : ejecto τῷ *detinuit*, et relato τῷ *jactavit* ad *affectationem* et *tædium*. Erasmus *odium* tuetur; nosque in vulgata acquiescamus.—*Suæ odium*. Ut qui sorte sua non contenti sunt.

6. *Quibusdam...... deprehendunt*. Sunt vacillantes homines, qui supra in Epist. Sereni ad nostrum descripti sunt (de Tranq. Animi c. 1.); nec opinantes hos mors rapit.

7. *Maximum poet*. Menander hic intelligitur (de quo poeta novæ Comediæ celeberrimo, nat. Athenis Ol. CIX, 3; mort. Ol. CXXII, 3; conf. Fabric. Bibl. Græc. Vol. II, p. 454 sq. Harl.) Idem cum Jano Rutgersio statuebat Gataker in Dissert. de novi instrumenti stylo, XI. Sed unde eum appellari poetam maximum, haud exspectaveris. Nisi omnia me fallunt, locus corruptus est, et post τὸ *poetarum*, vox : *comicorum* s. *mimicorum* (cf. de vit. beat. XXVII, 2.) excidisse videtur.—*More oraculi*. Noster ep. 108, fin. versum Virgilii : Optima quæque, etc., tanquam *missum oraculo* laudat. De Comœdia Menandri, sit conversa in linguam latinam nec ne, parum constat.

8. *Exigua*, etc. Versus est Menandri in cujus fragmentis exstat : Μικρόν τι τοῦ βίου καὶ στενὸν ζῶμεν χρόνον. Janus Rutgers, quod sciam, primus Menandri esse versum, intellexit, Var. lect. IV, 17, p. 432. (ed. 1618, Lugd. Bat.) Exstat ap. Stobæum Floril. tit. 108,

3 Urgentia circumstant vitia undique : nec resurgere, aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos, et in cupiditatibus infixos premunt. Nunquam illis recurrere ad se licet, si quando aliqua quies fortuito contigit : velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio est, fluctuantur [1], nec unquam illis a cupiditatibus suis otium instat. De istis me putas disserere, quorum in confesso mala sunt [2] : aspice illos ad quorum
4 felicitatem concurritur : bonis suis effocantur. Quam multis graves sunt divitiæ ? quam multorum eloquentia, quotidiano ostentandi ingenii spatio [3], sanguinem educit [4] ? quam multi continuis voluptatibus pallent [5] ? quam multis nihil liberi relinquit circumfusus clientium populus ? Omnes denique istos, ab infimis usque ad summos, pererra : hic advocat, hic adest, ille periclitatur, ille defendit, ille judicat. Nemo se sibi vindicat : alius

desumptus e comœdia, cui inscriptio erat Πλόκιον. Fabric. loc. cit. p. 467.

1. *Velut..... fluctuantur.* Cf. de Tranq. An. c. 2, init.

2. *Quorum in confesso mala sunt.* Hoc est, quos vivere in miseriis et malis nemini dubium est ; quorum infortunia et casus nullus non confitebitur.

3. *Spatio.* Recte præfert Gronov., Grutero et Lipsio istud : *spatio* extrudentibus, hoc et *studio* proponente. Non de lusoria modo declamatorum facundia capiam, ait Gronov., cum Lipsio, sed etiam, et multo magis, de decretoria patronorum. Translatam loquendi rationem ab exercitio cursorum facile intelliges.

4. *Quotidiano..... spatio s. e.* Imago est ab exercitio cursorum, quorum proprium *spatium*, deprompta : illis cursu calefactis educitur sudor. Sic, inquit Seneca, multis, dum quotidie dicendo ostendendi ingenii illud spatium ingenti contentione decurrunt, sanguis educitur et eliquatur. Sic fere Gronov. — Cæterum locus non absimilis et in Juvenale est, sat. x, vs. 118 sq., ubi postquam Ciceronis et Demosthenis nomen aucupari pueros adolescentulosque dixit : « Utrumque Largus et exundans letho dedit ingenii fons. Ingenio manus est et cervix cæsa. »

5. *Continuis voluptatibus pallent.* Qui pallor, e libidinibus vultui inducitur, hunc sæpissime Romani ut indicium impudicitiæ nominant. Juven. I, 44 de viro qui hæres a vetula scriptus : « Accipiat sane mercedem sanguinis, et sic *Palleat* ut nudis pressit qui calcibus anguem, Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram. »

in alium consumitur [1]. Interroga de istis, quorum nomina ediscuntur [2] : his illos dignosci videbis notis : « Hic » illius cultor est, ille illius, suus nemo. » Deinde dementissima [3] quorundam indignatio est : queruntur de superiorum fastidio, quod ipsis adire volentibus non vacaverint. Audet quisquam de alterius superbia queri, qui sibi ipse nunquam vacat ? Ille tamen, quisquis est, insolenti quidem vultu, sed aliquando respexit : ille aures suas ad tua verba demisit : ille te ad latus suum recepit [4] ; tu non inspicere te unquam, non audire dignatus es.

III. Non est itaque, quod ista officia [5] cuiquam imputes [6] : quoniam quidem quum illa faceres, non esse cum alio volebas, sed tecum esse non poteras. Omnia licet quæ unquam ingenia fulserunt, in hoc unum consentiant [7], nunquam satis hanc humanarum mentium caliginem mirabuntur. Prædia sua occupari a nullo patiuntur, et si exigua contentio est de modo finium, ad lapides et arma discurrunt : in vitam suam incedere alios sinunt [8],

1. *Consumitur.* Ex Erasmo reduxi, sensu etiam postulante, quandoquidem nonnisi de istis, qui bonis suis ideoque felicitate sua quasi suffocantur, sermo est, nec de omnibus hominibus. Antea: *consumimur.*

2. *Interroga..... ediscuntur.* A servis nomenclatoribus. Nomina superiorum, quos antea appellavit, equitum, senatorum, quid multa ? patronorum nomina intelligit a clientibus cultorum.

3. *Deinde dementissima...... etc.* Sæpe hanc querelam, republica libera haud dubie inusitatam, recurrere meminimus.

4. *Ad latus..... recepit.* Tecum ambulando. Latus superioris vilior claudere, tegere (i. e. ad sinistram esse), dicebatur. Post Lipsium Elector. II, 2, p. 455 sq. res nota.

III. Arg. Ceterarum rerum maxima, temporis nulla fere ratio habetur.

5. *Ista officia.* Superiorem honoris causa adeundi, salutandi, etc.

6. *Cuiquam imputes.* Quasi tibi gratiam reddere debeat, devinctus sit. *Il ne faut pas que tu fasses valoir ces services.*

7. *In hoc unum consentiant.* In hac re consideranda operam suam collocent.

8. *In vitam suam incedere alios sinunt.* Arguta et audax μεταφορά ; quasi vita ager esset. Gall. similiter *ils laissent empiéter sur leur vie.*

immo vero ipsi etiam possessores ejus futuros inducunt. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vi-
2 tam unusquisque quam multis distribuit? Adstricti sunt in continendo patrimonio: simul ad temporis jacturam ventum est, profusissimi in eo cujus unius honesta avaritia est. Libet itaque ex seniorum turba comprehendere aliquem: « Pervenisse te ad ultimum ætatis humanæ vi» demus: centesimus tibi, vel supra, premitur[1] annus: » agedum, ad computationem ætatem tuam revoca. Dic » quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, » quantum reus[2], quantum cliens abstulerit: quantum » lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum of-
3 » ficiosa per urbem discursatio[3]. Adjice morbos, quos » manu fecimus[4]; adjice, quod et sine usu jacuit: vi» debis te pauciores annos habere quam numeras. Re» pete memoria tecum, quando certus consilii[5] fueris, » quotus quisque dies, ut destinaveras, recesserit; qui » tibi usus tui fuerit[6]; quando in statu suo[7] vultus,

1. *Premitur.* Agitur.

2. *Reus.* Vulgata et ea optima lectio. Sensus est: quantum temporis in eo consumpseris, quod vel accusares, vel accusareris. Cf. infra VII, 3: «Ille reus, etc.» Lipsius in suo invenit: *rex*, haud improbans. Parasitis quidem patronos interdum reges esse appellatos, constat, hanc lectionem in gallica translatione tuetur *Lagrange*, et loca affert quibus hanc voci *rex* potestatem esse confirmet. Conf. Plaut. Captiv., art. 1, sc. 1, v. 22; Hor. L. 1, ep. 7, v. 36. Sed. h. l. de parasito non agitur. Erasm. habet: *Resp.* bono etiam sensu. Apud eundem est quoque: *discursitatio*.

3. *Dic quantum..... discursatio.* Sumit senem ex turba, qui seculo suo inde a pueris indulgendo, ideoque nominibus contrahendis, amica (ἑταίρα) alenda, se defendendo ab accusationibus etc. tempus suum trivisset. Nec mirandum, talem hominem semper in cupiditatibus infixum in uxorem servosque parum mitem fuisse.

4. *Manu fecimus.* Luxu aut vitio nostro arcessivimus. Locutionem hanc Senecæ familiarem jam supra notavimus.

5. *Quando certus consilii.* In exsequendo consilio firmus, tibique constans.

6. *Qui tibi usus tui fuerit.* In viribus animi ad prudentiam et virtutem excolendis.

7. *Quando.... vultus.* I. e. non ira, timore, etc., deformatus; ideoque liber a cupiditatibus.

» quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo ævo » facti operis sit; quam multi vitam tuam diripuerint, » te non sentiente quid perderes; quantum vanus dolor, » stulta lætitia, avida cupiditas, blanda conversatio[1] ab» stulerit; quam exiguum tibi de tuo relictum sit : in» telliges, te immaturum mori! »

IV. Quid ergo est in causa? tanquam semper victuri vivitis[2] : nunquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non observatis quantum jam temporis transierit : velut ex pleno et abundanti perditis, quum interim fortasse ille ipse, alicui vel homini vel rei donatus, ultimus dies sit. Omnia, tanquam mortales, timetis[3] : omnia, tanquam immortales, concupiscitis. Audies plerosque dicentes : « A quinquagesimo[4] in otium secedam : sexagesimus » annus[5] ab officiis me demittet[6]. » Et quem tandem longioris vitæ prædem[7] accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Non pudet te reliquias vitæ tibi re- 2
servare, et id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quam serum est, tunc

1. *Blanda conversatio.* Nempe cum amica.

IV. Arg. Causa est socordia, et oblivio mortalitatis.

2. *Tanquam..... vivitis.* Simile Democriteum illud ap. Stob. Floril. XVI, p. 154. (338, Schow.) Οἱ φειδωλοὶ τῶν τῆς μελίσσης οἶτον ἔχουσιν, ἐργαζόμενοι ὡς ἀεὶ βιωσόμενοι.

3. *Timetis.* Omnium codd. et edd. lectio, præter unum Palatin. ap. Gruter., qui habuit: *tenetis*, quod magis pro librarii aberratione, quam pro vera et antiqua lectione habeam: Gronovio tamen præ vulgata valde placuit. Inconstantiam hominum reprehendit Seneca : cetera omnia cum timore habetis tanquam homines, quibus nihil stabile est, ne vobis mox effluant, temporis autem vestri nullam curam agitis. Si *tenetis* præferas, sensus erit ex Gronovii sententia : quidquid possidetis, id vobis adest tanquam mortalibus, quasi in dies, imo in horas, perdituris aut derelicturis.

4. *Quinquagesimo.* Exemplo militiæ a qua tunc vacatio concedebatur, ait Lipsius.

5. *Sexagesimus annus.* Exemplo Senatorum. Cf. c. 20, 3.

6. *Ab officiis..... demittet.* I. e. in otium secedam.

7. *Prædem.* Gallice *garant.* A præ et dare, quasi qui præstet, *det præ* aliis fidem suam.

vivere incipere, quum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sana consilia : et inde velle vitam inchoare,
3 quo pauci perduxerunt? Potentissimis, et in altum sublatis hominibus, excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent [1], omnibus bonis suis præferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat [2], descendere. Nam ut nihil extra lacessat aut quatiat, in se ipsa fortuna ruit [3].

V. Divus Augustus, cui dii plura quam ulli præstiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem a Republica petere [4]. Omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus est; ut sibi speraret [5] otium. Hoc labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio : « Ali-

1. *Potentissimis et in altum..... laudent.* Testis in notissima fabula e nostri *Racine*, hic Εὐςυχεςόντες Agamemnonis sermo :

> Heureux qui, satisfait de son humble fortune,
> Libre du joug superbe où je suis attaché,
> Vit dans l'état obscur où les dieux l'ont caché!

quod imitatus est gallicus poeta ex Euripideis versibus.

Quod vero ad ipsa verba spectat, similitudo mira est cum his Horatii Choriambicis : « Luctantem Icariis fluctibus Africum Mercator metuens, otium et oppidi Laudat rura sui. » L. I, od. 1.

2. *Ex illo fastigio suo..... descendere.* Nemini non occurrit illud nostri *Corneille :*

> Et monté sur le faîte il aspire à descendre.

Confer hæc ipsius Senecæ : « Assecutus ille quos optaverat fasces, cupit ponere. » Infra, cap. 7, § 4.

3. *Nam ut nihil..... ruit.* Etiamsi nihil externi potentissimos illos solicitat, fortunæ tamen ipsi multa adsunt, quæ lacessant et premant eos, ut fieri possint superbi, molles, altiora petentes, et plerumque rebus secundis uti inscii.

V. Arg. Exempla virorum clarorum serio otium optantium : Augusti, Ciceronis.

4. *Divus Augustus..... petere.* Sæpius simulatione hac usum esse Augustum constat, ut precibus senatus tandem cogi videretur ad Reipublicæ gubernacula retinenda. Bis tamen de reddenda rep. cogitasse, refert Suet. Octav. 28; Dio Cass. LIII, 2, fin. et 3 — 10, ubi oratio, quam Senatui prælegit, exstat. Bene observat ibi Dio, cap. II, Augusti simulationem et prudentiam, qua effecit, ut imperium sibi commissum a Senatu populoque rom. videretur. Hinc semper hujus spei, fore, ut, quando in otium secederet, mentionem injecit: a quo consilio cum vel invitum Livia, Mæcenas al. avocassent, si ei fuisset.

5. *Speraret.* Bona et vulgata : in spe enim substitit. *Pararet* est librarii aberratio, et ab Erasm.

» quando se victurum sibi. » In quadam ad senatum 2
missa epistola, quum requiem suam non vacuam fore dignitatis, nec a priore gloria discrepantem, pollicitus esset, hæc verba inveni : « Sed ista fieri speciosius, quam » promitti possunt; me tamen cupido temporis optatis- » simi mihi provexit, ut quoniam rerum lætitia mora- » tur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verbo- » rum dulcedine [1]. » Tanta visa est res otium, ut illam, quia usu non poterat, cogitatione præsumeret! Qui omnia videbat ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem lætissimus cogitabat,
quo magnitudinem suam exueret. Expertus erat, quan- 3
tum illa bona, per omnes terras fulgentia, sudoris exprimerent, quantum occultarum solicitudinum tegerent : cum civibus primum [2], deinde cum collegis [3], novissime cum affinibus [4], coactus armis decernere, mari terraque sanguinem fudit : per Macedoniam, Siciliam, Ægyptum, Syriam, Asiamque, et omnes prope oras bello circumactus [5], Romana cæde lassos exercitus ad externa bella
convertit. Dum Alpes pacat, immixtosque mediæ paci 4
et imperio hostes perdomat [6], dum ultra Rhenum [7], Eu-

1. *Quoniam rerum....... præciperem..... ex verborum dulcedine.* I. e. ut quoniam ipsi tam lætæ *rei* nempe secessioni, mora affertur, *præciperem*, i. e. ante caperem aliquam *voluptatem ex verborum* dulcedine, nempe de futuro otio loquendo.

2. *Cum civibus primum.* Bellum cum M. Antonio apud Mutinam gestum, Pansa et Hirtio coss., Dio Cass. XLVI, 37, et illud contra Brutum Cassiumque ideoque aciem ad Philippos significasse videtur.

3. *Deinde cum collegis.* M. Lepido, quem triumviratu et copiis spoliavit, et M. Antonio in bello Perusino.

4. *Affinibus.* Sext. Pompeio et M. Antonio.

5. *Per Macedoniam..... circumactus.* In omnibus his regionibus aut bella gessit, aut eas belli causa transiit præcipue Macedoniam, ubi ad Philippos, Siciliam, ubi ad Mylas pugnavit. Suet. Oct. 17.

6. *Dum Alpes.... perdomat.* Intell. populos alpinos, Galliam et Italiam interjectos, Sueton. Oct. 21 init.

7. *Ultra Rhenum.* Duce Druso. Dio Cass. LIV, 32 sq.

phratem [1] et Danubium [2] terminos movet [3], in ipsa urbe, Murenæ [4], Cæpionis, Lepidi, Egnatiorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat insidias: filia [5], et tot nobiles juvenes adulterio velut sacramento adacti, jam infractam ætatem territabant [6]; plusque et iterum [7] timenda cum Antonio mulier [8]. Hæc ulcera cum ipsis membris absciderat: alia subnascebantur. Velut quum grave multo sanguine corpus, parte semper aliqua rumpebatur [9]. Itaque otium optabat: in hujus spe et cogitatione labores ejus residebant. Hoc votum erat ejus qui voti compotes facere poterat. Marcus Cicero [10] inter

1. *Euphratem.* Duce Caio Cæsare, Juliæ filio. Dio Cass. LV, 11.

2. *Danubium.* Duce inprimis Tiberio. Dio Cass. LV, 34, etc. Recte tamen observat Lipsius, ultra Danubium fines non esse motos.

3. *Movet.* Aut movere conatur, namque de conatu intelligendum est.

4. *Murenæ..... acuebantur.* Cf. ad I, de Clement. cap. 9.

5. *Filia.* Julia, cujus amore illicito tanquam sacramento milites erant devincti ad insidias struendas. vid. Var. lect. ad I de Clem. c. 10.

6. *Territabant.* In iis fuit, ut Dio Cass. LV, 10, ex traditione narrat, Jul. Antonius, qui Juliæ ope rerum potiendarum cupidus, delatus est, et Augusti jussu interfectus cum aliis, A. U. C. 752. (Augustus agebat annum 61 ætatis.) Vid. not. posteriorem.

7. *Plusque et iterum.* Recte præfert Gronov. e codd. Julia erat magis timenda quam illa Cleopatra, quam iterum repræsentavit cum Antonii filio conjuncta. Magis timenda, ut domestica hostis, quæ ideo minus caveri poterat. Antea: *Postquam et iterum.* Ap. Erasm. *postquam iterum.*

8. *Plusque et iterum timenda cum Antonio mulier.* Majorem sane terrorem Augusto incussit secundus Antonius (filius Antonii ex Fluvia) una cum Julia, quasi secunda Cleopatra: erat enim hostis domi et in visceribus latens, uti bene observat Gronov., atque eo minus poterat caveri. De Julio Antonio quem Augustus ad Consulatum evexerat, cf. Intpp. ad Tacit. Annal. I, 10.

9. *Velut grave multo sanguine corpus parte semper aliqua rumpebatur.* Sc. Cæsar Augustus. *Velut g. m. s. c.* e codd. et antiquis edd. restituit Gronovius: reliqua sunt ex ejusdem egregia conjectura. Antea enim erat: *partes semper aliquæ rumpebantur*: unde tres superfluas literas abjecit Gronov. Priorem autem lectionis partem: velut *quum..... est corpus*, Mureti emendandi et sua pro antiquis vendendi prorugini adscribendam esse constat.

10. *Marcus Cicero.* Lipsius confert, quæ Aufidius Bassus de Cicerone (ap. Senecam patrem, suasoria VII, p. 42, Bip.: sed tota hæc suasoria legi meretur.) attulit. Nisi scripta, inprimis ejus epistolæ satis confir-

Catilinas Clodiosque jactatus, Pompeiosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum republica, et illam pessum euntem tenet, novissime abductus, nec secundis rebus quietus, nec adversarum patiens, quoties illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum, detestatur? quam flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum 6
epistola[1], jam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente? « Quid agam, » inquit, « hic, quæris? moror in Tusculano meo semiliber. » Alia deinceps adjicit, quibus et priorem ætatem complorat, et de præsenti queritur, et de futura desperat. Semiliberum se dixit Cicero! at mehercules nunquam sapiens in tam humile nomen procedet, nunquam semiliber erit: integræ semper libertatis et solidæ; solutus, et sui juris, altior ceteris. Quid enim supra eum potest esse, qui supra fortunam est?

VI. Livius Drusus[2], vir acer et vehemens, quum leges novas et mala Gracchana movisset, stipatus ingenti totius Italiæ cœtu, exitum rerum non providens, quas nec agere licebat, nec jam liberum erat semel inchoatas relinquere, exsecratus inquietam a primordiis vitam, dicitur dixisse: « Uni sibi, nec puero quidem, unquam » ferias contigisse. » Ausus enim et pupillus adhuc et

marent, quæ Seneca de Cicerone judicat, Livii, Asinii Pollionis, quin totius antiquitatis judicium et historia documento esset. Middleton tamen ejus causam egit in *Life of Cicero*.

1. *Atticum ep.* Epistola hæc interiit. Si hodieque exstaret, locus ejus esset in Epp. Cicer. libro XII, ad Atticum. Quæ autem Lipsius affert e Cic. Epp. lib. XIII, ad Attic. 31, ubi semiliberum se ipse appellat Cicero, ea huc non pertinere, et tempus, in quo epistola hæc scripta est, et verba docent.

VI. Arg. Livius Drusus itidem exemplo est. Alii rebus levibus occupati sunt.

2. *Livius Drusus.* Conferatur de eo ad Consolationem ad Marciam, cap. 16, § 3.

prætextatus [1], judicibus reos commendare, et gratiam
suam foro interponere tam efficaciter, ut quædam ju-
2 dicia constet ab illo rapta [2]. Quo non irrumperet tam im-
matura ambitio? scires [3] in malum ingens, et privatum
et publicum, evasuram illam tam præcocem audaciam!
Sero itaque querebatur, « nullas sibi ferias contigisse »,
a puero seditiosus, et foro gravis. Disputatur, an ipse
sibi manus attulerit. Subito enim vulnere per inguen ac-
cepto collapsus est: aliquo dubitante, an mors volun-
3 taria esset [4]: nullo, an tempestiva [5]. Supervacuum est
commemorare plures, qui quum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt, prodentes omnem actum annorum suorum [6]. Sed his querelis nec alios mutaverunt, nec se ipsos. Nam quum verba eruperunt, affectus ad consuetudinem relabuntur [7]. Vestra mehercule vita, licet supra mille annos exeat, in arctissimum contrahetur: ista vitia [8] nullum non seculum

1. *Ausus..... prætextatus.* I. e. ante annum ætatis suæ decimum sextum, quo toga virilis, quæ et pura, s. libera audiebat, prætexta bullaque posita, sumi solebat.

2. *Rapta.* Sententias extorsit: unde mox dicitur: « foro gravis. »

3. *Scires.* Inde colligi poterat.

4. *Disputatur.... voluntaria esset.* Jam supra loc. laud. e Cicerone, de Nat. Deor. III, 33, monui, Q. Varium pro interfectore L. Drusi habitum esse. Fortasse eo respexit noster verbis: *aliquo dubitante..... esset.*

5. *Nullo, an tempestiva.* Lipsio, qui τὸ *nullo* e scriptis aliquot in textum reduxit, accedo. Seneca, per anthitheses efferendi sua cupido, perquam digna lectio! Antea sine τῷ *nullo.*

6. *Prodentes omnem actum annorum suorum.* Hæc e codd. restituit bene Gronovius: cf. J. F. Gronov. Obs. III, 20. Antea ap. Pincianum: *perosi omnem*, etc. Rudolph. Agricola cum Erasmo totum hoc delent, qui nostram nunc receptam lectionem, quam et in suis codd. invenerant pro sermone interpretis habuere et submoverunt. — *Prodentes...* Gronovius interpretatur; deserentes, indefensum relinquentes. *Lagrange* interpret. *ont trahi le secret de leur vie.*

7. *Nam quum..... relabuntur.* Etsi se infelicissimos esse quererentur, tamen nihil mutaverunt in vitæ suæ ratione solita.

8. *Ista vitia.* In quæ projecti estis, nullo quamvis longissimo tempore explebuntur.

devorabunt : hoc vero spatium, quod, quamvis natura
currit, ratio dilatat, cito vos effugiat necesse est. Non 4
enim apprehenditis, nec retinetis, nec velocissimæ om-
nium rei [1] moram facitis, sed abire ut rem supervacuam
ac reparabilem sinitis. In primis autem et illos numero,
qui nulli rei, nisi vino ac libidini vacant : nulli enim
turpius occupati sunt. Ceteri, etiamsi vana gloriæ ima-
gine teneantur, speciose tamen errant. Licet avaros mihi, 5
licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes injusta,
vel bella : omnes isti virilius peccant. In ventrem ac libi-
dinem projectorum inhonesta labes est. Omnia [2] istorum
tempora excute : adspice quamdiu computent [3], quamdiu
insidientur [4], quamdiu timeant [5], quamdiu colant, quam-
diu colantur, quantum vadimonia [6] sua atque aliena oc-
cupent, quantum convivia, quæ jam ipsa officia [7] sunt ;
videbis, quemadmodum illos respirare non sinant vel
mala sua, vel bona. Denique inter omnes convenit, nul- 6
lam rem bene exerceri posse ab homine occupato [8] : non
eloquentiam, non liberales disciplinas [9] : quando distric-
tus animus nihil altius recipit [10], sed omnia velut incul-

1. *Velocissimæ omnium rei.* Tempori vitæ, quod Virgilius Georg. III, 284, recte irreparabile appellavit.

2. *Omnia istorum.* Male occupatorum.

3. *Computent.* Avari.

4. *Insidientur.* Iracundi, etc.

5. *Timeant.* Gloriæ cupidi.

6. *Vadimonia.* Coram judicibus causas suas alienasque agendo.

7. *Aspice...... officia sunt.* Eadem fere cap. 3, hujus libri expressit : *Dic quantum ex isto tempore*, etc.

8. *Nullam rem bene exerceri ab homine occupato.* Non ab eo qui occupationibus laboribusque multis districtus est, sed ab eo qui alicui aut cupidini aut vitio inservit. *Occupare* est imperium habere, tenere, potiri. *Occupatus* ergo gallice est *esclave*. Attamen huic eidem voci eamdem interdum vim ac gallico verbo *occupé*, *affairé*, tribuere videtur noster hac in disputatione, ita ut *occupatum otioso* opponat, multa et inde antitheses et cavillationes eliciat. Ceterum de hoc verbo v. hujus libri cap. 11, § 3.

9. *Liberales disciplinas.* Philosophia, lectio poetarum, mathesis, musica al. quæ libero homine digna putabantur.

10. *Quando districtus...... recipit.* Animus districtus (*distrait*) leviter attingit omnia.

cata [1] respuit. Nihil minus est hominis occupati [2], quam vivere : nullius rei difficilior est scientia [3].

VII. Professores aliarum artium vulgo multique sunt. Quasdam vero ex his pueri admodum ita percepisse visi sunt, ut etiam præcipere possent [4]. Vivere tota vita discendum est : et quod magis fortasse mirabere, tota vita discendum est mori [5]. Tot maximi viri [6], relictis omnibus impedimentis, quum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt, ut vivere scirent : plures tamen ex his nondum se scire confessi e vita abierunt : nedum ut isti [7] sciant.
2 Magni, mihi crede, et supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere : et ideo vita ejus longissima est, cui quantumcumque patuit, totum ipsi vacavit. Nihil inde incultum otiosumque jacuit : nihil sub alio fuit; neque enim quidquam reperit dignum quod cum tempore suo permutaret, custos ejus parcissimus. Itaque satis illi fuit : his vero necesse est defuisse,
3 ex quorum vita multum populus tulit. Nec est quod putes, hinc illos non intelligere damnum suum; plerosque certe audies ex his quos magna felicitas gravat, inter clientium greges, aut causarum actiones, aut ceteras ho-

1. *Inculcata*. Quæ cum tædio et quasi violentèr obtruduntur : cf. de vit. beat. cap. 24, § 1.

2. *Nihil minus... occupati*. I. e. nihil minus ad hominem occup. pertinet, hominis districti interest, quam vita.

3. *Nullius rei..... scientia*. Cui tamen ille non vacat.

VII. Arg. Scientiam vivendi et moriendi pauci tenent : et vanæ sunt querelæ de occupationibus et negotiis ultro quæsitis.

4. *Pueri admodum..... possent*. Lipsius mirans hoc exempla quædam e lapidibus de præcocibus ingeniis affert : quamquam nullam mirationem hoc movere debere puto, quod puer XIV annos natus geometriam e. c. ita tenuerit, ut alios eam docere possit.

5. *Vivere..... mori*. Cf. Consol. ad Marc. cap. 23, § 2, ibiq. not.

6. *Tot maximi viri*. E. g. Democritus, Epicurus, al.

7. *Nedum ut isti*. Homines districti, quos modo descripserat.

nestas miserias exclamare interdum : « Mihi vivere non
» licet ! » Quidni non liceat ? omnes illi [1] qui te sibi ad-
vocant, tibi abducunt. Ille reus quot dies abstulit ? quot
ille candidatus ? quot illa anus, efferendis heredibus [2] lassa ?
quot ille ad irritandam avaritiam captantium simulatus
æger ? quot ille potentior amicus, qui vos non in ami-
citia, sed in apparatu habet [3] ? Dispunge [4], inquam, 4
ac recense vitæ tuæ dies : videbis paucos admodum et
ridiculos [5] apud te resedisse [6]. Assecutus ille quos opta-
verat fasces [7], cupit ponere, et subinde dicit : « Quando
» hic annus præteribit ? » Facit ille ludos [8], quorum sor-
tem sibi obtingere magno æstimavit : « Quando, inquit,
» istos effugiam ? » Diripitur [9] ille toto foro patronus, et
magno concursu omnia, ultra quam audiri potest, com-
plet : « Quando, inquit, res proferentur [10] ? » Præcipitat 5
quisque vitam suam, et futuri desiderio laborat, præ-
sentium tædio. At ille, qui nullum non tempus in usus
suos confert, qui omnes dies tanquam vitam ordinat,

1. *Omnes illi.* Laudat Lipsius Plinii Epp. I, 9.

2. *Quot illa anus..... lassa ?* Cujus et tu heredipeta es, ideoque multum temporis et operæ consumis in ejus tibi favore conciliando. Cf. Horat. I, Epp. I, 78.

3. *Quot ille..... habet.* Ad officia potentiori præstanda spectat. Notum ex Martiale, Juvenale, aliisque divites olim habuisse clientium longos et ambitiosos comitatus ubi domum egrederentur, sive in forum procederent et ad munia publica obeunda, sive etiam privatos et privatis rebus acturi viam intenderent.

4. *Dispunge.* Computa. Cf. de Benefic. IV, 32, 4.

5. *Ridiculos.* Hæc est omnium scriptorum lectio. *Rejiculos* Erasmus in margine notaverat, quod Lipsius probavit.

6. *Resedisse.* Tibi remanent pauci dies, qui in nullam rem a te vitæ bene collocandæ ignaro conferri possunt, ideoque sunt ridiculi (cf. supra cap. 4, § 2.)

7. *Assecutus..... fasces, cupit ponere.* Eum, qui consul factus est, innuit. Ceterum hæc omnia supra jam dixit, cap. 4 et 5 : *cupiunt ex illo fastigio.... descendere*, etc., usque ad finem.

8. *Ludos.* Ut prætor : nam inter prætores (sub imperatoribus) sors aut ludos aut jurisdictionem dabat.

9. *Diripitur.* Gratia ac favore. Cf. ad III, de Ira 23, 3.

10. *Quando...proferentur ?* Quando feriæ incipient ? Prolatæ res pro

nec optat crastinum, nec timet. Quid enim est, quod jam ulla hora novæ voluptatis possit afferre? Omnia nota, omnia ad satietatem percepta sunt : de cetero fors fortuna, ut volet, ordinet; vita jam in tuto est. Huic adjici potest, detrahi nihil : et adjici sic, quemadmodum aliquis ventre saturo jam, non pleno, aliquid cibi, quod nec desiderat, capit [1].

VIII. Non est itaque, quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse : non ille diu [2] vixit, sed diu fuit [3]. Quid enim? si illum multum putes navigavisse, quem sæva tempestas a portu exceptum huc et illuc tulit, ac viribus ventorum ex diverso furentium per eadem spatia in orbem egit? non ille multum navigavit, sed multum jactatus est. Mirari soleo, quum video aliquos tempus petere [4], et eos, qui rogantur, facillimos. Illud uterque spectat, propter quod tempus petitum est : ipsum tempus [5] quidem neuter. Quasi nihil petitur, quasi nihil datur : re omnium pretiosissima luditur. Fallit autem illos, quia res incorporalis est, quia sub oculos non venit : ideoque vilissima æstimatur, immo pæne nullum pretium

justitio dicebantur. Ernesti Clav. Cicer.

1. *Quemadmodum aliquis ventre saturo jam, non pleno, aliquid cibi, quod nec desiderat, capit.* Adjeci τὰ *aliquis ventre* et τὸ *desiderat*, Erasmo obsequutus. Lipsius eum neglexerat, nescio quare. Totus hic locus ap. Erasm. sic legitur : Huic potest detrahi nihil, adjici sic, sicut aliquis ventre quoque admodum saturo jam, non pleno, aliquid cibi, quod nec desiderat, capit. *Nec desiderans* c. ex conj. dederat Lipsius, Gronovio non repugnante.

VIII. Arg. Tempus rerum omnium pretiosissimum nihili aut parvi æstimatur.

2. *Non ille diu.* Erasmum sequor : sæpe noster particulas causales omittit. Antea : *non enim ille d.*

3. *Non est....fuit.* Cf. Consolat. ad Marc. 20, 10 sq. Lipsius recte hæc Varronis in Modio laudat : Non illos optime vivere, qui diutissime, sed qui modestissime. Quædam collegit Gataker. ad Antonin. p. 111. a. 37.

4. *Tempus petere.* I. e. petere ab aliis ut suum tempus eis ad aliquam operam navent.

5. *Ipsum tempus.* Τὸ *tempus* ex Erasmo adjeci.

ejus est. Annua congiaria [1] homines clarissimi [2] accipiunt, et his aut laborem, aut operam, aut diligentiam suam locant: nemo æstimat tempus. Utuntur illo laxius, quasi gratuito. At eosdem ægros vide, si mortis periculum ad- 3
motum est propius, medicorum genua tangentes: si metuunt capitale supplicium, omnia sua, ut vivant, paratos impendere: tanta in illis discordia affectuum est. Quod si posset, quemadmodum præteritorum annorum[3] cujusque numerus proponi, sic futurorum, quomodo illi, qui paucos viderent superesse, trepidarent, quomodo illis parcerent? Atqui facile est, quamvis exiguum, dispensare quod certum est: id debet servari diligentius, quod nescias quando deficiat. Nec est tamen, quod ignorare putes 4
illos, quam cara res sit. Dicere solent iis, quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Dant, nec intelligunt: dant autem ita, ut sine illorum incremento sibi detrahant: sed hoc ipsum an detrahant, nesciunt: ideo tolerabilis est illis jactura detrimenti latentis. Nemo restituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit qua cœpit ætas, nec cursum suum aut revocabit, aut 5
supprimet: nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ: tacita labetur. Non illa se regis imperio non favore populi longius proferet. Sicut missa [4] est a primo, decurret: nusquam divertet, nusquam remorabitur.

1. *Annua congiaria*. Cf. Sueton. Nerone X, et Tacit. ann. XIII, c. 34. Senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto annua salaria et quibusdam quingena constituit. Collectanea bona de hac re dedit Lipsius Elector. I, VIII. Nostro pro dono quocunque vox congiarium in usu est. Consol. ad Marc. 22, 2.

2. *Clarissimi*. Sc. Senatores. Libri fere: *carissimi*. Unde Lipsius conjecit: *rarissimi*, aut *carissime* i. in magno habent, care æstimant. Fortasse erat: *a clarissimis*, quo referendum esset τὸ *his*, quod sequitur.

3. *Cujusque*. Lipsius mavult *cuique*. Equidem *quibusque* præferrem.

4. *Missa*. Alii: *jussa*. Illud propter cursum, ut metaphora servaretur, placuit editoribus. Nec immerito.

Quid fiet? tu occupatus es, vita festinat: mors interim aderit, cui, velis nolis, vacandum est.

IX. Potestne quisquam, dico hominum eorum, qui prudentiam jactant, et operosius occupati sunt quam ut melius possint vivere [1]? Impendio vitæ vitam instruunt, cogitationes suas in longum ordinant [2]: maxima porro vitæ jactura dilatio est. Illa primum quemque extrahit diem, illa eripit præsentia, dum ulteriora promittit. Maximum vivendi impedimentum est exspectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ positum est, disponis: quod in tua, dimittis. Quo spectas, quo te extendis? omnia quæ ventura sunt, in incerto
2 jacent: protinus [3] vive. Clamat ecce maximus vates, et velut divino ore [4] instinctus salutare carmen canit:

> Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
> Prima fugit [5].

Quid cunctaris, inquit, quid cessas? Nisi occupas [6], fu-

Die curret recte rejecit Gronov., reducto *decurret*. *A primo* est formula cursoribus familiaris. Res nota.

IX. Arg. Igitur nihil differas, quod hodie perfici potest, in crastinum diem.

1. *Potestne quisquam* (sc. morti vacare), *dico hominum eorum, qui prudentiam jactant, et operosius occupati sunt, quam ut melius possint vivere?* Hæc e codice suo sic edidit Erasmus: Potestne quisquam sensus hominum, eorum dico, qui prudentiam jactant, operosius occupari sibi, ut melius possint vivere? Τὸ *melius* Lipsio displicet. Locum tamen suum bene tuetur: vivunt, sed non ita, ut deberent, si vere vivere vellent.

2. *Impendio..... ordinant.* Vitam suam perdunt, dum et id meditantur, quomodo recte vitam agere velint, et cogitantes diu vivere vitam quasi dividunt et in ordinem redigunt.

3. *Protinus*, statim.

4. *Divino ore i. s. c. c.* Optime e codd. omnibus et edd. antiquis restituit Muretus: *divino furore* supposuerat. *Divino sermone*, dictione egregia, ut ap. Horat. I Sat. IV, 43, 44, *Os magna sonaturum*, de sublimi eloquutione. Τὸ *instinctus* sc. afflatu sacro, conjungas cum verbo *canit*, monet Gronov.

5. *Optima.....fugit.* Versus exstant apud Virgil. Georg. III, 68. Confer Senecæ Epistol. 108, post med.

6. *Nisi occupas.* Occupare tempus idem est quod Horatius vocat *diem carpere* (« carpe diem, quam mini-

git : quum occupaveris, tamen fugiet. Itaque cum cele-
ritate temporis, utendi velocitate certandum est : velut
ex torrente rapido, nec semper casuro, cito hauriendum
est. Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam
cogitationem, quod non optimam quamque ætatem, sed
diem dicit [1]. Quid securus, et in tanta temporum fuga 3
lentus, menses tibi et annos, et longam seriem, utcun-
que aviditati tuæ visum est, exporrigis? de die tecum
loquitur, et de hoc ipso fugiente. Non dubium est ergo,
quin prima quæque optima dies fugiat mortalibus mise-
ris, id est, occupatis [2] : quorum pueriles adhuc animos
senectus opprimit, ad quam imparati inermesque veniunt.
Nihil enim provisum est : subito in illam, nec opinantes
inciderunt : accedere eam quotidie non sentiebant. Quem-
admodum aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior
cogitatio iter facientes decipit; pervenisse se ante sciunt,
quam appropinquasse : ita hoc iter vitæ assiduum et ci-
tatissimum, quod dormientes vigilantesque eodem gradu
facimus, occupatis non apparet, nisi in fine.

X. Quod proposui, si in partes velim et argumenta diducere, multa mihi occurrent, per quæ probem brevissimam esse occupatorum vitam. Solebat dicere Fabianus [3], non ex his cathedrariis [4] philosophis, sed ex veris

mum credula postero. » lib. I, Od. II, vs. 8) et *rapere occasionem de die*, Epod. XIII, vss. 3, 4.

1. *Diem dicit.* Scil. poeta supra citatus. Opponitur dies ætati, ut magis perspicuum fiat quam brevis sit homini permissa felicitas.

2. *Occupatis.* Hic idem sonare viditur quod gallicum *occupés*, *affairés*.

X. Arg. Occupati in levibus brevissimam vitam agunt.

3. *Fabianus.* Cf. de eo ad Consol. ad Marc. 23, 3; et Ep. 11, 40, 52, 58, etc.

4. *Cathedrariis.* Qui in sella sua, non item in vita, philosophi sunt. Cathedra autem de quacunque sella, præsertim de elegantiore feminarum (quales videre licet in *Pitture d'Ercolano*, T. IV, *tav.* 43) potentiorum, (c. c. de Clement. I, 9, 5) et professorum dicebatur. Hanc ipsam sententiam Fabiani secutus est noster in Consolatione ad Marc. cap. 1.

et antiquis : « Contra affectus impetu, non subtilitate » pugnandum, nec minutis vulneribus, sed incursu avertendam aciem non probam : cavillationem enim [1] retundi debere, non vellicari. » Tamen ut illis error exprobretur suus, docendi, non tantum deplorandi sunt.

2 In tria tempora vita dividitur : quod est, quod fuit, et quod futurum est. Ex his quod agimus, breve est ; quod acturi sumus, dubium ; quod egimus, certum. Hoc est enim, in quod fortuna jus perdidit, quod in nullius arbitrium reduci potest [2]. Hoc amittunt occupati : nec enim illis vacat præterita respicere, et si vacet, injucunda est pœnitendæ rei recordatio. Inviti namque ad tempora male exacta animum revocant, nec audent ea retentare, quorum vitia, etiam quæ aliquo præsentis voluptatis lenocinio subripiebantur, retractando patescunt [3]. Nemo, nisi a quo omnia acta sunt sub censura sua [4], quæ nun-

3 quam fallitur, libenter se in præteritum retorquet. Ille qui multa ambitiose concupiit, superbe contemsit, impotenter vicit, insidiose decepit, avare rapuit, prodige

1. *Avertendam aciem non probam : Cavillationem enim*, etc. Lectio librorum vett., quam et Erasm. propemodum repræsentavit. Quam a Lipsio mutatam accepimus : *avertendam aciem. Non probam cavillationem esse, ret.* etc. Sed vulgata bona est. Affectus contenderat Fabianus cum hoste malevolo et fallaci atque cum cavillatione, haud dubie ad clandestinos eorum incursus exprimendos.

2. *Hoc est..... potest.* Lipsius recte laudat Plin. Nat. Hist. II, 5, p. 125. Bip. — « ne deum quidem posse omnia. Namque nec sibi etc..... nullumque habere in præterita jus, præterquam oblivionis. » Jam antea cecinerat ut Stoicus, Horatius Od. III, 29, 45-48 : « non tamen irritum Quodcunque retro est, efficiet (deus), neque Diffinget, infectumque reddet Quod fugiens semel hora vexit; » ubi conf. Boettiger p. 135 sq.

3. *Inviti.... patescunt.* Omnia tempora præterita eorum vel manifesto prava sunt, vel quæ non male exacta videbantur, quia vitiositas eorum voluptatis quadam specie menti clam subducta est, ea animo istuc revocato ut prava patefiunt.

4. *A quo omnia acta sunt sub censura sua.* H. e. qui sua attentus severusque judex prius examinavit quam committeret, et censor sui austerus exstitit.

effudit, necesse est memoriam suam timeat. Atqui [1] hæc
est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnes huma-
nos casus supergressa, extra regnum fortunæ subducta:
quam non inopia, non metus, non morborum incursus
exagitat. Hæc nec turbari, nec eripi potest [2]: perpetua 4
ejus et intrepida [3] possessio est. Singuli tantum dies, et
hi per momenta præsentes sunt: at præteriti temporis
omnes, quum jusseris, aderunt, ad arbitrium tuum se
inspici ac detineri patientur; quod facere occupatis non
vacat. Securæ et quietæ mentis est, in omnes vitæ suæ
partes discurrere; occupatorum animi velut sub jugo
sunt, flectere se ac respicere non possunt. Abiit igitur 5
vita eorum in profundum, et ut nihil prodest, quamtum-
libet ingeras, si non subest quod excipiat, ac servet:
sic nihil refert, quantum temporis detur, si non est ubi
subsidat. Per quassos [4] foratosque animos [5] transmittitur.
Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem, ut qui- 6
busdam nullum videatur [6]: in cursu enim semper est, fluit
et præcipitatur: ante desinit esse, quam venit [7]: nec ma-

1. *Atqui hæc.* Memoria temporis anteacti, in quam nemini jus competit, quæ violari nequit et semel constituta et fixa est.

2. *Hæc nec..... potest.* Cf. de Vit. beat. 6, 1; de Benef., III, 4, 1. Est Epicuri quoque, quem noster magni facit, sententia e Socraticorum rivulis in hortos suos derivata.

3. *Intrepida.* Quam nullus metus turbare, quam nulla trepidatio assequi potest.

4. *Quassos.* I. e. male affectos. Lipsio et ante eum Grutero placuit *cassos*: nulla tamen ratione judicii allata. Gronovius bene repulit; usu vocis exemplis nunc satis obviis declarato.

5. *Abiit..... transmittitur.* Ad Danaidum dolium (Ovid, Heroid. XIV.) alludi manifestum est. Sæpe veteres hoc mytho usi sunt ad alias res translato in comparationibus. Exemplo est Lucian. T. IV, p. 81, ed. Bipont. Hermotim. ubi philosophia illi Danaidum dolio opponitur: cf. T. I, p. 89, ib. not. Euripid. ap. Stob. Floril. p. 33. Gesn. (p. 113, Schow.).

6. *Præsens..... videatur.* In his erat Parmenides (Tiedemann's *Geist der speculat. Philos.* I, 177; e Simplicii comment. in Aristotel. Physic. I.). Plutarchum laudat Lipsius, fine libelli de dictione EI apud Delphos.

7. *In cursu..... venit.* Secundum Heracliti decretum: πάντα ῥεῖ, omnia sunt in cursu. Tiedemann I, 217.

gis moram patitur, quam mundus, aut sidera, quorum irrequieta semper agitatio, nunquam in eodem vestigio manet. Solum igitur ad occupatos præsens pertinet tempus : quod tam breve est, ut arripi non possit, et id ipsum illis districtis in multa, subducitur.

XI. Denique vis scire, quam non diu vivant? vide quam cupiant diu vivere. Decrepiti senes paucorum annorum accessionem votis mendicant. Minores natu se ipsos esse fingunt, mendacio sibi blandiuntur, et tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant [1]. Jam vero quum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum paventes moriuntur, non tanquam exeant de vita, sed tanquam extrahantur? stultos se fuisse, quod non vixerint, clamitant, et, si modo evaserint ex illa va-
2 letudine, in otio victuros. Tunc, quam frustra paraverint quibus non fruerentur, quam incassum omnis labor ceciderit, cogitant. At quibus vita procul ab omni negotio agitur [2], quidni spatiosa sit [3]? nihil ex illa delegatur [4], nihil alio atque alio spargitur, nihil inde fortunæ traditur, nihil negligentia interit, nihil largitione detrahitur, nihil supervacuum est : tota, ut ita dicam, in

Reliqua esse stoica, jam supra monuimus.

XI. Arg. Ipsi senes ex his otiosis turpiter queruntur moribundi, se parum vixisse.

1. *Decrepiti..... decipiant.* Antiquissima observatio est., Aristoteli quoque adhibita ; Rhetor. II, 13, p. 232 ; T. IV. Bipont. Καὶ φιλόζωοι (οἱ πρεσβύτεροι) καὶ μάλιστα ἐπί τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, διὰ τὸ τοῦ ἀπόντος εἶναι τὴν ἐπιθυμίαν· καί οὗ ἐνδεεῖς, τούτου μάλιστα ἐπιθυμοῦσι. Horat. Art. poet. 172. Spe longus, iners, avidusque futuri. Vid. ibid. Bentley. Est quoque legendum Martialis concinnum epigramma de ridiculo sene, l. III, ep. 43.

2. *At quibus..... agitur.* Ut Alphenus fenerator ap. Horat., Epod. II, ab omnibus negotiis, quibus homo urbanus expositus esse solet, officiis, salutationibus (Voss. ad Virgil. Georg. p. 144.) etc.

3. *Spatiosa sit.* Quidni multa amplectatur.

4. *Delegatur.* Assignatur : delegare est in re nummaria vox propria, et debitores creditori delegantur : Senec. Benef. IV, 11, 2 ; VII, 19, 2. Parum lucenter interpret. *Lagrange.*

reditu est [1]. Quantulacunque itaque abunde sufficit : et
ideo quandocunque ultimus dies venerit, non cuncta-
bitur vir sapiens ire ad mortem certo gradu. Quæris 3
forte, quos occupatos vocem ? non est quod me solos
putes dicere, quos a basilica immissi demum canes eji-
ciunt [2]; quos aut in sua vides turba [3] speciosius elidi,
aut in aliena [4] contemtius; quos officia domibus suis evo-
cant, ut alienis foribus illidant; quos hasta prætoris in-
fami lucro, et quandoque suppuraturo, exercet [5]. Quo-
rumdam otium occupatum est: in villa, aut in lecto suo,
in media solitudine, quamvis ab omnibus recesserunt,
sibi ipsi molesti sunt. Quorumdam non otiosa vita est di-
cenda, sed desidiosa occupatio.

XII. Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia [6] paucorum furore pretiosa, anxia subtilitate concinnat [7], et majorem dierum partem in æruginosis lamellis [8] consu-

1. *In reditu est.* Ut pecunia, quæ certa fide in fenore est.

2. *Non est..... ejiciunt.* De iis, qui ita actuosi et in causis dediti essent, ut ultimi e basilica (vid. ad III, de Ira, 33, 1.) egrederentur, et vix quum claudendæ basilicæ essent, canesque, earum custodes, jam soluti immitterentur, explicat Lipsius. Sed quum ædificia hæc nonnisi porticibus constarent (cf. Ernesti Excurs. ad Sueton. Aug. 31.), de hac explicatione dubius sum. Quomodo enim et cur clausas et a canibus custoditas fuisse basilicas putemus?

3. *Sua..... turba.* Quum ipsi magnifice domum deducuntur.

4. *Aliena.* Alios deducendo, comitando.

5. *Quos hasta... exercet.* Qui auctionibus, quæ sub hasta fiebant, bonorum proscriptorum aderant, et lucrum infame idemque suppuraturum i. e. in exitium eorum, rerum mutatione facta, evasurum, captabant.

XII. Arg. Et qui plerumque otiosi et delicati vocantur, vel maxime inter occupatos numerandi sunt.

6. *Corinthia.* Scilicet vasa, quæ modo in esculenta, modo in lucernas aut trulleos, nullo munditiarum respectu, transferri solebant. Cf. de Tranq. anim. IX fin. ib. not. Idem furor et Plinii tempore (Nat. Hist. XXXIV, 3, Bip.) animos elegantiorum invaserat. Et ex odore illi se dicebant talia vasa dignoscere. Martial. lib. IX, Epigr. LXIII : « Consuluit nares an olerent æra Corinthon. »

7. *Concinnat.* Apte collocat, ordinat.

8. *Æruginosis lamellis.* His ipsis Corinthiis : lamella enim ut lamina, lamna de supellectile argentea, aut

mit? qui in ceromate[1] (nam, proh facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus!) spectator puerorum rixantium sedet? qui victorum suorum greges[2] in ætatum et colorum paria diducit? qui athletas notissimos[3] pascit? Quid? illos otiosos[4] vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur[5], si quid proxima nocte succrevit; dum de singulis capillis in consilium itur; dum aut disjecta coma restituitur, aut defi-
2 ciens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit? tanquam virum tonderet[6]! Quomodo excandescunt, si quid ex juba[7] sua decisum est, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia in annulos suos reciderunt? Quis est istorum, qui non malit rempublicam suam turbari, quam comam? qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? qui non comtior esse malit, quam honestior?

aurea dicebatur: sed hoc loco cum contemptu.

1. *Ceroma.* Κήρωμα unguentum ex oleo et cera quo ephebi certaturi se linebant apud Græcos, a quibus res defluxit ad Romanos, quibus ceroma de loco etiam gymnasii, ubi ad certamen unguendo se præparabant, dicebatur. Plin. Nat. Hist. XXXV, 2. init.

2. *Victorum suorum greges.* Lectio scriptorum est. Intelligo de servis, quos ille ad spectacula aluit et exercuit, inprimis ut aurigæ s. agitatores essent: quorum factiones notæ sunt. Hi greges proprie appellabantur coloribus distincti, factio alba s. albata, russata, veneta, prasina. Lipsius *viatorum* scribendum putavit, i. μεμαρασμένων, exoletorum, jocose et contemptim. Antea: *vinctorum.*

3. *Notissimos.* Hanc vocem ex Lipsii conj. præfero. Antea: *novissimos*, nullo sensu. Manifestus de homine divite sermo est, qui omne tempus et studium in servis ad spectacula alendis et iis optimæ notæ habendis collocaret, ut omnium oculos in se converteret.

4. *Quid? illos otiosos.* In tota re similia vide apud Musonium in Stobæi Florileg. 6, (p. 180, Schow.) περὶ κουρᾶς.

5. *Decerpitur*, volsellis. Tenendum est, in tonstrina et tonsam barbam et curatam esse comam: quod utrumque hodieque in Gallia, etc. munus unius ejusdemque hominis est.

6. *Tanquam virum tonderet!* i. e. negligentius. Hos deridere videtur qui cum sint viri, comam, æque ac mulieres, curant.

7. *Juba.* Ironice, propter annulos pendentes et cincinnos, in modum jubæ: ut ipse noster Epist. ultim.

Hos tu otiosos vocas, inter pectinem speculumque occu-
patos? Quid illi, qui in componendis, audiendis, di- 3
cendis canticis [1] operati sunt: dum vocem, cujus rectum
cursum natura et optimum et simplicissimum fecit, in-
flexu modulationis inertissimæ [2] torquent? Quorum di-
giti aliquod inter se carmen metientes semper sonant:
quorum quum ad res serias, sæpe et tristes, adhibiti sunt,
exauditur tacita modulatio? non habent isti otium, sed
iners negotium. Convivia mehercule horum non posue- 4
rim inter vacantia tempora, quum videam, quam solliciti
argentum ordinent [3], quam diligenter [4] exoletorum suo-
rum tunicas succingant, quam suspensi sint [5], quomodo
aper a coquo exeat [6]; quanta celeritate, signo dato,
glabri ad ministeria discurrant; quanta arte scindantur
aves in frusta non enormia [7]; quam curiose infelices pue-
ruli ebriorum sputa detergeant. Ex his elegantiæ lauti-
tiæque fama captatur, et usque eo in omnes vitæ suc-

1. *Canticis.* Canticum apud Romanos id fere fuit quod apud nos hodie *chansons*. Martial. lib. III, Epigramm., LXIII, vs. 5. « Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat. »

2. *Quid illi..... torquent.* De carminibus publice recitandis et decantandis hic sermonem esse, constat. Notum porro est id temporis usitatam fuisse quamdam dicendi mollitiem quam elegantiam vocabant, elumbem, enervem, eviratam. Quam Persius merito exagitat, Sat. I, med. et fin. Cæterum *dicere*, est recitare, declamare. Juvenal. Sat. III, 9.

3. *Quum videam........ ordinent.* Vasa escaria, patinas, pocula, etc. Argentum vero est omnia quæ ex argento conflata sunt.

4. *Exoletorum.* Exoleti et *glabri*, quæ vox a nostro mox usurpatur, sunt eunuchi. Quippe qui, pincernæ erant et, ut Jovi Ganymedes, vina sueverant ministrare. Nam ad pocillatoris ministerium soli vocabantur pulchri et formosi pueri: Forma turpibus res culinaria demandabatur. Unde, inter multa, Martial. epigramm. lib. X, LXVI.

5. *Quam suspensi sint.* Quanta iis solicitudo sit et anxietas, ne, etc.

6. *Quomodo aper a coquo exeat.* Aper opportune edendus tradatur; assatus nempe. Nam id maximi momenti apud epulones et maximæ solertiæ est, nec minus assatum quam decet nec nimis tradere. Unde apophtegma: Fiunt coqui, nascuntur assatores.

7. *Non enormia.* Regularia. Cf. de Vit. beat. 17, 2; Ep. 47.

cessus [1] malà sua illos sequuntur, ut nec bibant sine
5 ambitione, nec edant. Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella [2] se et lectica huc et illuc ferunt, et ad gestationum [3] suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt : quos, quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet : et usque eo nimio delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non
6 possint, an esuriant. Audio quemdam [4] ex delicatis (si modo deliciæ vocandæ sunt, vitam et consuetudinem humanam dediscere !) quum ex balneo inter manus elatus, et in sella positus esset, dixisse interrogando : « Jam sedeo ? » Hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an vivat, an videat, an otiosus sit ? non facile dixerim, utrum magis
7 miserear, si hoc ignoravit, an si se ignorare finxit. Multarum quidem rerum oblivionem sentiunt, sed multarum et imitantur : quædam vitia illos, quasi felicitatis argumenta, delectant. Nimis humilis et contemti hominis esse videtur, scire quid faciat. I nunc, et mimos [5] multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta. Plura mehercule prætereunt quam fingunt [6], et tanta incredibilium vitiorum copia, ingenioso in hoc unum seculo [7], proces-

1. *In omnes vitæ successus*. I. e. in omni vitæ cursu, procursu, ut ap. Virg. Æn. XII, 616.

2. *Sella*. Gestatoria. Sueton. Aug. 53. Erat apta ad sedendum, eoque discreta a *lectica*, quæ ad jacendum in usu erat. Conf. Lipsii Elector. I, 19.

3. *Gestationum*. Motuum, qui per sellam, etc. fiunt.

4. *Audio quemdam*, etc. Simile est illa Sybaritarum mollities; de Ira, II, 25. Non est, ut fusius doceamus, hanc reprehensionem, non cadere in Niciam (ap. Stobæum Floril. Serm. 29.), Archimedem, Newtonum aliosque vere magnos viros, qui tantopere labori dediti fuerint, ut corporis sui prope obliviscerentur.

5. *Mimos*. Cf. de Ira, II, 4.

6. *Plura mehercule prætereunt quam fingunt*. Hoc est, illa etiam quæ καθ' ὑπερβολὴν ficta esse videntur, citra veritatem sunt; et quamvis fingant in quibusdam, in plerisque tamen parum dicunt, accusandique eo nomine potius sunt, quod vitia elevent, quam quod attollant.

7. *Ingenioso..... seculo*. Sæpe ab hac parte seculum suum traducit,

sit, ut jam mimorum arguere possimus negligentiam. Esse aliquem, qui usque eo deliciis interierit, ut, an sedeat, alteri credat!

XIIII. Non est ergo otiosus hic; aliud nomen imponas: æger est; immo mortuus est. Ille otiosus est, cui otii sui sensus est: hic vero semivivus, cui ad intelligendos corporis sui habitus indice opus est; quomodo potest hic alicujus temporis dominus esse? Persequi singulos longum est, quorum aut latrunculi [1], aut pila, aut excoquendi in sole corporis cura [2], consumpsere vitam. Non sunt otiosi, quorum voluptates multum negotii habent. Nam de illis nemo dubitavit, quin operose nihil agant, qui in litterarum inutilium studiis detinentur: quæ jam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere, quem numerum remigum Ulysses habuisset: prior scripta esset Ilias, an Odyssea: præterea, an ejusdem esset auctoris [3]. Alia deinceps hujus

idque recte. Cf. Natural. Quæst. VII, 31, 32.

XIIII. Arg. Delicatorum vita non magis otiosa est, quam eorum qui in litterarum inutilium studiis detinentur.

1 *Latrunculi*. Cf. de Tranq. An. 14, 4. Non constat de natura ludi latrunculorum. Egregie tamen de eo disputavit Wielandus (Opp. T. XXIV, p. 130 sqq.) nostro loco non prætermisso. Romanis fuisse proprium ludum hunc, inde discimus, qui eo nomen duxerit, quod belli imaginem daret: etenim latro, latrunculus idem valuit antiquissimis temporibus, quod miles. Calculis autem albis XII contra totidem nigros lusor utebatur, ut eos vel demeret vel defigeret (alligaret). Consilium hujus ludi conveniebat ludo schachico, qui Indiæ originem suam debet, sed ratione et indole prorsus distabant.

2. *Aut excoquendi... cura*. I. e. insolando se, s. apricando, et ungendo; de Tranq. Anim. 3, 1. Persii Sat. IV, 18 et 33, ibique Intpp. De otio mollitie peracto, ideoque de ludis commodioribus, cui Romani in Campo Martio operam dabant, sermo est. —Hic conferendum Ruhkopf indicat Horat. Serm. II, 2, 10; A. P. 380; ubi de variis ludorum oblectamentis, quibus se vulgo recreabant homines, *græcari* soliti, mentio injicitur. Ed.

3. *Græcorum..... auctoris*. Occurrebant hæ quæstiones in commentariis grammaticorum, inprimis Alexandrinorum, nec desierant institui Senecæ tempore. Jam Bion (ad Tranq. Anim. 8, 2.) grammaticos in hæc

notæ: quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant: sive proferas, non doctior videberis, sed mo-
3 lestior. Ecce Romanos quoque invasit inane studium supervacua discendi [1]! His diebus audivi quemdam sapientem [2] referentem, quæ primus quisque ex Romanis ducibus fecisset. Primus navali prælio Duillius [3] vicit, primus Curius Dentatus [4] in triumpho duxit elephantos. Etiamnunc ista, etsi ad veram gloriam non tendunt, circa
4 civilium tamen operum exempla versantur. Non est profutura talis scientia: est tamen quæ nos speciosa rerum vanitate detineat. Hoc quoque quærentibus remittamus, quis Romanis primus persuasit navem conscendere? Claudius is fuit, Caudex [5] ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur: unde publicæ tabulæ, codices dicuntur: et naves nunc quoque, quæ ex antiqua consuetudine per Tiberim
5 commeatus subvehunt, caudicariæ vocantur. Sane et hoc

tanquam inutilia inquirentes carpsit. Stob. Serm. 4, p. 118. De priore quæstione parum aut nihil nobis servatum est, secundæ fit mentio ab Eustathio, quem Lipsius laudat; tertiam, an utrumque poema ejusdem Homeri esset, a nullo veterum, quos legimus, præter Senecam memoratam, F. A. Wolfius summa doctrina, elegantia et subtilitate excussam recte negavit. Cf. ejusd. Prolegomena ad Homerum (Halis Sax. 1795.) et præfat. ad Homeri Iliad. ab eodem Viro κριτικωτάτῳ recensitam (Halis Sax. 1794).

1. *Ecce Romanos..... discendi.* De Tiberio etiam hæc memoriæ prodidit Sueton. 70.

2. *Sapientem.* Ironice dicitur de falso quodam sapiente.

3. *Duillius.* Cæso Duillius Nepos, consul anno U. C. 494, ante Ch. N. 260, primus Romanorum navali prælio victor Carthaginensium classem fudit, et octo et quinquaginta navibus captis Segestam obsidione ab illis cinctam liberavit. Cæterum de illo vid. Liv. Epit. 17. Cic. Orat. 45.

4. *Curius Dentatus.* M. Annius Curius Dentatus, ter consul, Samnitibus, Sabinis, Lucanis fusis bis triumphavit, ann. 273 ant. Ch. N. Dein rus concessit, ubi simplicissime vixit. Plin. Nat. Hist. VIII, 6.

5. *Caudex.* App. Claudius Caudex, Appii cæci Fil. consul 264 ann. ant. Ch. N., A. U. C. 489, postquam fretum siculum transmisisset, Hieronem regem et Pœnos magna clade fudit. Cf. Sueton. Tib. 2. Varro de vit. Rom. II, ap. Nonium, de propriet. Sermon. c. 13, § 12.

ad rem pertineat, quod Valerius Corvinus [1] primus Messanam vicit, et primus ex familia Valeriorum, urbis captæ in se translato nomine Messana appellatus est, paulatimque vulgo permutante litteras, Messala dictus. Num et hoc quemquam curare permittas, quod primus L. Sulla [2] in circo leones solutos dedit, quum alioquin alligati darentur, ad conficiendos eos missis a rege Boccho jaculatoribus ? et hoc sane remittatur. Num [3] et Pompeium 6
primum in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus, ad ullam rem bonam pertinet ? Princeps civitatis, et inter antiquos principes, ut fama tradidit, bonitatis eximiæ, memorabile putavit spectaculi genus, novo more perdere homines. Depugnant ? parum est; lancinantur ? parum est : ingenti mole animalium exterantur [4]. Satius erat ista in oblivionem ire, ne quis postea potens disceret, invideretque rei minime humanæ.

XIV. O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna felicitas ! Ille se supra rerum naturam esse tunc credidit, quum tot miserorum hominum catervas sub alio cælo natis belluis objiceret; quum bellum inter tam disparia animalia committeret; quum in conspectu populi Romani multum sanguinis funderet, mox plus ipsum fundere coacturus [5]. At idem postea Alexandrina

1. *Valerius Corvinus.* Corvinum hunc appellando errat noster. Fasti Capitolini : M. Valerius, M. F. M. N. Maximus, qui in hoc honore Messala appellatus est, A. U. C. 590. Repetit quoque Macrobius Saturnal. I, VI, p. 224. Bip. T. I.

2. *L. Sulla.* Plin. N. H. VIII, 20. Bip. idem narrare videtur.

3. *Num et Pompeium.* Plin. Nat. Hist. VIII, 7, confirmat.

4. *Exterantur.* Gronov. dedit e MSS. Antea : *obterantur* s. *exenterantur.*

XIV. Arg. Pergit in traducendis Grammaticorum ineptiis. Tum eos solos omnium otiosos esse docet, qui sapientiæ vacent.

5. *Plus.... coacturus;* i. e. mox populum ipsum in cruenta bella tracturus. Ex argutiarum captatione hoc enuntiatum ortum est.

perfidia deceptus[1], ultimo mancipio[2] transfodiendum se
præbuit, tum demum intellecta inani jactatione cogno-
2 minis sui[3]. Sed ut illo revertar, unde decessi, et in alia
materia ostendam supervacuam quorumdam diligentiam:
idem[4] narrabat, Metellum[5], victis in Sicilia Pœnis, trium-
phantem, unum omnium Romanorum ante currum cen-
tum et viginti captivos elephantos duxisse: Sullam[6] ul-
timum Romanorum protulisse pomœrium, quod nunquam
provinciali, sed Italico agro acquisito, mos proferre apud
3 antiquos fuit. Hoc scire magis prodest, quam Aventi-
num montem extra pomœrium[7] esse, ut ille affirmabat,
propter alteram ex duabus causis: aut quod plebs eo se-

1. *Alexandrina perfidia deceptus*. Nemini ignotum est, quum Alexandriam e Pharsalia victus Pompeius fugeret, Ptolemæum XIII, Dionysii Fil., quem in paternum regnum ipse restituerat, jussisse hunc in portu trucidari.

2. *Ultimo mancipio*. Achillæ ad Alexandriam: cf. ad II, de Ira 2, 4.

3. *Inani jactatione cognominis sui*. I. e. Magni, quod Sulla ei dederat (Plut. Pompei. p. 731, T. III, Reisk.) et quod ita pervulgatum est, ut Cn. Pompeium minus sæpe quidam nominent quam Magnum. In primis Lucanus in epico poemate Pharsalia. Haud equidem scio, an hæc jactatio ab ullo veterum sit memorata. Nec in Pompeium cadere videtur, si, quæ de eo narrata sint, adverteris, e. c. Plutarch. l. l. Esse tamen potuit ut Seneca ad iambica Sophoclis, quæ ad uxorem et filium conversus Pompeius, tanquam nunc servus factus, pronuntiasse narratur a Plutarcho p. 866, respiceret.

4. *Idem*. Ille pseudosapiens quem induxit loquentem, cap. præced. § 3.

5. *Metellum*. Fuit hic L. Metellus Consul. Liv. Epit. 19, Flor. II, 2, ib. Intpp. Res gesta est bello Punico primo. In numero elephantorum variant auctores.

6. *Sullam*. Terminos urbis propagare ei dabatur ex antiquo more, qui Italicum agrum Reipublicæ addidisset. Qui mos illis temporibus ortus esse videtur in quibus nonnisi cum Italis res esset Romanis, quumque hi adhuc populo victo civitateque donato (Cic. de Off. I, XI, 4. Heusing.) secum in urbe habitandi locum facerent. De agro itaque porvinciali acquirendo non cogitabant isto tempore. Sed postea ad provincialem agrum extendebatur quoque iste mos. Sulla tamen ultimus non fuit, qui Romanorum pomœrium proferret: et Jul. Cæsar de hac re cogitavit, et Augustus eam effecit. Postea quoque Claudius simile quid instituit. Cf. Tacit. Annal. XII, 23, 24; Liv. I, 44, et ad utrumque locum Intpp.

7. *Aventinum.... extra pomœrium*. Qui ante Anci imperium extra pomœrium fuit, mox regnante illo

cessisset [1], aut quod Remo auspicante illo loco aves non
addixissent [2]. Alia deinceps innumerabilia, quæ aut ficta
sunt, aut mendacii similia. Nam ut concedas omnia eos
fide bona dicere, ut ad præstationem scribant [3]; tamen cujus
ista errores minuent? cujus cupiditates prement? quem
fortiorem, quem justiorem, quem liberaliorem facient?
Dubitare se interim Fabianus [4] noster aiebat, an satius 4
esset nullis studiis admoveri, quam his implicari. Soli
omnium otiosi sunt, qui sapientiæ vacant : soli vivunt.
Nec enim suam tantum ætatem bene tuentur : omne
ævum suo adjiciunt. Quidquid annorum ante illos actum
est, illis acquisitum est. Nisi ingratissimi simus, illi
clarissimi sacrarum opinionum conditores nobis nati
sunt, nobis vitam [5] præparaverunt. Ad res pulcherrimas, 5
ex tenebris ad lucem erutas [6], alieno labore [7] deducimur:
nullo nobis seculo interdictum est : in omnia admittimur : et si magnitudine animi egredi humanæ imbecillitatis angustias libet, multum per quod spatiemur tem-

urbi Romæ adjunctus ædes plurimas continuit. Sævi ominis mons principio existimabatur, quod h. l. interfectus Remus et sepultus; sed tum lustratus et inter puros habitus.

1. *Aut quod plebs..... secessisset.* De hoc vide Titum Liv. II, 32; Aul. Gell. XIII, 14.

2. *Remo....... addixissent.* Incerta erat traditio, utrum de loco condendæ urbis, an de conditore, et a quo urbs sit appellanda, litigaverint Romulus et Remus : ille auspicabatur in monte Palatino, hic in Aventino. Cf. Liv. libr. I, cap. 5; Plutarch. in Rom. cap. 9 sq. ib. Intpp.—Cæterum *addicere*, apud augures, erat : favere.

3. *Nam ut..... scribant.* Etsi periculo suo hoc scribant.

4. *Fabianus.* De quo supra, cap. 10. Conf. Consol ad Marc. XXIII, 3.

5. *Vitam.* Lipsius mavult *viam.* Non invenio, cur ei vulgata displicuerit. Quum sapientes soli vivunt, præceptis suis tradendis efficiunt ut et ipsi vitam bene agere possimus.

6. *Res pulcherrimas, ex tenebris ad lucem erutas.* Rerum naturæ leges, quæ supra humanam naturam mortalesque oculos positæ, diu latuere in tenebris sepultæ, nunc remoto velo obviæ patent.

7. *Alieno labore.* Non enim nostrum est, si hæc publici juris facta et in medium prolata innotescunt. Priorum sæculorum philosophi, Thales, Empedocles, Epicurus, aliique multi hæc notaverunt nobisque transmiserunt.

poris est [1]. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum
Carneade, cum Epicuro quiescere, hominis naturam cum
Stoicis vincere, cum Cynicis excedere, cum rerum natura
6 in consortium omnis ævi pariter incedere [2]. Quidni ab
hoc exiguo et caduco temporis transitu, in illa nos toto
demus animo, quæ immensa, quæ externa sunt, quæ
cum melioribus communia? Isti qui per officia discur-
sant, qui se aliosque inquietant, quum bene insanierint,
quum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ul-
las apertas fores præterierint, quum per diversas domos
meritoriam salutationem [3] circumtulerint: quotum quem-
que ex tam immensa, et variis cupiditatibus districta
urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos
aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoveat?
7 quam multi, qui illos, quum diu torserint, simulata
festinatione transcurrant? quam multi per refertum clien-
tibus atrium prodire vitabunt, et per obscuros ædium
aditus profugient? quasi non inhumanius sit decipere,
quam excludere! quam multi hesterna crapula semisom-
nes et graves, illis miseris somnum suum rumpentibus,
ut alienum exspectent [4], vix allevatis labiis insusurratum [5]
8 millies nomen oscitatione superbissima reddent? Hos

1. *Multum..... temporis est.* Translata μεταφορᾷ a temporibus ad locos. Spatiari per tempora, ut per agros, per vias aut urbem.

2. *Disputare...... incedere.* Facile intelligas, cum acumine hæc posita esse, quum alius dixisset: tibi licet Socratem, qui disputando docebat, sequi, sive Carneadem (Academiam novam, cujus dubitatio, τὸ ἐπέχειν, propria erat, Tiedeman II, p. 572 sqq. Fabric. Bibl. Gr. III, p. 166.) etc.

3. *Meritoriam salutationem.* Accipere enim clientes, iique pauperiores, munera, quæ nomen sportulæ, s. esculentorum plenæ, s. pecuniæ summulam continentis, habebant. Juvenal. Sat. I, 95; III, 249; Martial I, 60, 11.

4. *Illis miseris..... exspectent.* Matutine enim salutaturis surgendum erat, qui, rupto suo somno, exspectarent, donec patrono suum interrumpere liberet.

5. *Insusurratum.* A servo nomenclatore qui et ipse eos spernit.

in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram [1] quotidie, et Democritum, ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam familiarissimos! nemo [2] horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorem amantioremque sui dimittet, nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur. Nocte conveniri et interdiu ab 9
omnibus mortalibus possunt. Horum te [3] mori [4] nemo coget, omnes docebunt : horum nemo annos tuos conteret [5], suos tibi contribuet : nullius ex his sermo periculosus erit, nullius amicitia capitalis [6], nullius sumptuosa [7] observatio.

XV. Feres ex his quidquid voles : per illos non stabit, quominus, quantum plurimum ceperis, haurias. Quæ illum felicitas, quam pulchra senectus manet, qui se in horum clientelam contulit? habebit cum quibus de minimis maximisque rebus deliberet, quos de se quotidie consulat, a quibus audiat verum sine contumelia, laudetur sine adulatione, ad quorum se similitudinem effingat. Solemus dicere [8], non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes : sorte nobis datos. Nobis vero

1. *Pythagoram.* Ejus scripta, si quæ fuerint, non servata esse, omni dubio exemptum est (Fabric. B. G. I, p. 779. sq.); respicit itaque noster ad doctrinam Pythagoræ, quæ a multis, et iis præclaris, viris tractata erat, e. c. Archyta Mathematico, Timæo Locrensi, Ocello Lucano, etc.

2. *Horum.* Philosophorum nempe; si quis eorum libros attente perlegere velit.

3. *Horum te*, etc. Spectare hæc ad pericula, quibus expositi erant, qui potentiores colere solebant, patet.

4. *Mori.* E. c. coegit Canum Julium Caligula (de Tranq. Anim. 14.), Senecam ipsum Nero, mortem sibi ipsos adsciscere.

5. *Conteret.* Perdet, dum patronis tuis adsis, iis officia præstes, etc.

6. *Nullius ex..... capitalis.* Ut in Sejano.

7. *Sumptuosa.* Munera patronis et servis eorum dando. Confirmat Juvenal. Sat. III, 184, 188, 189.

XV. Arg. Laudes sapientiæ.

8. *Solemus dicere..... etc.* Similia sunt in Consolatione ad Marc. XVIII, 6. Lipsius laudat Arriani Disputatt. I, 12.

2 ad nostrum arbitrium nasci [1] licet. Nobilissimorum ingeniorum familiæ [2] sunt : elige in quam adsciscì velis ; non in nomen tantum adoptaberis, sed in ipsa bona : quæ non erunt sordide nec maligne [3] custodienda : majora fient, quo illa pluribus diviseris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter, et te in illum locum, ex quo nemo ejiciet, sublevabunt : hæc una ratio est extendendæ mortalitatis, immo in immortalitatem vertendæ. Honores, monumenta, quidquid aut decretis ambitio jussit, aut operibus exstruxit, cito subruitur : nihil non longa demolitur vetus-
3 tas [4], et movet ocius, quod consecravit. Sapientiæ [5] noceri non potest. Nulla delebit ætas, nulla diminuet [6]. Sequens ac deinde semper ulterior aliquid ad venerationem conferet. Quoniam quidem in vicino versatur invidia, simplicius longe posita miramur [7]. Sapientis ergo multum patet vita : non idem illum, qui ceteros, terminus includit. Solus generis humani legibus solvitur : omnia illi
4 secula, ut Deo, serviunt. Transivit tempus aliquod ? hoc recordatione comprehendit. Instat ? hoc utitur. Ven-

1. *Nasci.* Quatenus culturæ patientem commodamus aurem, et ad similitudinem philosophorum nos effingimus.

2. *Familiæ.* Sunt quædam illustrium philosophorum sectæ, Cic. de Orat. III, 16.

3. *Maligne.* Invidiose et parce.

4. *Vetustas.* Tempus.

5. *Et movet ocius, quod consecravit. Sapientiæ.* Vulgata bene habet. Sed quoniam duo Palat. MSS. offerunt : unus, *et movet ocium*, alter, *et monet ocium*, Lipsius legendum putat : *At manet otium, quod consecravit sapientia : ei noceri non potest.* Sive etiam : *et movet.* At iis, quos consecravit sapientia, noceri non potest. Ingeniose sane.

6. *Nulla delebit ætas, nulla dim. Sequens ac d.* Gronovii judicium sequor, qui codd. Grut. et Pinciano, τὸ *præsens* post *ætas* non præbentibus, obtemperandum censuit. Quum editores τὸ *sequens* ad *nulla diminuet* retraxissent, facilis lapsus erat ad *præsens* vel effingendum, vel intrudendum.

7. *Quoniam quidem in vicino..... miramur.* Laudat Lipsius locum notum Velleii Paterculi, lib. II, cap. 92, ubi eadem sententiam felicissime expressit : « Præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur : et his nos obrui, illis instrui credimus. »

turum est? hoc præcipit [1]. Longam illi vitam facit omnium temporum in unum collatio. Illorum brevissima ac sollicitissima ætas est, qui præteritorum obliviscuntur, præsentia negligunt, de futuro timent: quum ad extrema venerint, sero intelligunt miseri, tandiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.

XVI. Nec est, quod hoc argumento probari putes, « longam illos agere vitam, quia interdum mortem invocant.» Vexat [2] illos imprudentia incertis [3] affectibus, et incurrentibus in ipsa quæ metuunt: mortem sæpe ideo optant, quia timent. Illud quoque argumentum non est, quod putes, diu viventium, « quod sæpe illis longus videtur dies: quod, dum veniant ad condictum [4] tempus cœnæ, tarde ire horas queruntur. » Nam si quando illos deserunt occupationes, in otio relicti æstuant, nec quomodo id disponant, aut extrahant [5], sciunt. Itaque ad 2
occupationem aliquam tendunt, et quod interjacet, omne tempus grave est: tam mehercule, quam quum dies muneris gladiatorii edictus est, aut quum alicujus alterius vel spectaculi vel voluptatis exspectatur constitutum, transilire medios dies [6] volunt. Omnis illis speratæ rei longa dilatio est. At illud tempus, quod amant [7], breve

1. *Hoc præcipit.* I. e. præsumit, anticipat.

XVI. Arg. Levitas et inconstantia vulgi et delicatorum carpitur.

2. *Vexat*...... etc. Et ignoratio rerum et ipsi affectus, quibus agitantur eos vexant.

3. *Incertis.* Incerti, i. e. inordinati affectus faciunt, ut mortem optent. Lipsius laudat Democriti dictum (apud Stob. Serm. 3. pag. 121. Schow.) Ἀνοήμονες, τὸ ζῆν ὡς στυγέοντες, ζῆν ἐθέλουσι δείματι Ἀΐδεω· et ἄνθρωποι, τὸν θάνατον φεύγοντες, διώκουσιν.

4. *Condictum.* Statutum.

5. *Extrahant.* Terant, consumant.

6. *Transilire medios dies.* Nam hoc spectaculi genus, non mane, sed post mediam exactam diei partem, edebatur, et nonnunquam ad octavam nonamve.

7. *At illud tempus, quod amant.* I. tempus constitutum, ad quod tendunt. *Suo vitio;* ea qua ipsi laborant, vitiositate.

est, et præceps, breviusque multo fit suo vitio: aliunde
enim alio transfugiunt, et consistere in una cupidate non
3 possunt. Non sunt illis longi dies, sed invisi. At contra,
quam exiguæ noctes videntur, quas in complexu scorto-
rum, aut vino exigunt! Inde[1] etiam poetarum furor, fa-
bulis humanos errores alentium, quibus visus est Jupi-
ter[2], voluptate concubitus delinitus, duplicasse noctem.
Quid aliud est vitia nostra incendere, quam auctores
illis inscribere deos, et dare morbo, exemplo divinitatis,
4 excusatam licentiam? Possunt istis non brevissimæ videri
noctes, quas tam care mercantur? diem noctis exspecta-
tione perdunt, noctem lucis metu. Ipsæ voluptates eorum
trepidæ, et variis terroribus inquietæ sunt, subitque
quum maxime exsultantes sollicita cogitatio: «Hæc quam
diu[3]?» Ab hoc affectu reges suam flevere potentiam, nec
illos magnitudo fortunæ suæ delectavit, sed venturus
5 aliquando finis exterruit. Quum per magna camporum
spatia porrigeret exercitum[4], nec numerum ejus, sed
mensuram comprehenderet[5] Persarum rex insolentissi-
mus, lacrimas profudit, quod intra centum annos nemo

1. *Inde*. Ex hac vitiositate ortus est poetarum *furor*, enthusiasmus, *μανία*.

2. *Visus est Jupiter*, etc. Alludit ad Jovis concubitum cum Alcmena, matre Herculis, notissimum. Cf. Apollodor. II, 4, 8, ubi Heyne p. 324 sqq. Nonnulli duas, alii tres, alii novem noctes in Hercule procreando a Jove esse consumptas tradidere. Hemsterhus. ad Luciani Somn. T. I, p. 200 sq. Bip. Cæterum hæc invectio in fabularum auctores jam a Xenophane et Platone instituta Nostro digna est: qui et in eo a Stoicis desciscit, quod illa interpretatione allegorica mythorum ineptias mitigaverit. Quæ hic obiter perstringit, ea singulari libro de superstitione inscripto acerrime pertractavit. Cujus libri, infeliciter perditi fragmenta ex Augustino de Civitate Dei VI, 10, collegit Lipsius Electorum l. II, c. 18.

3. « *Hæc quam diu?* » Idem occurrit de Tranq. Animi II, 13, ubi vide.

4. *Per magna camporum spatia... exercitum*. Nempe anno ant. Chr. N. 480, quum Hellespontum transmitteret Thraciamque ingenti numero compleret, Græciam debellaturus.

5. *Nec numerum..... comprehende-*

ex tanta juventute superfuturus esset [1]. At illis erat admoturus fatum ipse, qui flebat, perditurusque alios in terra, alios in mari, alios in prælio, alios in fuga, et intra exiguum tempus consumpturus illos, quibus centesimum annum timebat!

XVII. Quid, quod gaudia quoque eorum trepida sunt? non enim solidis causis innituntur, sed eadem, qua oriuntur, vanitate turbantur. Qualia autem putes tempora esse, etiam ipsorum confessione misera: quum hæc quoque, quibus se attollunt, et supra hominem efferunt, parum sincera sint! Maxima quæque bona sollicita sunt: nec ulli fortunæ minus bene, quam optimæ, creditur [2]. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est: et pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim quod fortuito evenit, instabile est: quo altius surrexerit, opportunius est in occasum [3]. Neminem porro casura delectant. Miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam, vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod majore possideant: operose assequuntur quæ volunt, anxii tenent quæ assecuti sunt. Nulla interim nun-

ret. Nam plusquam vicies centena millia vel militum vel calonum fœminarumque et ministrorum huc confluxisse vulgo dicitur.

1. *Quum...... superfuturus esset.* Xerxes. Herod. VII, 45, 46. Ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτεῖραι, ὡς βραχὺς εἴη ὁ πᾶς ἀνθρώπινος βίος, εἰ τουτέων γε ἐόντων τοσούτων οὐδεὶς ἐς ἑκατοστὸν ἔτος περιέσται.

XVII. Arg. Et gaudia eorum trepida sunt; aliunde enim alio tendunt et transfugiunt.

2. *Maxima....creditur.* Quæ quum observassent homines antiquissimi, hanc fortunæ manentis raritatem diis, felicitati hominum invidentibus, tribuerunt. Cf. Herodot. VII, 10 et 46; I, 32. Horat. Od. I, 24, 14; III, 29, 49 sq. Lipsius laudat Æschyli Septem adv. Thebas 771 sq. Schütz.

3. *Quo alius surrexerit, opportunius est in occasum.* E codd. Grut. et Bruxell. Gronov. laudat, ut expeditius: h. e. magis patet, paratius est in occasum. Notionem vocabuli *opportunus* egregie illustratam dedit Gronov. avus, ad Liv. XXV, 30, nunc satis notam. Antea: *q. a. surrexit opportunum est in occasum*, e. c. ap. Erasm. *vergit pronius in occasum* Pincian. etc.

3 quam amplius redituri temporis est ratio [1]. Novæ occupationes veteribus substituuntur, spes spem excitat, ambitionem ambitio: miseriarum non finis quæritur, sed materia mutatur. Nostri nos honores torserunt? plus temporis alieni auferunt [2]. Candidati laborare desivimus? suffragatores [3] incipimus. Accusandi deposuimus molestiam? judicandi nanciscimur. Judex desiit esse? quæsitor [4] est. Alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit? suis opibus detinetur. Marium caliga dimi-
4 sit? consulatus exercet [5]. Quintius [6] dictaturam properat pervadere [7]? ab aratro revocabitur. Ibit in Pœnos [8] nondum tantæ maturus rei Scipio, victor Hannibalis, victor Antiochi, sui consulatus decus, fraterni sponsor: ni per ipsum mora sit, cum Jove reponetur? ci-

1. *Nulla interim nunquam amplius redituri temporis est ratio.* H. e., minime curæ est an tempus effugiat, quod elapsum tamen nunquam revertetur. *Rationem habere* Gallice est *tenir compte* vel *mettre en ligne de compte.*

2. *Nostri nos honores.... auferunt.* H. e. ubi honorum nos jam tædet, et magistratus, dignitates, sacerdotia nobis contingere non optamus, hos aliis volumus dari, nec minus pro aliena causa hodie laboramus quam heri defatigabamur pro nostra.

3. *Suffragatores.* Ut candidatos in petendis honoribus gratia nostra juvemus. Ern. Clav. Cic. *suffragari.*

4. *Quæsitor.* I. e. prætor, qui judicio criminali, quæstioni, e. c. de repetundis, præest, ideoque judices constituit. Hoc tempore XIV usque ad XVIII prætores fuisse, qui omnes anno exacto sorte in provincias prætorias mitterentur, docet Lipsius Excurs. D. ad Tacit. Annal. I, 14, e Dione Cassio LX, 10; cf. Ernesti Clav. Cic. vocab. *Prætor. Quæstio.*

5. *Marium...... exercet.* Inferiores militiæ gradus designat caliga, ut ap. Plin. N. H. VII, 44, Bip. de Mario hoc e Sallustio Jugurth. et Plutarcho (T. II, Reisk.) omnia nota sunt.

6. *Quintius.* Quintius Cincinnatus, nempe in bellocontraSab. Lib. III, 26.

7. *Pervadere.* Ex Gronovii sententia recepi. Fecit hanc lectionem e quinque codd. Grut., ubi erat: *prævadere.* Antea: *evadere.*

8. *Ibit in Pœnos...... etc.* P. Corn. Scipio Africanus major (ab illo distinguendus qui a P. Cornel. Scipione, Africani majoris filio, fuit adoptatus, et natus filius fuit Æmilii Pauli Macedonici), Annibalem vicit ad Zamam, et Antiochum magnum, ut legatus L. Scipionis fratris, de cujus successu adeo spopondit. Honores pæne divinos populus ei decrevit (*cum Jove reponetur?*). Valer. Max. IV, 1, VIII, 15.

viles servatorem agitabunt seditiones [1], et post fastiditos a juvene diis æquos honores, jam senem contumacis exsilii [2] delectabit ambitio. Nunquam deerunt vel felices, vel miseræ sollicitudinis causæ : per occupationes intercludetur otium : nunquam agetur, semper optabitur.

XVIII. Excerpe itaque te vulgo, Pauline [3] carissime, et in tranquilliorem portum, non pro ætatis spatio jactatus, tandem recede. Cogita quot fluctus subieris, quot tempestates partim privatas sustinueris, partim publicas in te converteris. Satis jam per laboriosa et inquieta documenta exhibita virtus est: experire; quid in otio faciat. Major pars ætatis, certe melior, Reipublicæ data sit : aliquid temporis tui sume etiam tibi. Nec te ad segnem aut inertem quietem voco : non ut somno, et caris turbæ voluptatibus, quidquid est in te indolis vivæ, demergas. Non est istud acquiescere. Invenies majora omnibus adhuc strenue tractatis operibus, quæ repositus et securus agites. Tu quidem orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter quam alienas, tam diligenter quam tuas, tam religiose quam publicas; in officio amorem consequeris [4], in quo odium vitare difficile est : sed tamen, mihi crede, satius est vitæ suæ rationes, quam frumenti publici nosse [5]. Istum animi vigorem, rerum

1. *Civiles..... seditiones.* A tribunis pl. excitatæ in eum ob male administratam pecuniam Asiaticam.

2. *Exsilii.* Quod Linterni egit inde Romam redire nolens, cf. ep. 86, init. Valer. V, 3. Cf. doctum excurs. Weselii ad Ciceronis Catonem.

XVIII. Arg. Paulinum adhortatur, ut otium capessat periculosa officia fugiendo.

3. *Pauline.* Cf. de eo Argumentum hujus libri.

4. *In officio amorem consequeris.* Id vero arduum et difficile inprimis est, virum qui res publicas administret, officio severo ut plurimum et tristi recte fungi, nec tamen quibusdam displicere.

5. *Tu quidem...... nosse.* De frumentatione, i. de frumento plebi publice idque gratuito dando hic sermo est, cujus administrandi atque distribuendi curam gessit cum aliis et Paulinus. Republica quidem libe-

maximarum capacissimum, a ministerio honorifico qui-
3 dem, sed parum ad beatam vitam apto, ad te revoca : et cogita, non id egisse te ab ætate prima, omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa millia frumenti bene committerentur [1] : majus quiddam et altius de te promiseras. Non deerunt et frugalitatis exactæ homines, et laboriosæ operæ. Tanto aptiora exportandis oneribus tarda jumenta sunt, quam nobiles equi : quorum generosam pernicitatem quis unquam gravi sarcina pressit ? Cogita præterea, quantum sollicitudinis sit, ad tantam te molem
4 objicere : cum ventre humano tibi negotium est ; nec rationem patitur, nec æquitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus esuriens. Modo intra paucos illos dies, quibus C. Cæsar periit (si quis inferis sensus est, hoc gravissime ferens, quod decedebat [2] populo Romano superstite [3]), septem aut octo certe dierum cibaria superesse [4] ! dum ille pontes navibus jungit, et viribus im-

ra frumentum modico aliquo pretio definito, quæstoribus curantibus, publice datum esse cuique, notum est; sed inde a Jul. Cæsare gratuita hæc largitio initium cepit (Sueton. Jul. 41.), mox ab Augusto et reliquis Cæsaribus continuata. A. U. C. 736. Augustus primum curam frumenti tradidit quatuor viris, qui jam Prætores fuerant. Dio Cass. LIV, 17, LV, 31. Mox sub Tiberio præfectura annonæ instituta est, officio hoc in unum virum devoluto. Distribuendi frumenti, s. cibariorum, ratio per tesseras, s. ligneas, s. æreas, s. plumbeas erat : quocumque mense, et quidem nonis, vt videtur, horrea publica, in quibus frumentum condebatur, aperiebantur. Plura dabit Lipsius Electorum I, 8.

1. *Ut tibi multa millia* (sc. modiorum) *frumenti bene committerentur.* Ex tribus codd. Grutt. et Brux. reposuit recte Gronovius. Bene autem dicitur alicui aliquid male aut bene credere, committere, docente Gronov. ad h. l. Lipsius in suo cod. invenerat : *vere*, unde maluit : *viro* facere : ingeniose : sed de veritate cum Gronov. dubito.

2. *Decedebat.* Sic Pincianus optime correxit : antea *dicebat*, nullo sensu.

3. *Populo Romano superstite.* Nec hoc Dio Cass. LIX, 30, neglexit.

4. *Modo intra paucos illos dies, quibus C. Cæsar periit* (*si quis inf. s. e., hoc gr. f. q. decedebat p. R. s.*), s. *aut superesse !* Sic locum interpunctione adjuvandum putavi, uncinis additis. De Caligula agi patet. Post ejus mortem ἀναρχία quædam dierum paucorum fuit, donec Clau-

perii ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas [1]. Exitio pæne ac fame constitit, et, quæ famem sequitur, rerum omnium ruina, furiosi, et externi, et infeliciter superbi regis imitatio [2]. Quem tunc animum habuerunt illi, quibus erat mandata frumenti publici cura? ferrum, saxa, ignes, gladium [3] excepturi, summa dissimulatione tantum inter viscera latentis mali tegebant [4]: cum ratione scilicet. Quædam enim ignorantibus ægris curanda sunt; causa multis moriendi fuit, morbum suum nosse.

XIX. Recipe te ad hæc tranquilliora, tutiora, majora. Simile tu putas esse, utrum cures, ut incorruptum a fraude advehentium et negligentia frumentum transfundatur in horrea [5], ne concepto humore vitietur, et concalescat [6], ut ad mensuram pondusque respondeat: an

dius, avunculus ejus, ex angulo quodam protractus rerum potiretur. Dio Cass. LX, 1. Sueton. Claud. X.

1. *Dum pontes .. superesse.... egestas.* Dio Cass. LIX, 17, similia tradit. Junxit enim Caligula a. U. C. 792, pontem navibus a villa sua Baulis ad Puteolos. Suet. Cal. 19. Excandefactam annonam quoque tangit Dio.

2. *Furiosi...... imitatio.* Xerxis, Hellespontum pontibus jungentis. Herodot. VII, lib. cap. 36.

3. *Gladium.* Erasmo al. obsecutus reduxi. Antea *Caium*, probante Lipsio, qui explicat: quasi Caii vultus et ira super omnia tormenta aut tela. Adjicerem Lipsiano judicio calculum, nisi de exstincto jam Caio intelligenda hæc essent.

4. *Ferrum.... tegebant.* Seditionem in qua ferrum, saxa, faces, quibus ii, quos noxios habet plebs, petuntur, adhiberi solent, intelligit; hanc prævidisse statuit curatores frumenti publici, supplicia *excepturos*, i. e eadem, qua Caium, pœna afficiendos. Laudat itaque animum fortem curatorum, qui ferrum, saxa, ignes, malum inter viscera latens occultarent.

XIX. Arg. Ad sapientiæ studia ut se recipiat amicum, admonet. Miserrima eorum conditio, qui ad alienum nutum laborant.

5. *Horrea*, publica, per singulas regiones urbis ab antiquissimis inde temporibus structa. Circiter 306, horrea e P. Victorii urbis descriptione fuisse Romæ, putat Lipsius. Vides hic curatorum frumenti officia, ab iis, quæ in nostris horreis publicis (*Magasins*), utique quum navibus advehitur frumentum, præstantur, parum distantia.

6. *Concalescat.* H. e. calorem nimium contrahat eo quod agglobatum coacervatumque sit. Porro nimius

ad hæc [1] sacra et sublimia accedas, sciturus, quæ materia sit diis, quæ voluptas, quæ conditio, quæ forma? quis animum tuum casus exspectet, ubi nos a corporibus dimissos natura componat [2]? quid sit, quod hujus mundi gravissima quæque in medio sustineat, supra levia suspendat, in summum ignem [3] ferat, sidera cursibus [4] suis
2 excitet? Cætera deinceps ingentibus plena miraculis. Vis tu, relicto solo, mente ad ista respicere? nunc, dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te in hoc genere vitæ multum bonarum artium [6], amor virtutum atque usus, cupiditatum oblivio, vivendi atque moriendi scientia, alta rerum quies. Omnium quidem occupatorum [7] conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant; ad alienum dormiunt somnum, ad alienum ambulant gradum,
3 ad alienum comedunt appetitum; amare et odisse, res omnium liberrimas, jubentur [8]. Hi si velint scire, quam

hic calor frugibus et seminibus quibuslibet semen et suculos exsilire cogit, quod et nativo succo obest, immo et aliquando corporibus comedentium nocet. Quæ de hordeo nota sunt cujus semen, quod nimio sic calore exsiliit, causa est formidolosi morbi, γαγγραίνας.

1. *An ad hæc*...Stoicorum sunt quæstiones, deum, i. mundum totum definientium, corpus intelligens et mentem in materia: cujus *voluptas* in gaudio sui ipsius et operis sui; *conditio* Jovis unius æterna (cæteri combustione pereunt), *forma* rotunda. Ep. CXIII. De his Stoicorum scitis cf. *Tiedemann*, Tom. II, 536 sq.

2. *Quis..... componat?* Conf. Consol. ad Marc. XIX, 4. Ep. 64 fin.

3. *In summum ignem*. I. ætherem.

4. *Cursibus*. Plurium codd. et edd. e. c. Erasm. lectio: cui acquiescere licet. Lipsius tamen e lectione haud paucorum codd. *civibus*, fecit *vicibus*.

5. *Vigentibus*. Nobis.

6. *Bonarum artium*. Philosophiæ.

7. *Occupatorum*. Ut Gallica vox *occupé*. Occupatus ille est cujus tempus, cujus vitam, cujus ingenium, quem denique totum tenent, distinent varii seu labores, seu delectationum et voluptatum modi.

8. *Amare..... jubentur*. H. e. Nec sponte amant, nec ultro odere Amor, tamen et odium libera sunt, et de illius arbitrio vulgo qui hæc sentit. Acta sæpe ad alienum imperium exacta esse necessitas est; cogitata nonnunquam; sed quæ patimur, quæ sentimus, minime. Hic libertas. At apud divites et lautos ne hic quidem.

brevis ipsorum vita sit, cogitent, ex quota parte sua sit. Quum videris itaque prætextam sæpe jam [1] sumtam, quum celebre in foro nomen [2], non invideris. Ista vitæ damno parantur: ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent [3]. Quosdam autem quum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes, ætas reliquit: quosdam quum in consummationem dignitatis per mille indignitates irrupissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulcri: quorumdam ultima senectus, dum in novas spes, ut juventa, disponitur, inter conatus magnos et improbos invalida defecit.

XX. Fœdus ille, quem in judicio pro ignotissimis litigatoribus grandem natu, et imperitæ coronæ assentationes captantem, spiritus liquit! turpis ille, qui vivendo lassus citius quam laborando, inter ipsa officia collapsus est! turpis [4], quem accipiendis immorientem rationibus diu tractus [5] risit heres! Præterire, quod mihi occurrit exemplum, non possum. Turannius [6] fuit exactæ 2
diligentiæ senex: qui, post annum nonagesimum, quum vacationem procurationis a Caio Cæsare ultro [7] accepisset,

1. *Quum..... sumtam.* Magistratus, honores plus simplici vice, quorum ornamentum et insigne prætexta (vestis) erat, acceptos.

2. *Celebre in foro nomen.* S. magistratus, s. oratoris, causidici.

3. *Ut unus...... conterent.* Propter consulatum ordinarium. Cf. ad III, de Ira 31, 2.

XX. Arg. Stultitiam eorum, qui ad otium ultro secedere non possunt, exemplo Turannii exhibet.

4. *Turpis.....heres.* Turpis est avarus ille, qui pecuniæ coacervandæ solummodo intentus est: rationes accipit, i. computat facultates suas, et sortis usuras, etc., ut fenerator Alphius ap. Horat. Epod. II, fin.

5. *Tractus.* Longa nimis avari vita.

6. *Turannius.* Procuratione annonæ, quam sub Tiberio (Tacit. Annal. I, 7. XI, 31.) habuit, sub Caligula quoque functus esse videtur. Procuratio autem annonæ jam ap. Cic. occurrit. Lipsius tamen alium intelligit, quia ipse Paulinus jamdiu hoc munus habuerat. Cf. Argumentum.

7. *Caio Cæsare ultro accepisset.* Non rogatam accepisset. Caius Cæsar vero h. l. est Caligula, qui post Tiberium imperavit.

componi [1] se in lecto, et velut exanimem a circumstante familia [2] plangi jussit. Lugebat domus otium domini senis, nec finivit ante tristitiam, quam labor illi suus restitutus est. Adeone juvat occupatum mori ? Idem plerisque animus est : diutius cupiditas illis laboris, quam facultas est : cum imbecillitate corporis pugnant : senectutem ipsam nullo alio nomine gravem judicant, quam
3 quod illos seponit. Lex a quinquagesimo anno militem non cogit [3], a sexagesimo senatorem non citat [4]; difficilius homines a se otium impetrant, quam a lege [5]. Interim, dum rapiuntur [6] et rapiunt, dum alter alterius quietem rumpit, dum mutuo sunt miseri, vita est sine fructu, sine voluptate, sine ullo profectu animi : nemo in conspicuo [7] mortem habet, nemo non procul spes in-
4 tendit [8]. Quidam vero disponunt [9] etiam illa quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum, et operum publicorum [10] dedicationes, et ad rogum munera [11], et am-

1. *Componi se*, etc. Ut moribundum.

2. *Familia.* Servorum.

3. *Lex a..... non cogit.* Docent hoc, e Taciti Annal. I, 17, et aliis, auctores rei militaris.

4. *A sexagesimo..... citat.* Apud Senecam patrem in Controversia ultima libri primi (p. 126. ed. Bip.), P. Asprenas, senator, ait, post sexagesimum et quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Rotundo numero itaque noster usus est. Plin. Epp. IV, 23. In suffragiis ferendis quoque vetus proverbium valuit : sexagenarios de ponte dejici. Cf. Andr. Schottum ad Senecæ patris locum laud. p. 585. T. III, ed. Gronovio-Elzevir.

5. *Difficilius..... quam a lege.* A se enim nunquam impetrant.

6. *Rapiuntur.* H. e. spoliantur; non, ut forsan credes, a morte præcipites abducuntur, feruntur.

7. *In conspicuo*, supple loco ; i. e. ante oculos positam.

8. *Nemo non procul spes intendit.* Quod omnium sapientiorum voce notatum simul et damnatum est. Horat. carm. l. I, Od. 4. « Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam. » Id. II, 16, 17 : « Quid brevi fortes jaculamur ævo Multa ? » Et Nostras Lafont.

Quittez le long espoir et les vastes pensées.

9. *Quidam*, etc. Hæc Horatius Odd. II, 18, jam perstrinxit.

10. *Operum publicorum.* E. c. theatrorum, templorum.

11. *Munera.* Gladiatoria et funebres ludos.

bitiosas exsequias[1]. At mehercule istorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces[2] et ad cereos ducenda sunt.

1. *Ambitiosas exsequias*. Antithesis in verbis quam expressit deinde *Malherbe* :

Dans ces vastes tombeaux où leurs ames hautaines
Font encore les vaines.

et similiter *Lebrun* :

Que prouve leur masse insensée ?
Rien, qu'un néant ambitieux.

2. *Ad faces*. Cf. de Tranq. Animi XI, 5, quasi ad infantum et immature mortuorum modum efferendi sint. Hoc autem noctu fiebat. Tacit. Annal. XIII, 17 fin. Pompa funebri aut laudatione publica funera acerba aut immatura non digna habita sunt. Epist. 122.

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD L. ANNÆI SENECÆ LIBRUM

DE BREVITATE VITÆ.

On présume que le Paulinus à qui Sénèque adresse ce Traité était père de Pauline, la seconde femme de Sénèque. Il exerçait à Rome une charge très-importante, la surintendance générale des vivres.

« La vie n'est courte, dit Sénèque, que par le mauvais emploi qu'on en fait. »

« Perdre sa vie, c'est tromper le décret des dieux. »

« Se cacher son âge, c'est vouloir mentir au destin. »

On ne lit point ce Traité sans s'appliquer à soi-même la plupart des sages réflexions dont il est parsemé. Un homme de lettres se plaignait de la rapidité du tems. Un de ses amis, témoin de ses regrets, et sachant d'ailleurs combien il était prodigue du sien, l'interrompit en lui citant ce passage de Sénèque : *Tu te plains de la briéveté de la vie, et tu te laisses voler la tienne.* « On » ne me vole point ma vie, répondit le philosophe : je la donne ; » et qu'ai-je de mieux à faire que d'en accorder une portion à » celui qui m'estime assez pour solliciter ce présent ? Quelle » comparaison d'une belle ligne, quand je saurais l'écrire, à une » belle action ? On n'écrit la belle ligne que pour exhorter à la » bonne action, qui ne se fait pas : on n'écrit la belle ligne que pour » accroître sa réputation, et l'on ne pense pas qu'au bout d'un » nombre d'années assez courtes, et qui s'écoulent avec rapi- » dité, il sera très-indifférent qu'il y ait au frontispice de la PÉ- » TRÉIDE, *Thomas*, ou un autre nom ; on ne pense pas que le

» point important n'est pas que la chose soit faite par un autre » ou par soi, mais qu'elle soit faite et bien faite, par un méchant » même ou par un homme de bien; on prise plus l'éloge des » autres que celui de sa conscience. On ne me louera, j'en con- » viens, ni dans ce moment où je suis, ni quand je ne serai » plus; mais je m'en estimerai moi-même, et l'on m'en aimera » davantage. Ce n'est point un mauvais échange que celui de la » bienfaisance, dont la récompense est sûre, contre de la célébrité » qu'on n'obtient pas toujours, et qu'on n'obtient jamais sans in- » convénient. Je n'ai jamais regretté le tems que j'ai donné aux » autres, je n'en dirais pas autant de celui que j'ai employé pour » moi. Peut-être m'en imposé-je par des illusions spécieuses, » et ne suis-je prodigue de mon tems que par le peu de cas que » j'en fais : je ne dissipe que la chose que je méprise; on me » la demande comme rien, et je l'accorde de même. Il faut bien » que cela soit ainsi, puisque je blâmerais en d'autres ce que » j'approuve en moi. »

« Fort bien, répliquera Sénèque[1], mais le tems que tu t'es » laissé ravir par une maîtresse, celui que tu as perdu à que- » reller avec ta femme, tes domestiques et tes enfans; en amu- » semens, en distractions, en débauches de table, en visites » inutiles, en courses aussi fatigantes que superflues? Tes pas- » sions, tes goûts, tes fantaisies, tes folies, n'ont-elles pas mis » tes jours et tes nuits au pillage, sans que tu t'en sois aperçu? »

Les journées sont longues et les années sont courtes pour l'homme oisif : il se traîne péniblement du moment de son lever jusqu'au moment de son coucher; l'ennui prolonge sans fin cet intervalle de douze à quinze heures, dont il compte toutes les minutes : de jours d'ennui en jours d'ennui, est-il arrivé à la fin de l'année? il lui semble que le premier de janvier touche immédiatement au dernier de décembre, parce qu'il ne s'intercale dans cette durée aucune action qui la divise. Travaillons donc : le travail, entre autres avantages, a celui de raccourcir les journées et d'étendre la vie.

Le vieillard occupé, dont le travail assidu augmentera sans

[1] *De brevitate vitæ*, c. 3.

relâche la somme des connaissances, laissera toujours entre le jeune homme et lui à peu près la même différence d'instruction, et la société de celui-ci ne lui déplaira jamais. Il n'en est pas ainsi du vieillard oisif; il s'avance vers un moment où, honteux d'être devenu l'écolier d'un adolescent, il fuira un commerce où la supériorité qu'on aura prise sur lui par l'étude, et qui s'accroîtra par les progrès successifs de l'esprit humain, l'humiliera sans cesse et l'affligera. Lisons donc tant que nos yeux nous le permettront, et tâchons d'être au moins les égaux de nos enfans. Plutôt s'user que se rouiller.

Si le ciel nous exauçait, l'impatience de nos craintes, de nos espérances, de nos souhaits, de nos peines, de nos plaisirs, abrégerait notre vie des deux tiers. Être bizarre, tu crains la fin de ta vie, et en une infinité de circonstances tu hâtes la célérité du tems! Il ne tient pas à toi qu'entre l'instant où tu es et l'instant où tu voudrais être, les jours, les mois, les années intermédiaires ne soient anéanties : la chose que tu attends n'est rien peut-être ou presque rien, et celle que tu sacrifierais volontiers, est tout.

Sénèque prétend qu'Aristote intenta à la nature un procès indigne d'un sage, sur la longue vie qu'elle accorde à quelques animaux, tandis qu'elle a marqué un terme si court à l'homme, né pour tant de choses importantes [1]..... « Nous n'avons pas trop peu de tems, lui dit-il; nous en perdons trop... » Certes, ce n'était pas un reproche à faire au plus laborieux des philosophes..... « La vie serait assez longue et suffirait pour » achever les plus grandes entreprises, si nous savions en bien » placer les instans..... » Cela est-il vrai? La course de notre vie est déjà fort avancée lorsque nous sommes capables de quelque chose de grand; et celui qui avait formé le projet de te faire admirer des Français, en leur mettant ton ouvrage sous les yeux (Lagrange), est mort avant que d'avoir mis la dernière main à son travail..... Sénèque, adressez ces reproches aux hommes dissipés; mais épargnez-les à Aristote, épargnez-les à vous-même et à tant d'hommes célèbres que la mort a surpris au mi-

[1] *De brev. vit.*, c. 1

lieu des plus belles entreprises. Je suis bien loin de sentir comme vous ; je regrette que vos semblables soient mortels.

Je n'aurais pas de peine à trouver dans Sénèque plus d'un endroit où il se plaint de la multiplicité des affaires et de la rapidité des heures. L'animal sait, en naissant, tout ce qu'il lui importe de savoir ; l'homme meurt, lorsque son éducation est à peine achevée.

En faisant le procès à Aristote, il le fait aussi à Hippocrate, qui a ouvert son sublime et profond ouvrage des *Aphorismes*, par ces mots : « L'art est long, la vie courte, le jugement difficile, l'expérience périlleuse, et l'occasion fugitive.... » C'est à l'imperfection actuelle de la médecine, malgré les travaux d'une multitude d'hommes de génie, ajoutés et surajoutés successivement aux travaux de ce grand homme, à justifier l'archiâtre et le philosophe. N'en déplaise à Sénèque, quand on a comparé la difficulté de perfectionner une science, de se perfectionner soi-même, avec la rapidité de nos jours, on trouve que l'homme qui a ménagé ses momens avec la plus grande économie, qui ne s'en est laissé dérober aucun par facilité, qui n'a rien perdu de ses heures par maladie, par paresse ou par négligence, et qui est parvenu à l'extrême vieillesse, a cependant bien peu vécu.

. . . .

Je ne suis pas plus satisfait de ce que Sénèque vient d'adresser à Aristote, que de ce qu'il va dire à Paulinus. (c. 18, 19.)

« Songez à combien d'inquiétudes vous expose un emploi aussi
» considérable. Vous avez affaire à des estomacs qui n'entendent
» ni l'équité ni la raison. Vous êtes médecin d'un de ces maux
» urgens qu'il faut traiter et guérir à l'insu des malades. Croyez-
» vous qu'il y ait aucune comparaison entre passer son tems à
» surveiller aux fraudes des marchands de bled, à la négligence
» des magasiniers, à prévenir l'humidité qui échauffe et gâte les
» grains, à empêcher que la mesure et le poids n'en soient al-
» térés ; et vous occuper de connaissances importantes et su-
» blimes sur la nature des dieux, le sort qui les attend, leur
» félicité ?.... » Je réponds à Sénèque : C'est la première qui

me paraît la plus urgente et la plus utile..... « On ne manquera » pas, dites-vous (c. 18), de gens d'une exacte probité, d'une » stricte attention.... » vous vous trompez : on trouvera cent contemplateurs oisifs, pour un homme actif; cent rêveurs sur les choses d'une autre vie, pour un bon administrateur des choses de celle-ci. Votre doctrine tend à enorgueillir des paresseux et des fous, et à dégoûter les bons princes et les bons magistrats, les citoyens vraiment essentiels. Si Paulinus fait mal son devoir, Rome sera dans le tumulte; si Paulinus fait mal son devoir, Sénèque manquera de pain. Le philosophe est un homme estimable partout, mais plus au sénat que dans l'école, plus dans un tribunal que dans une bibliothèque; et la sorte d'occupations que vous dédaignez est vraiment celle que j'honore; elle demande de la fatigue, de l'exactitude, de la probité; et les hommes doués de ces qualités vous semblent communs! Lorsque j'en verrai qui se seront fait un nom dans la magistrature (c. 19), au barreau, loin de croire qu'ils ont perdu leurs années pour qu'une seule portât leur nom, je serai désolé de n'en pouvoir compter une aussi belle dans toute ma vie. Combien il faut en avoir consumé dans l'étude, et dérobé aux plaisirs, aux passions, au sommeil, pour obtenir celle-là? Sage est celui qui médite sans cesse sur l'épitaphe que le doigt de la justice gravera sur son tombeau.

Turannius (c. 20) a abdiqué les places où il servait utilement sa patrie, et s'est condamné au repos quand il avait encore des forces d'esprit et de corps; et lorsque Turannius se fait mettre au lit, et pleurer par ses gens, comme s'il eut été mort, Turannius vous paraît ridicule? Dans un autre moment vous eussiez dit que Turannius avait fait de lui-même, et de ceux qui quittent la république trop tôt, une satire forte, une critique sublime [1].

« Si quelques-uns de vos concitoyens ont été souvent revêtus » des charges de la magistrature, ne leur portez point envie. — » J'y consens, il ne faut porter envie à personne. — S'ils se sont

[1] Capitis hujus interpretatio quam *Diderot* adhibuit vero sensui prorsus adversa nobis videtur, nihilque acuti præbet.

» rendus célèbres au barreau, ne leur portez point envie. — Et
» pourquoi? — C'est qu'ils ont acquis cette célébrité aux dépens
» de leur vie. — Et quelle est la célébrité qu'on acquiert autre-
» ment? — C'est qu'ils ont perdu leurs années. — Quoi! les
» années consacrées au bien général sont des années perdues!
» — Les hommes obtiennent plus facilement de la loi que d'eux-
» mêmes la fin de leurs travaux (c. 20). — Je les en loue. —
» Personne ne pense à la mort. » — Il est bien de penser à la
mort, mais afin de se hâter de rendre sa vie utile.

C'est un défaut si général que de se laisser emporter au-delà des limites de la vérité, par l'intérêt de la cause qu'on défend, qu'il faut le pardonner quelquefois à Sénèque.

« Apprendre à vivre, c'est apprendre à mourir.... » Et apprendre à mourir, c'est apprendre à bien vivre.

J'en vois sans nombre qui se meuvent; mais quel est celui d'entr'eux qui vit? Auguste écrase ses concitoyens, ses collègues, ses parens, ses amis; il verse des flots de sang sur la terre et sur les mers; il porte ses armes dans la Macédoine, la Sicile, l'Asie, l'Égypte, la Syrie, presque sur toutes les côtes: las d'assassiner des Romains, ses soldats massacrent des peuples étrangers. Tandis qu'il s'occupe à pacifier les Alpes, à dompter des ennemis confondus avec les sujets de l'empire, à porter ses limites au-delà du Rhin, de l'Euphrate et du Danube, on aiguise des poignards contre lui dans son palais, au capitole: les désordres de sa fille assiégent sa viellesse et rassemblent de nouveaux périls autour de son trône. Appelez-vous cela vivre? Ambitionnez-vous cette destinée?

« L'homme arrive au bord de sa fosse, comme le distrait à
» l'entrée de sa maison. »

« Cet autre, c'est un fainéant que les bras de ses esclaves ont
» tiré du bain, déposé sur un siége, et qui leur demande s'il est
» assis..... » Cela? C'est un homme vivant? C'est un homme mort qui parle!

Il ne faut pas lire les ouvrages de Sénèque comme de simples leçons de philosophie, comme les conseils de la sagesse; mais comme les saintes exhortations d'un ministre des dieux, plus occupé de consterner le vicieux que d'éclairer l'ignorant. Partout

où il parle de la vertu, de ses prérogatives, de la frivolité des grandeurs de la terre, c'est avec un enthousiasme qu'on partage quand on a quelque sentiment du vrai, du bon, de l'honnête et du beau; c'est d'un ton solennel qui en impose, quand on n'est pas un déterminé scélérat.

Le stoïcisme a dénaturé tous les mots; et celui qui n'en connaîtrait que les acceptions communes entendrait mal la doctrine de cette école, et la plupart de ses assertions lui paraîtraient absurdes ou paradoxales.

Je n'ai pas lu le chapitre III sans rougir: c'est mon histoire. Heureux celui qui n'en sortira point convaincu qu'il n'a vécu qu'une très-petite partie de sa vie.

Ce Traité est très-beau; j'en recommande la lecture à tous les hommes, mais surtout à ceux qui tendent à la perfection dans les beaux arts. Ils y apprendront combien ils ont peu travaillé, et que c'est aussi souvent à la perte du tems qu'au manque de talent, qu'il faut attribuer la médiocrité des productions en tout genre.

FINIS LIBRI DE BREVITATE VITÆ.

L. ANNÆI SENECÆ

DE

VITA BEATA

AD GALLIONEM FRATREM

LIBER UNUS.

ARGUMENTUM.

Senex hunc libellum scripsit Seneca, et velut defensionem præscripsit contra calumniatores, qui Opes ei et vitam objectabant (Cf. et Ep. 84. Convicia inimicorum in eum cognosces e Tacit. Annal. XIII, 43; XIV, 65; XV, 56 et 60 sq. Sueton. Ner. 34, etc.). Beatam vitam monstrat in virtute esse: sed hanc externa non spernere, si accedant. Sublime scriptum est, pulcherrimum in partibus, et quod monita sensusque aureos habet. Partes ejus duæ sunt: Quid sit beata vita? et Quomodo eo perveniatur. De priore, negat in Opinione aut More quærendam: per trita si itur, longius ab ea abitur. Ratio sola audienda est; ea dicit: Beatam vitam esse convenientem naturæ suæ: id est, positam in Virtute. Non in Voluptate, cum Epicuro? minime; et diffuse hunc et asseclas refellit: usque eo, ut nec jungi cum virtute voluptatem velit, et totum hoc nomen repudiet. Hæc ad cap. XVI. Inde pars altera sequitur. Ad perveniendum igitur sola virtus amplectenda est, cætera spernenda? Negat; admitti quidem externa posse, sed non ut finem. Immo iis, qui in via adhuc sunt, et proficientium numero, opus esse aliqua indulgentia Fortunæ. Hic privatam suam causam calide jam et robuste agit, et objicientem inducit: Cur tu de Virtute sic locutus alia etiam habes? cur servos, nummos, villas, suppellectilem? Varie respondet: ac primo Sapientem se non esse, sed conari esse. Deinde aliis summatibus viris, Platoni, Zenoni, Aristoteli jam olim objecta occurrunt. At quin omnes isti non quomodo viverent, sed vivendum esset, docebant. Ardua res, Virtus. Suspiciendi etiam qui conantur ascendere, etsi decidunt interim, aut hærent. Tum de Opibus ex professo agitur: an habendæ Sapienti? a cap. XXI. Et asserit, haberi, etsi non amari: quæsitas tamen honeste, et benigne emittendas, aut emissas. Insurgit deinde in istos conviciatores, et mucronem styli, Socrate inducto, stringit: sed finis deficit. (Vid. fin. hujus argum.)

Hoc fere argumentum hujus libri est a Lipsio profectum: cujus viri, dum in vivis esset, doctissimi et sagacissimi, observantiæ meæ hoc tribuendum duxi, ut, sicubi hoc per lectores fieri posset, repeterem, quibus de Seneca meritus sit.

Res, quæ hoc libro tractantur, jam inde ab eo tempore quo Philosophia e cælo ad terram et vitam humanam devocata a Socrate, in urbibus collocata et in domos etiam introducta sit, omnium sapientum scholas occupaverunt. Plato quidem et Aristoteles multis locis de vita beata, s. de summo bono, quod vocant, egregie commentati sunt. Secutus eos est Theophrastus, qui singularem de vita beata, περὶ εὐδαιμονίας ά. librum scripsit, cele-

berrimum in antiquitate, nunc deperditum, cujus Cicero non semel mentionem fecit. Cf. Tuscc. Disputatt. V, 9. De Finib. B. et M. V, 5. ubi testatur, se in plerisque Theophrastum sequi, nisi quod virtuti plus quam ille, fortunæ minus tribuit. Fabric. Bibl. Gr. vol. III, pag. 449. Harl. Digladiati posthac sunt acerrime de hac re Stoici cum Epicureis, ut et Cicero Tuscc. Disp. V. al. et noster docent. Cf. Catalogg. Stoicorum et Epicureorum ap. Fabric. T. III. Harl., ubi libri eorum nunc deperditi περὶ τῶν ἀρετῶν, περὶ ἡδονῆς laudantur. Romani quoque philosophi huic disputationi gravissimæ operam suam addixerunt: in quibus Cicero l. l. et noster primo loco nominandi, et eo magis æstimandi sunt, quum ii, quos secuti sunt, scriptores excellentissimi, in deperditis fere habeatur.

(Hinc libro de Beata vitâ in prioribus edd. appositum et adjectum fuerat fragmentum *De otio sapientis*, ut supra monuimus in illius libri argumento. Cur illud opus ab hoc disjungendum consuerimus, in eodem loco exposuimus, qui conferendus erit. ED.)

L. ANNÆI SENECÆ

DE

VITA BEATA

AD GALLIONEM FRATREM

LIBER UNUS.

I. Vivere, Gallio frater [1], omnes beate volunt: sed ad pervidendum, quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeoque non est facile [2] consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est [3]: quæ ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas majoris intervalli causa fit. Propo-

I. Arg. Vita beata ab omnibus quidem appetitur; sed quid sit, et quomodo ad eam perveniri possit, nescitur.

1. *Gallio frater.* Eum nempe alloquitur, quem de Ira, lib. I, cap. 1. init. alloquebatur, dicens: Novate frater. At mutatum nomen per adoptionem fuerat, et pro M. Annæo Novato, jam L. Jun. Gallio Annæanus ille nuncupabatur. Unde conjecturæ ansa, quam quidem multa insuper approbant, compositum id opus de Vit. Beat. post libros III de Ira.

2. *Adeoque non est facile*..... etc. Aberratio a recto tramite ad beatam vitam in eo distat a quacumque alia aberratione, quod maximæ nobis est noxæ, quum ceteræ omnes aberrationes tandem eo perducant, quo cursum direxeris, etsi non sine virium et temporis dispendio. Quod secus est in itinere ad beatam vitam.

3. *Via lapsus est.* H. e. in deli-

nendum est itaque primum, quid sit, quod appetamus: tunc circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus: intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum quotidie profligetur [1], quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis im-
2 pellit. Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores, brevis, etiamsi dies noctesque bonæ menti [2] laboremus. Decernatur itaque et quo tendamus, et qua; non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quæ procedimus: quoniam quidem non eadem hic, quæ in ceteris peregrinationibus, conditio est. In illis comprehensus aliquis limes [3], et interrogati incolæ non patiuntur errare [4]: at hic tritissima quæque
3 via, et celeberrima, maxime decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quam ne, pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur [5]: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum super alios

genda via erravit. Mentis lapsum hic intelligi, non pedis videre est. Cicer. de Nat. Deor. lib. I, c. 12: « Empedocles in Deorum opinione turpissime labitur. »

1. *Profligetur*. Vulgatum idque bonum, libris tuentibus et sensu. Alii, e. c. Erasm. *proficiamus* substituerunt, insolentia ejus significati, cujus sensus est: efficiatur, perficiatur. Sæpe ap. Cicer. occurrit hac vi. Cf. Ernesti Clavis Cic., Intpp. ad Gellium XV, 5, ed. Conradi.

2. *Bonæ menti*. H. e., ut bonam mentem nobis effingamus, virtutem amemus, et hanc viam noscamus quæ fert illo.

3. *Limes*. Via agrestis angustaque.

4. *Errare*. Religione inprimis Mercurii ducti. Theocrit. XXV, 5, 6.

5. *Quod ad rumorem componimur*. Intellige nobis agendi et vivendi normam rumorem esse, et omnia dicta, facta, cogitata, destinataque famæ respectu componi. Idem sentiebat noster Pascal qui dixit: « L'o-

ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, quum 4
ipse se populus premit, nemo ita cadit ut non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt : hoc in omni vita accidere videas licet; nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est. Nocet enim applicari [1] antecedentibus : et dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur : versatque [2] nos et præcipitat [3] traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabi- 5
mur, si modo separemur a cœtu : nunc vero stat contra rationem, defensor mali sui [4], populus. Itaque id evenit, quod in comitiis [5], in quibus eos factos prætores iidem qui fecere mirantur, quum se mobilis [6] favor [7] circumegit. Eadem probamus, eadem reprehendimus; hic exitus est omnis judicii, in quo secundum plures datur [8].

pinion dispose de tout; elle est la reine du monde. »

1. *Applicari antecedentibus.* Id est, eamdem viam ingredi et sequi quam qui antecedit ingressus est et sequitur; eodem passu incedere, moveri, etc. *Comitem se applicare*, vox est satis frequens, neque perceptu difficilis.

2. *Versatque.* I. sollicitat turbatque.

3. *Præcipitat.* H. e. præcipites agit, trahit, retrahitque. Sic Cicer. Acad. lib. II, 21 : « Sustinenda est potius omnis assensio, ne præcipitet. »

4. *Mali sui.* Vitii nempe, et erroris et omnium quibus mali nomen jure imponitur. Gallic. *de sa maladie.*

5. *Comitiis.* Sc. centuriatis quæ curiatis opponuntur perpetuo. Sed in centuriatis consules creabantur, prætores, ædiles et reipublicæ magistratus celsissimi; in curiatis autem curio maximus et minoris momenti quidam magistratus renuntiabantur. Sed de his alibi sæpissime tractatur et aptius.

6. *Mobilis.* Cicero pro L. Muræna c. 17, locum habet huic similem, quem rear facile Nostro ante oculos obversatum, dum scriberet. Horat. lib. I, Od. 1, vss. 7 et 8 : « Hunc si mobilium turba Quiritium Certat tergeminis tollere honoribus. »

7. *Se..... circumegit.* Se mutavit, ab hoc ad illum translatus est.

8. *Datur.* I. e. res decernuntur, sententia fertur. — *Datur.* Antiqua lectio. Erasmus primus intulit : *his datur.* Recte Gronov. observat, hanc voculam (interdum) subintelligi. *Dare* enim est unum ex istis tribus Prætoris verbis (do, dico, addico), quo copiam accusandi, actionem et judices, ideoque litem dabat. Deinde de eo dicitur, *qui sententiam fert.* Cf. Sueton. Claud. 15. Tacit. Annal. IV, 43 : « ita secundum Messenios datum.» Gronov. laudat M. Senec. Controvers. præf. 3. Plin. Ep. VII, 6.

II. Quum de beata vita agitur, non est quod mihi illud discessionum [1] more respondeas : « Hæc pars major esse videtur. » Ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant : argumentum pessimi, turba est. Quæramus, quid optimum factum sit, non quid usitatissimum : et quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Vulgum autem tam chlamydatos, quam coronatos [2] voco. Non enim colorem vestium [3], quibus prætexta corpora sunt, adspicio : oculis de homine non credo; habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera dijudicem : animi bonum animus inveniat. Hic, si unquam illi respirare et recedere in se vacaverit [4], o quam sibi ipse verum, tortus [5] a se, fatebitur, ac dicet : «Quidquid feci adhuc, infectum esse

II. Arg. De vero bono et vita beata non cum vulgo sentias, sed cum optimis.

1. *Discessionum more.* In senatu, si princeps vel auctor sententiæ, quam senatui præstitisset, in locum separatum discederet, ut ii, qui ei assentirentur, cum eo se conjungerent, contrarium sentientes in aliam partem transibant. Sic Senatus-consultum per *discessionem* fiebat : Consul enim pronunciare solebat : hæc pars major videtur. Plin. Epp. II, 11 et 12.

2. *Chlamydatos quam coronatos.* Sic Erasmi editio, prioresque edd. et omnes MSS. Lipsio (Elect. I, 13, p. 395.) placuit : *tam candidatos quam coloratos.* « Ad vulgatum, non intelligo, ait, nec pro more hoc Romano. » — *Chlamydati*, i. e. peregrini, obscuri, ne cives quidem; *coronati* clari homines sensu ipso docente. Chlamydati, peregrina veste induti, ideoque non conspicui, quibus ii, qui coronis erant ornati, e. c. triumphatores, opponuntur. Gronov. altius et contortius rem repetit, explicans de militibus cum machæris, chlamydatis, qui supra vulgum et a vulgo discreti, in Græcia erant, et de coronatis, s. στεφηφόροις vel στεφανοφόροις, amplissima in Oriente dignitate, qui supra milites erant.

3. *Colorem vestium.* Purpureæ, coccineæ, amethystinæ aut ianthinæ fuere quæ apud antiquos divitibus vestes inprimis placuere. Tunicato popello nigra vestis, aut subfusca, leucophæata, etc.

4. *Vacaverit.* Si hoc ei temporis fuerit, quo respiret, etc. *Vacat* Latinorum idem est ac Græcorum σχολὴ ἐστί.

5. *Tortus a se.* Iis temporum articulis quibus conscientiæ stimulis vexamur.

mallem : quidquid dixi quum recogito, mutis [1] invideo : quidquid optavi, inimicorum exsecrationem puto [2]; quid- 3
quid timui, dii boni, quanto melius [3] fuit, quam quod concupivi? Cum multis inimicitias gessi, et in gratiam ex odio (si modo ulla inter malos gratia est) redii : mihi ipsi nondum amicus sum. Omnem operam dedi, ut me multitudini educerem [4], et aliqua dote notabilem facerem : quid aliud quam telis me opposui, et malevolentiæ, quod morderet, ostendi? » Vides istos, qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt? omnes aut sunt hostes, aut (quod in æquo est) esse possunt. Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus est.

III. Quin potius quæro aliquid usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam [5]; ista quæ spectantur, ad quæ consistitur, quæ alter alteri stupens monstrat, foris nitent, introrsus misera sunt [6]. Quæramus aliquid non in speciem bonum, sed solidum et æquabile, et a secretiore parte formosius; hoc eruamus. Nec longe positum est; invenietur; scire tantum opus est, quo manum porrigas.

1. *Mutis invideo.* Gruteri conj. præferenda lectioni, quæ libros insedit : *in multis video*, nullo sensu. Sensus est : quum recogito omne id, quod dixi, mutorum hominum conditionem præfero.

2. *Exsecrationem puto.* Hoc mihi optatum ab inimico qui Furiis me et meum caput consecravit. *Exsecratio* diræ preces male precantis.

3. *Melius f.* E codd. prætuli lectioni : *levius f.*

4. *Me multitudini educerem.* I. e. ex vulgo, ex ignobilium numero me extraherem.

III. Arg. Declarat quid sit beata vita, potissimum secundum Stoicos.

5. *Usu..... ostendam.* Quod experientia se ut bonum mihi probaverit, et quo mecum fruar, omni jactatione et ostentatione vitata.

6. *Ista..... misera sunt.* Quandoquidem vulgus plerumque ea, quæ vere bona sunt, dijudicare nequit, ideoque ea tantummodo, quæ in speciem bona sunt, admiratur et laudibus extollit. Sentit noster cum Phocione, qui, laudante ipsum populo, interrogasse amicum dicitur: Ecquid stulti me inscio dixi? Plutarch. Phoc. Apophthegm. p. 329. Eadem de Antisthene sunt ap. Diog. L. III, 8. Con-

Nunc velut in tenebris vicina transimus [1], offensantes in
2 ipsa, quæ desideramus. Sed ne te per circuitus traham, aliorum quidem opiniones præteribo : nam et enumerare illas longum est, et coarguere [2] : nostram accipe. Nostram vero quum dico, non alligo me ad unum aliquem ex Stoicis [3] proceribus : est et mihi censendi [4] jus. Itaque aliquem sequar [5], aliquem jubebo sententiam dividere [6] : fortasse et post omnes citatus, nihil improbabo ex his quæ priores decreverint, et dicam : « Hoc amplius censeo [7]. » Interim, quod inter omnes Stoicos convenit, rerum naturæ [8] assentior ; ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari, sapientia [9] est.

sentit Cic. de finib. Bonorum et Mal. II, 15 : « judico..... non esse non turpe, quum id a multitudine laudetur. »

1. *Vicina transimus*. Felicitatem eam contemnimus quæ in promptu, et obvia quodammodo est; umbramque persequimur fugacem, quæ par vento et levitate et vanitate est. Et nostratis *Lafontaine* perlegenda fabella eximia est cui titulus : *L'homme qui court après la fortune, et l'homme qui l'attend dans son lit.*

2. *Coarguere*. Confutare.

3. *Nostram..... proceribus*. E. c. Zenoni, Chrysippo, Cleanthi, qui principes Stoicorum sunt. Lipsius laudat Senecæ Ep. 45 : « Non enim cuiquam me mancipavi, nullius notam fero; multum magnorum virorum judicio credo, aliquid et meo vindico. »

4. *Censendi*. Id aperiendi quod cogito, et quæ mea mens sit, pervulgandi. Censere Latinis est quod nobis *voter*. Censebant Romæ Senatores.

5. *Sequar*. Verbo adsentiar.

6. *Sententiam dividere*. Quum senator una sententia plura complecteretur, eaque diversa, quorum unum probaret unus, aliud rejiceret alter senator, dicere poterat : *divide*, i. de singulis seorsim refer. Vid. Senec. Ep. 21. Cic. *pro Milone*, VI, « *divisa* sententia est, postulante nescio quo. » Cf. quoque Ep. fam. I, 2.

7. *Hoc amplius censeo*. Formula senatoria cujus exemplum præbet Cic. Phil. XIII, 21, (Senec. Nat. Qu. III, 15.) Ab iis adhibebatur, qui sententiæ assentientes aliquid adderent. Hinc Sallustio Catil. 51, dicitur : addere sententiæ, vel in sententiam.

8. *Rerum naturæ*. I. e. Deo. Tiedemann II, 448.

9. *Ab illa non deerrare..... sapientia est*. Id omnibus quidem philosophis dictitatum, neque ullus negavit, neque qui negaret, audiretur. Sed quid *rerum natura* est ? Hoc opus, hic labor. Nam tunc solum finietur quid sit ab rerum natura non deflectere, ad naturæ legem et exemplum fingi. Atqui Stoicos naturæ obsequi sese dictitantes usque et usque audivisses. Epicureos vero quis nescit naturam sibi normæ legis exemplaris,

Beata est ergo vita, conveniens naturæ suæ [1]; quæ non 3
aliter contingere potest, quam si primum sana [2] mens est,
et in perpetua possessione sanitatis suæ [3]; deinde, si for-
tis [4] ac vehemens [5], tum pulcherrima [6] et patiens [7], apta
temporibus [8], corporis sui pertinentiumque ad id cu-
riosa [9], non anxie tamen : aliarum rerum quæ vitam
instruunt, diligens, sine admiratione [10] cujusquam: usura
fortunæ muneribus, non servitura. Intelligis, etiam si 4
non adjiciam, sequi perpetuam tranquillitatem [11], liber-
tatem, depulsis his, quæ aut irritant nos, aut territant.
Nam pro voluptatibus, et pro illis quæ parva ac fragilia

immo et Dei loco sibi proposuisse. De hoc confer Tiedemann II, p. 448.

1. *Beata..... suæ*. Est notissimum illud : sequere naturam, i. honeste vive. Cic. de finib. B. et M. II, 11. Inde Chrysippus : τὸ τέλος ἶναι· ἀκουλούθως τῇ φύσει ζῆν. Conf. Lipsii Manuduction. ad philos. Stoic. II, 14. Tiedemann II, p. 522 sqq.

2. *Sana*. I. e. sapiens. De Constant. Sap. XI, 1.

3. *In perpetua...... sanitatis suæ*. Summotis nempe cupiditatibus quæ insaniæ, illius quidem brevis nec longum duraturæ, insaniæ tamen causæ sunt.

4. *Fortis*. Si constantiam et in rebus adversis et in vitiorum illecebris habet.

5. *Vehemens*. Non idem quod fortis. Fortitudine aliquis resistit, reluctatur, vehementia facit. Gallic. vertimus fortis, *énergique*; vehemens, *entraînant*.

6. *Pulcherrima*. Pulchritudinem, i. e. integritatem ac probitatem, intelligit.

7. *Patiens*. Conf. de Constant. Sap. XIV, 2.

8. *Apta temporibus*. Eo sensu quod et prosperas res sine fastu et adversas irretortis oculis visat, accommodans se omni fortunæ et tempori.

9. *Corporis....... curiosa*. Ad sui amorem spectat, quo Stoici principium ethices contineri præ se ferebant. Tiedemann II, 522 sqq.

10. *Sine admiratione*. Recte Lips. laudat Horatianum illud, Epp. I, 6, 1 : « Nil admirari prope res est una.. quæ possit facere et servare beatum. » Addere debuisset Democritum ap. Stob. Serm. 3 (p. 78, Schow.), Heraclitum ap. Plutarch. de Poet. leg. c. 10, et ibid. Pythagoram. Hanc ἀθαυμασίαν secutus quoque est Zeno, stoicæ philos. auctor. Diog. Laert. VII, 123. Stobæus Serm. 1, (p. 8 Schow.) de Pythagora. Noster Ep. 45 : Beatum esse, cui omne bonum in animo est, erectum, excelsum, mirabilia calcantem. Alio sensu miratio initium philosophiæ dicitur de tirone philosopho, apud Platon. Theætet. vol. II, p. 76. Vid. Bipont. Aristotel. Physic. I, 2.

11. *Sequi perpetuam tranquillitatem*. Ep. 92 : « Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas. » Quæ descriptio, bene addit Lipsius, ab effectu est.

sunt, et in ipsis flagitiis noxia [1], ingens gaudium subit, inconcussum, et æquabile; tum pax et concordia [2] animi, et magnitudo cum mansuetudine. Omnis enim ex infirmitate feritas est [3].

IV. Potest aliter quoque definiri [4] bonum nostrum, id est, eadem sententia, non iisdem comprehendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, et aut in cornua, sinuata media parte [5], curvatur, aut recta fronte explicatur; vis illi, utcunque ordinatus est, eadem est, et voluntas pro iisdem partibus standi [6]; ita definitio summi boni alias diffundi potest et exporrigi, alias colligi, et in se cogi.
2 Idem utique erit, si dixero: Summum bonum est, animus fortuita despiciens, virtute lætus; aut, invicta vis animi, perita rerum, placida in actu, cum humanitate multa, et conversantium [7] cura. Libet et ita definire, ut beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus: honesti cultor, virtute

1. *In ipsis flagitiis noxia.* Quæ vel dum iis indulgemus, nocent, nedum delectent. Sic mæstissima hæc apud Poetam nostrum Phædra effundit:

Hélas! du crime affreux dont la honte me suit
Jamais mon triste cœur n'a recueilli le fruit.
Phèdre, acte IV, scène dern.

2. *Concordia animi.* Qui non interioris belli tumultu insanit, in partes ambas districtus, et huic modo, modo illi cupidini, libidini, furori gratificans.

3. *Omnis..... feritas est.* Nam magnus homo et bonus est, a quo feritas abhorret. De Ira I, 16, 27. Horat. Epp. I, 1, 39, 40.

IV. Arg. Descriptio latior summi boni ex adjunctis.

4. *Definiri.* Non quod gallice vocatur *définir*, sed *décrire* intelligendum est, ut ex sequentibus patet. — *Eadem sententia*, i. e. eodem sensu.

5. *Sin. med. parte.* In lunæ crescentis faciem: media parte reducta. Opponitur acies gibbera, vel flexa, quam ab Annibale ad Cannas factam tradit Livius XXII, 47.

6. *Standi.* Stare vox solennis est de militibus quum dimicandum jam est et per extensionem dicitur de partium quarumdam electione, et constantia post electionem.

7. *Conversantium.* Quia sapiens est in commune bonus, ut poeta, et ut noster de Clem. I, 3, 2: homo, sociale animal, communi bono genitus. Lipsius. Hanc definitionem prorsus Stoicam esse constat, vel ex Hor. III, Od. 29. Satak. ad Antonin. p. 271.

contentus, quem nec extollant fortuita, nec frangant: qui nullum majus bonum eo, quod sibi ipse dare potest, 3
noverit[1]; cui vera voluptas erit, voluptatum contemptio. Licet, si evagari velis, idem in aliam atque aliam faciem, salva et integra potestate [2], transferre. Quid enim prohibet nos beatam vitam dicere, liberum animum, et erectum, et interritum ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum [3]; cui unum bonum honestas, unum malum turpitudo? Cætera vilis turba [4] rerum, nec detra- 4
hens quidquam beatæ vitæ, nec adjiciens, sine auctu ac detrimento summi boni veniens ac recedens. Hunc ita fundatum necesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua, et lætitia alta atque ex alto veniens, ut quæ suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat [5]. Quidni ista penset bene cum minutis, et frivolis, et non perseverantibus corpusculi motibus? quo die infra voluptatem fuerit, et infra dolorem erit.

V. Vides autem, quam malam et noxiam servitutem serviturus sit, quem voluptates doloresque, incertissima [6] dominia, impotentissimaque, alternis possidebunt.

1. *Qui..... noverit.* Eamdem cum Stoicis sententiam amplexi sunt Romani (cf. J.-Fr. Gronov. ad Liv. V, 26 fin.), occasiones et eventa fortunæ, consulta præclara et facta sibi adsignantes.

2. *Potestate.* I. e. significatione.

3. *Quid enim prohibet....... positum?* Lipsius laudat Cic. Disputatt. Tusc. V, 14: volumus eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum; non ut parvo metu præditus sit, sed ut nullo.

4. *Cætera vilis turba.* Vilis dicitur præ iis, quæ honestæ et turpes sunt.

5. *Ut quæ.... cupiat.* I. e. quoniam virtute, quam sibi ipsa dedit, contenta est.

V. Arg. Beata vita in sana ratione et virtute, non in sola voluptate posita est.

6. *Incertissima.* I. e. domini vacillantes, sibi invicem cedentes, quibus nulla fides haberi potest, nec sibi constantes: appositio est, tam ad dolorem, quam ad voluptatem pertinens. Sic bene calorem Lipsii refutavit Gronov. τὸ *inertissima* enim locum non habet. — Vox dominium h. l. dominum significat more Græcorum, abstractum sæpe pro concreto adhibentium, e. c. σῶμα, χρῆμα, παίδευμα (alumnus. Valken. Diatribe p.

Ergo exeundum ad libertatem est [1]; hanc non alia res tribuit, quam fortunæ negligentia. Tum illud orietur inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocatæ, et sublimitas; expulsisque terroribus, ex cognitione veri gaudium grande et immotum, comitasque et diffusio animi [2]: quibus delectabitur non ut bonis, sed ut ex bono
2 suo ortis. Quoniam liberaliter agere cœpi [3], potest beatus dici, qui nec cupit, nec timet, beneficio rationis. Quoniam et saxa timore et tristitia carent, nec minus pecudes [4]; non ideo tamen quisquam felicia dixerit, quibus non est felicitatis intellectus. Eodem loco pone homines, quos in numerum pecorum et animalium redegit
3 hebes natura, et ignoratio sui. Nihil interest inter hos, et illa: quoniam illis [5] nulla ratio est, his prava et malo suo atque in perversum solers. Beatus enim nemo dici potest, extra veritatem [6] projectus; beata ergo vita est, in recto certoque judicio stabilita, et immutabilis. Tunc enim pura mens est, et soluta omnibus malis, quum non
4 tantum lacerationes, sed etiam vellicationes [7] effugerit;

241.), θρέμμα filius (Sophocl. Philoct. 243.) etc.

1. *Exeundum ad libertatem est.* E voluptatum nempe et dolorum imperio.

2. *Diffusio animi.* I. lætitia, serenitas: διάχυσις ψυχῆς.

3. *Liberaliter agere cœpi.* I. e. quoniam tam multas jam attuli definitiones, hanc aliam quoque afferam.

4. *Pecudes.* Quatenus timoris et tristitiæ sibi non consciæ sunt; ob ignorationem sui.

5. *Illis.* Pecoribus et animalibus.

6. *Veritatem.* Noli emendare: *virtutem*; veritas enim est h. l. rectum certumque judicium. — *Extra veritatem projectus.* Qui rationis recta et sincera via prætermissa, libidinibus servit unice. Veritas autem hic opponitur rationi pravæ et perversæ. Cf. Ernesti Clav. Cic. sub hac voce.

7. *Lacerationes, sed etiam vellicationes.* Lacerationes sunt corporis, vellicationes animi: cf. de Ira III, 43, 5, qui locus nostrum explicat.— Ita explicat *Ruhkopf*, cui, ut pluries assentior, hic tamen me oppositum profiteor. Ubi enim de corporeis lacerationibus sermo esse potest, quum de mente sola agatur? Porro nonne de mente sola agitur quum aliquis ait: « Pura mens est et soluta omnibus malis quum lacerationes effugerit. » Intellige igitur de variis dolorum gradibus.

statura semper ubi constitit [1], ac sedem suam, etiam irata et infestante fortuna, vindicatura [2]. Nam quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique, per omnes vias influat, animumque blandimentis suis leniat, aliaque ex aliis admoveat, quibus totos partesque nostri sollicitet : quis mortalium, cui ullum superest hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit, deserto animo, corpori operam dare [3]?

VI. « Sed et animus quoque, inquit [4], voluptates habebit suas [5]. » Habeat sane, cedatque [6] luxuriæ et voluptatum arbiter, impleat se omnibus iis, quæ oblectare sensus solent : deinde præterita respiciat, et exoletarum [7] voluptatum memor exsultet prioribus, futurisque jam immineat, ac spes ordinet suas, et dum corpus in præsenti sagina [8] jacet, cogitationes ad futura præmittat! hoc mihi videtur miserior, quoniam mala pro bonis legere, dementia est. Nec sine sanitate quisquam beatus est : nec sanus, cui obfutura pro optimis appetuntur. 2

1. *Statura....... constitit.* Constare est pedem in loco quodam ponere; *stare* vero ex hoc loco pedem non dimovere.

2. *Etiam irata.....vindicatura.* Cf. Horat. Odd. III, 29, 53. Seneca de Constant. Sapient. VIII, 3.

3. *Nam..... dare?* Hæc e Cic. de finib. B. et M. II, 34, § 114, repetita sunt.

VI. Arg. Quum vita beata judicio recto contineatur, virtus cum voluptate copulari nequit. In Epicurum hæc dicta esse, quilibet animadvertet. Qui quum in voluptate summum bonum posuisset, a Stoicis, voluptatem etiam in animo vitiosam rem putantibus, repulsus est. Cf. Cic. de finibus B. et M. lib. II, totum, inprimis inde a cap. 14, ubi jam Chrysippum idem molitum esse videmus, quod nunc noster quoque aggreditur.

4. *Inquit.* Adversarius aliquis ex Epicureis.

5. *Animus...... voluptates habebit suas.* Ex sequentibus patet his significari : vel ex corporalibus voluptatibus voluptatem mens percipiet, quum illam sive præterita meminisse, sive futura prævidere et anticipare juvabit.

6. *Cedatque.* Voluptatibus.

7. *Exoletarum.* Scil. turpium corporis voluptatum.

8. *Sagina.* Sic proprie vocantur cibi quæ edentis corpus pinguefaciunt, et aliquando cum τῷ *adeps* unum et idem sonat, quanquam id raro. Tum

Beatus est ergo judicii rectus[1] : beatus est præsentibus, qualiacunque sunt, contentus, amicusque rebus suis : beatus is, cui omnem habitum rerum suarum ratio commendat. Vident et illi, qui summum bonum voluptatem dixerunt, quam turpi illud loco posuerint. Itaque[2] negant posse voluptatem a virtute diduci, et aiunt, nec honeste
3 quemquam vivere, ut non jucunde vivat[3]; nec jucunde, ut non honeste quoque. Non video, quomodo ista diversa[4] in eamdem copulam conjiciantur[5]. Quid est, oro vos, cur separari voluptas a virtute non possit ? videlicet, quod omne boni ex virtute principium est; ex hujus radicibus etiam ea, quæ vos et amatis et expetitis, oriuntur. Sed si ista indiscreta[6] essent, non videremus quædam jucunda, sed non honesta : quædam vero honestissima, sed aspera, et per dolores exigenda.

VII. Adjice nunc, quod voluptas etiam ad vitam turpissimam venit : at virtus malam vitam non admittit; et

μεταφορικῶς satis sæpe uterque accipitur, præsertim si de styli dotibus describendis res incidat. Hic tamen metaphoræ nihil est, sed extensio, vel ut Græci aiunt καταχρῆσις, quum non de comessatione tantum Seneca loquatur, sed de quovis oblectamento quod ad corpus pertineat, inprimis de impudicitia.

1. *Judicii rectus*. I. e. recto certoque judicio stabilitus (V, 3). Hæc forma locutionis e poetis petita est, apud quos *integer vitæ* similiaque occurrunt ad Græcorum normam composita. Primum erat *recto judicio*, *recti judicii*.

2. *Negant...... quoque*. Cic. de Finibus II, 22, eadem fere dicit : « At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est), quemquam, qui honeste non vivat, jucunde posse vivere. »

3. *Ut non jucunde vivat*, hoc est : nisi jucunde vivat.

4. *Diversa*. Recte abjecit Gronov. τὸ *tam*, ante *diversa*, quippe in nullis codd. et edd., nisi in una romana, inventum.

5. *Non video quomodo ista diversa in eamdem copulam conjiciantur*. Ne verba Annæi presseris, neu putes huic nunc dici nullam esse posse virtutis et voluptatis sociationem, quod tamen ille revera credit; sed non unum quid et idem esse virtutem et voluptatem.

6. *Indiscreta*. I. e. si non discerni, separari possent.

VII. Arg. Nec cum mala vita, ad quam tamen voluptas etiam venit, conjungi potest virtus.

infelices quidam non sine voluptate, immo ob ipsam vo-
luptatem sunt : quod non eveniret, si virtuti se voluptas
immiscuisset, qua virtus sæpe caret, nunquam indiget.
Quid dissimilia, immo diversa componitis? Altum quid-
dam est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile :
voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus
statio ac domicilium fornices et popinæ sunt [1]. Virtutem 2
in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem,
pulverulentam, coloratam [2], callosas habentem manus :
voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem;
circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia; mol-
lem, enervem, mero atque unguento madentem, palli-
dam aut fucatam, et medicamentis [3] pollutam. Summum 3
bonum immortale est, nescit exire : nec satietatem ha-
bet, nec pœnitentiam; nunquam enim recta mens verti-
tur : nec sibi odio est, nec quidquam mutavit, quia sem-
per secuta est optima [4] : at voluptas tunc, quum maxime

1. *Cujus statio..... fornices..... sunt.* Nempe in quibus meretrices prostabant, et *popinæ*, ubi vina et cibaria vendebantur. Homines e plebe eas frequentabant libidinum, alea ludendi causa. Martial. V, epigr. ult. XIV, 1. Quum politia publica Romæ curæ Ædilium demandata erat, et fornices, popinæ, balnea publica, sudatoria ad eorum munera spectabant. Tacit. Annal. II, 85, ib. Lipsius.

2. *Coloratam.* Propter laborem, ideoque valetudine prospera utentem, robustam. De Constant. Sap. XIII, 2. Cæterum vox *colorata* olim placuit, ut quoddam robur semirusticum semibarbarumque indicaretur. Martial. lib. X, epigr. LXVIII, vs. 3: « Deque *coloratis* nunquam lita Mater Etruscis. » Similiter, l. VIII, epigr. LVI, vs. 8: « Thestylis et *rubras* messibus usta genas. »

3. *Medicamentis.* Lenociniis et smegmatibus s. aquis artificiose compositis, et globulis e sapone confectis ad pulchritudinem vel conservandam vel augendam. Quæque omnia nos hodie, mutuati nomen e Græcia, vocamus *cosmétiques*. Cf. Consolat. ad Helviam XVI, 4. Ovid. Medicam. Faciei 51. Juvenal. VI, 460.

4. *Mutavit, quia semper secuta est optima.* Sic edd. priscæ et unus Palat., nec Grutero nec Gronovio improbantibus. Antea : *nec quidquam mutavit optima.* I. e. quum ipsa optima sit, nihil mutavit. Gronov. tamen fuisse suspicatur: *nec quidquam mutavit a primo.* Cf. de Brevit. Vit. VIII. Vulgatæ lectioni acquiescere lubet.

delectat, exstinguitur. Nec multum loci habet; itaque cito implet : et tædio est, et post primum impetum marcet. Nec id unquam certum est, cujus in motu natura est. Ita ne potest quidem ulla ejus esse substantia, quod venit transitu celerrime, in ipso usu sui periturum. Eo enim pervenit, ubi desinat : et dum incipit, spectat ad finem.

VIII. Quid, quod tam bonis, quam malis, voluptas inest? nec minus turpes dedecus suum, quam honestos egregia delectant. Ideoque præceperunt veteres, optimam sequi vitam, non jucundissimam [1] : ut rectæ ac bonæ voluntatis non dux, sed comes voluptas sit. Natura enim duce utendum est : hanc ratio observat, hanc consulit. Idem est ergo beate vivere, et secundum naturam. Hoc quid sit, jam aperiam; si corporis dotes, et apta [2] naturæ conservabimus diligenter et impavide, tanquam in diem data et fugacia; si non subierimus eorum servitutem, nec nos aliena possederint; si corpori grata et adventitia eo nobis loco fuerint, quo sunt in castris auxilia [3], et armaturæ leves [4]. Serviant ista, non imperent : ita demum utilia sunt menti. Incorruptus vir sit externis, et insuperabilis, miratorque tantum sui : fidens animi, atque in utrumque paratus [5], artifex vitæ [6]. Fiducia ejus non sine scientia sit, scientia non sine constantia : maneant

VIII. Arg. Docet idem esse, beate vivere et secundum naturam, sola ratione dominante.

1. *Ideoque.....jucundissimam*. Cf. Gatak. ad Antonin. p. 106, 52, ubi et nostri loci memor fuit.

2. *Apta naturæ*. Quæ ad vitam humanam degendam bene comparata sunt, e. c. voluptates, externa. Opponuntur menti, ut seqq. docent.

3. *Auxilia*. Copiæ a regibus ad suppetias ferendas submissæ Romanis.

4. *Armaturæ leves*. Velites, funditores, sagittarii. Cf. Nast. *Romische Kriegsalterthümer*, p. 84 sq.

5. *In utrumque*. Ad secundas adversasque res : sive, ut Lipsius ait, mori aut vivere. Virgil., qui ob oculos videtur fuisse Nostro, Æneid. lib. II, vs. 61 : « Fidens animi, atque in utrumque paratus, Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti. »

6. *Artifex v.* Qui formare sibi vitam possit et omnem suavem reddere.

illi semel placita, nec ulla in decretis ejus litura [1] sit.
Intelligitur, etiamsi non adjecero, compositum ordinatumque fore talem virum, et in his quæ aget cum comitate, magnificum. Erit vera ratio sensibus insita, et
capiens inde principia : nec enim habet aliud unde conetur, aut unde ad verum impetum capiat, et in se revertatur [2]. Nam mundus quoque cuncta complectens, 4
rectorque universi Deus, in exteriora quidem tendit, sed
tamen in totum undique in se redit [3]. Idem nostra mens
faciat : quum secuta sensus suos, per illos se ad externa
porrexerit ; et illorum et sui potens sit, et (ut ita dicam)
devinciat summum bonum [4]. Hoc modo una efficietur vis
ac potestas, concors sibi : et ratio illa certa nascetur,
non dissidens nec hæsitans in opinionibus comprehensionibusque [5], nec in sua persuasione. Quæ quum se disposuit, et partibus suis consensit, et (ut ita dicam) concinuit, summum bonum tetigit. Nihil enim pravi, nihil 5

1. *Litura*. Nihil deleat aut mutet : secundum Periandri, unius e septem sapientibus, dictum : κράτει ἀμεταμέλητα (apud Stob. Serm. 5, p. 78. Schow.).

2. *Erit vera ratio...... revertatur*. Sensus quoque serviant rationi, τῷ ἡγεμονικῷ, cui visa (φαντασίας) suppeditent, quibus rite conceptis ad verum explorandum pergit (impetum capit) et hoc bono secum fruitur.

3. *Nam mundus..... redit*. Mundus et deus Stoicis unum idemque esse constat. Penetrare quidem, dicebant, hunc mundum s. deum omnia (in exteriora tendere) et omnibus corporibus naturam formamque dare ; sed rationalem dei partem, τὸ ἡγεμονικὸν, suam sedem habere separatam, eamque summam et igneam in mundo, ad quam revertatur. Unde Ægyptii in ἱερογλυφικοῖς Dei imaginem voluere serpentem qui caudam roderet ; et quidam philosophi graves asseveraverunt rotundæ formæ esse Deum. Cf. Tiedemann II, p. 470, 478 sq.

4. *Et illorum et sui potens sit, et..... devinciat summum bonum*. Et sibi res, non se rebus subjungere tendat. « Ἐγώ μὲν ἔχω Λαΐδα, Λαῒς δὲ οὐκ ἔχει με, aiebat sapiens Aristippus. At major pars hominum non tam luxuriæ instrumenta habet, quam ab iis habetur.

5. *Opinionibus comprehensionibusque*. Opinio est judicium ex conjectura latum ; comprehensio est ipsa rerum præsentium perceptio : quæ voces sæpissime adhibentur et discriminantur in Academicis Quæst. Ciceron., passim.

lubrici superest : nihil in quo arietet, aut labet. Omnia faciet[1] ex imperio suo, nihilque inopinatum accidet : sed quidquid aget, in bonum exibit, facile et parate, et sine tergiversatione agentis. Nam pigritia et hæsitatio pugnam et inconstantiam ostendit. Quare audacter licet profitearis, summum bonum esse animi concordiam[2]. Virtutes enim ibi esse debebunt, ubi consensus atque unitas erit : dissident vitia.

IX. « Sed tu quoque, inquit, virtutem non ob aliud » colis, quam quia aliquam ex illa speras voluptatem. » Primum, non, si voluptatem præstatura virtus est, ideo propter hanc petitur ; non enim hanc præstat [3], sed et hanc : nec huic laborat, sed labor ejus, quamvis aliud petat, hoc quoque assequetur. Sicut in arvo, quod segeti proscissum [4] est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulæ, quamvis delectet oculos, tantum operis insumtum est : aliud fuit serenti propositum, hoc supervenit : sic et voluptas non est merces, nec causa virtutis, sed accessio : nec quia delectat, placet ; sed quia placet, delectat [5]. Summum bonum in ipso judicio est, et habitu optimæ mentis : quæ quum suum

1. *Omnia, faciet* etc. Sapientem depingit, cui omnia sint subjecta : qui solus rex sit. Cic. Paradox. II, V, sq.

2. *Quare audacter.... concordiam.* Eodem spectat illud Socratis ap. Stob. I (p. 9. Schow.) : Τοῦ σοφοῦ στόματος ἀνοιχθέντος, καθάπερ ἱεροῦ, τὰ τῆς ψυχῆς καταβλέπεται ὥσπερ ἀγάλματα. Magis convenit Plato ap. Aristotel. in Stobæi florilegio Serm. 1. (p. 7. Schow.), qui διάθεσιν ψυχῆς συμφωνοῦσαν κατὰ πάντα μέρη commendat.

IX. Arg. Virtus non propter voluptatem petitur, sed propter seipsam.

3. *Non enim hanc præstat, sed et hanc.* Non virtus ideo petitur, ut præstet hanc (sc. voluptatem), solam; sed res ita se habent ut, cum aliis, *et hanc*, hanc quoque, quasi comitem, præstare soleat.

4. *Proscissum.* Aratro sectum, præparatum ad segetem.

5. *Nec quia delectat.* Non eam ob causam nobis probatur, quoniam delectationem ex ea percipimus, sed quoniam virtuti probatur, ea delectamur. Voluptas neque bonum, neque malum, sed in adiaphoris est Stoicis, et servit virtuti.

ambitum[1] implevit, et finibus se suis cinxit, consummatum est summum bonum, nec quidquam amplius desiderat. Nihil enim extra totum est : non magis quam ultra finem[2]. Itaque erras, quum interrogas, quid sit illud propter quod virtutem petam ? quæris enim aliquid
supra summum. Interrogas, quid petam ex virtute ? ip- 3
sam ; nihil enim habet melius, ipsa pretium sui[3]. An hoc parum magnum est ? Quum tibi dicam, summum bonum est infragilis animi rigor et providentia, et subtilitas, et sanitas, et libertas, et concordia, et decor : aliquid et jam nunc exigis majus, ad quod ista referantur? Quid mihi voluptatem nominas ? Hominis bonum quæro, non ventris, qui pecudibus ac belluis laxior est.

X. « Dissimulas[4], inquit, quid a me dicatur : ego enim nego quemquam posse jucunde vivere, nisi simul et honeste vivat : quod non potest mutis contingere animalibus, nec bonum suum cibo metientibus. Clare, inquam, ac palam testor, hanc vitam, quam ego jucundam

1. *Suum ambitum*. Est conjectura Lipsii haud dubie præferenda scripturæ codd. *sinum*, quæ et ap. Erasm. est, sensu et sermone impedito. Quum *suum* et *habitum* codices præberent, inde fecit Lips. *suum ambitum*, bono certe sensu. Lipsius laudat Manuduction. suam, III, 3.

2. *Nihil.... finem*. Si quis illud habeat, nihil amplius desiderari potest, quandoquidem omnes partes, quæ expeti possunt, in toto jam apparent. Jam quum virtus propter virtutem expetitur, nulla causa altera patet, quæ exploretur.

3. *Ipsa pretium sui*. Claudian. ad verb. Nostrum expressit. de Cons. Mall. Theod. Carm. XVII, 1 : « Ipsa quidem virtus pretium sibi. »

X. Arg. Pergit in discrimine, quod Epicureos et Stoicos de summo bono separat, docendo. Voluptatem Epicureorum cum virtute in eamdem copulam conjici posse, negat. Facile intelligendum est, magis contra porcos de grege Epicuri, quam contra sinceros Epicuri discipulos hic disputari. Epicurum enim et ejus doctrinam scimus hæc numquam præcepisse. Conf. *Bayle. Epicure*. Not. (N). Hæc tamen secta celebrior semper fuit, quam cæterorum. Lactant. Divin. Instit. III, 17. Sen. Ep. 79. cf. infra c. XII.

4. *Dissimulas..... contingere. Dissimulas*, h. e. te non intelligere fingis, inquit (adversarius), et pro meis verba fictilia ponis, confutaturus forsan facilius. Hæc objectio desumpta

voco, non sine adjecta virtute contingere. » At quis ignorat [1] plenissimos esse voluptatibus vestris stultissimos quosque? et nequitiam [2] abundare jucundis, animumque ipsum non tantum genera voluptatis prava, sed multa
2 suggerere? in primis insolentiam et nimiam æstimationem sui [3], tumoremque elatum supra ceteros, et amorem rerum suarum cæcum et improvidum: delicias fluentes, ex minimis ac puerilibus causis exsultationem; jam dicacitatem, et superbiam contumeliis gaudentem, desidiam, dissolutionemque segnis animi indormientis [4] sibi.
3 Hæc omnia virtus discutit, et aurem pervellit [5], et voluptates æstimat, antequam admittat: nec quas probavit, magni pendit (utique enim admittit), nec usu earum, sed temperantia læta est; temperantia autem, quum voluptates minuat, summi boni injuria [6] est. Tu voluptatem complecteris: ego compesco; tu voluptate frueris: ego utor; tu illam summum bonum putas: ego nec bonum; tu omnia voluptatis causa facis: ego nihil. Quum dico, me nihil voluptatis causa facere, de illo loquor sapiente, cui soli concedis voluptatem.

est ex epistola Epicuri ad Menœceum (apud Diogen. Laert. X, 132.).

1. *At quis ignorat*..... etc. Epicurei falsissimo judicio utentes, ideoque virtute non adjecta, quæ sine recto judicio esse nequit, jucunde quidem, sed non honeste vivunt.

2. *Nequitiam.* Turpem et inhonestam vivendi rationem.

3. *Insolentiam...... æstimationem sui.* Horat. Carm. lib. I, Od. 18, vs. 11. « Non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam....... Sæva tene cum Berecynthio Cornu *tympana*, quæ subsequitur cæcus amor sui. » Vid. infra, c. XIII, 3, 11, 6.

4. *Indormientis sibi.* Uni sibi vacantis, publica et aliena spernentis. Lipsius.

5. *Aurem pervellit.* Admonendo cogitare serio jubet. Porro *vellere*, *vellicare aurem* signum admonitionis vel e Maronis versibus intelliges, Eclog. VI, vs. 3: « Quum canerem reges et prælia, Cynthius aurem *Vellit*, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves, etc. »

6. *Temperantia... summi boni injuria est.* I. e. At contra temperantia, ut pote quæ voluptates minuat, summo bono injuriam affert, summum bonum ipsum minuit (quippe quod

XI. Non voco autem sapientem, supra quem quidquam est, nedum voluptas. Atqui ab hac occupatus quomodo resistet labori, ac periculo, egestati, et tot humanam vitam circumstrepentibus minis? quomodo conspectum mortis, quomodo doloris feret? quomodo mundi fragores [1], et tantum acerrimorum hostium, a tam molli adversario [2] victus? Quidquid voluptas suaserit, faciet. Age, non vides quam multa suasura sit? « Nihil, inquis, poterit suadere turpiter, quia virtuti adjuncta est. » Non tu vides iterum, quale sit summum bonum, cui custode opus est, ut bonum sit? Virtus autem [3] quomodo volup- 2
tatem reget, quam sequitur, quum sequi parentis sit, regere imperantis? a tergo ponitis, quod imperat. Egregium autem virtutis apud vos officium, voluptates prægustare [4]! Sed videbimus, an apud quos tam contumeliose tractata virtus est, adhuc virtus sit: quæ habere nomen suum non potest, si loco cessit; interim de quo agitur, multos ostendam voluptatibus obsessos, in quos fortuna omnia munera sua effudit, quos fatearis necesse
est malos. Aspice Nomentanum [5] et Apicium, terrarum 3
ac maris (ut isti vocant) bona conquirentes, et super

voluptatibus constet). Hæc verba Epicureo alicui tribuuntur.

XI. Arg. Continuatio.

1. *Quomodo mundi fragores?* Tonitrua, terræ motus, etc.

2. *Adversario.* Voluptate.

3. *Virtus autem* etc. Simili argumentatione usus est noster in refutando Aristotelis dogmate de Ira. Vid. de Ira I, 9.

4. *Voluptates prægustare!* Lipsius bene laudat Cleanthis imaginem ap. Cic. de finib. II, 21. § 69. Cleanthes ....jubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem..... in solio sedentem: præsto esse virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent..... nisi ut voluptati ministrarent, et eam tantum ad aurem admonerent, ut caveret, ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem virtutes sic natæ sumus, ut tibi serviremus: aliud negotii nihil habemus.

5. *Nomentanum.* Gulonem coævum Apicii. Conf. ad Consolat. ad Helviam Matrem, 10, 2. Horat. lib. I, Sat. 8, 11.

mensam recognoscentes omnium gentium [1] animalia. Vide hos eosdem e suggestu rosæ [2], exspectantes popinam suam; aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes [3]. Mollibus lenibusque fomentis [4] totum lacessitur [5] eorum corpus : et ne nares interim cessent [6], odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur [7]. Hos esse in voluptatibus dices : nec tamen illis bene erit, quia non bono gaudent.

XII. « Male, inquit, illis erit : quia multa interveniunt, quæ perturbant animum, et opiniones inter se

1. *Et super mensam.....animalia.* Vid. Consol. ad Helv. IX, 9 sqq.

2. *Suggestu rosæ.* Cui nempe incumbebant. Est J. F. Gronovii conjectura, quam cæteris hariolationibus præferendam duxi. ut haud improbabilem, doctam et elegantem, quamquam locum nondum persanatum puto. Codd. præbent : eosdem *esuccessores e.*; alii : *e. esuros e.*; alii : *esuccensuros e.*; alii : *e successuros e. s. esu tessuros, e sui censuros. Lipsius* hinc fecerat : *esu censores spectantes. Gronovius* egregie docuit, Veteres in rosa cubuisse, locis allatis pluribus, e. c. Cic. V. in Verrem, II. Fin. II, 20. Senec. ep. 38. II, de Ira 25, 3. Casaubon. ad Athen. IV, 2. Exemplis tamen non adstruxit, suggestum rosæ esse torum, pulvillis rosa fartis, stratum. Quo factum est, ut *Trillerus* hanc Gronovii emendationem improbaret (Obss. critt. p. 220 sqq.), alia proposita : *V. h. e. e cocceis* vel *coccinis toris e.*, ubi docet, Salmasio duce (ad Æl. Lamprid. Alexandr. Sever. c. 42. p. 987. Exercitt. Plin. p. 194. etc.) cocceum, coccinum, et coccineum promiscue dici solere; deinde epulones in toris coccinis s. conchyliatis discubuisse (Intpp. ad Petron. 38. Burm.) tandem *c* et *s* in antiquis libris sæpe confundi (Passerat. de litterarum mutatione, p. 33, 142.). Equidem Gronovii judicium sequor, donec meliora codd. me docuerint.

3. *Aures vocum....... delectantes.* Symphonias, saltationes et mimos ad mensas adhibuisse veteres, satis constat. Mos Græcis et Romanis communis fuit. Cf. III, de Ira 35, 2. Petron. 35, 36. Xenophon. Sympos. c. 2. Vid. et Cf. Martial. plurib. locum lib. III, epigr. XCIII, ubi fastus et luxuriam Malchionis describit graphice. Modestiores tamen et doctiores vel confabulati sunt, vel servis, qui inter cœnandum dominis prælegerent, anagnostis (acroamatibus), usi sunt. Corn. Nepos in vit. Attici 13, 14. Sueton. Aug. 78.

4. *Fomentis.* Pulvillis.

5. *Lacessitur.* Movetur, titillatur. De hoc verbo cf. Heyne ad Virgil. Æn. X, 9.

6. *Cessent.* A voluptate.

7. *Parentatur.* Videntur enim sepulchrales epulæ, quia velut mortui efferuntur. Ep. 12. fin. 122. init.

XII. Arg. Non sunt veri Epicurei, qui voluptatem solam sequuntur.

contrariæ mentem inquietabunt. » Quod ita esse concedo; sed nihilominus illi ipsi stulti, et inæquales [1] et sub ictu pœnitentiæ positi, magnas percipiunt voluptates : ut fatendum sit, tam longe tum illos ab omni molestia abesse, quam a bona mente [2] : et (quod plerisque contingit) hilarem insaniam insanire, ac per risum furere [3]. At contra, 2
sapientium remissæ voluptates et modestæ, ac pæne languidæ sunt, compressæque, et vix notabiles : ut quæ neque arcessitæ veniant, nec quamvis per se accesserint, in honore sint, neque ullo gaudio percipientium exceptæ. Miscent enim illas, et interponunt vitæ, ut ludum jocumque inter seria. Desinant [4] ergo inconvenientia [5] jungere, et virtuti voluptatem implicare, per quod [6] vitium pessimis quibusque adulantur. Ille effusus in voluptates, 3
reptabundus [7] semper atque ebrius, quia scit se cum voluptate vivere, credit et cum virtute : audit enim voluptatem virtute separari non posse : deinde vitiis suis sapientiam inscribit, et abscondenda profitetur. Ita non ab Epicuro impulsi luxuriantur, sed vitiis dediti luxuriam suam in philosophiæ sinu abscondunt, et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem. Nec æsti- 4

1. *Inæquales.* Non similes, non æquales sibi, quippe qui mox id culpaturi sunt quod nuper probavere, et illius rei pœnitentiam acturi quæ tantopere placuit.

2. *Bona mente.* Virtute.

3. *Hilarem insaniam..... furere.* Hoc enim voluptas erat apud veteres, insanire, furere. Anacreon supra laudatus : Θέλω, θέλω μανῆναι. Horat. centies : « Insanire juvat! quid Berecynthia cessat fistula cum lyra?.... Audiat Dementem strepitum Lycus Et vicina. » Carmin. lib. III, Od. 19, vs. 18.

4. *Desinant ergo.* Illi voluptarii homines, qui Epicuri præcepta exercere se præ se ferunt.

5. *Inconvenientia.* H. e. res dissociabiles et quæ convenire, coalescere, non possunt. Gallic. *incompatibles.*

6. *Per quod.* I. e. per quam societatem.

7. *Reptabundus.* Pinciani conjectura est, a Gronovio recte probata. Codd. omnes : *raptabundus*, nullo sensu. Gronovius tamen cum Rubenio conjecit : *lapsabundus.* sed vulgata bene habet. *Reptare* aptum vocabulum est, Gronov. docente, de iis, qui, luxu et libidine soluti, morbum incessu fatentur : vix incedunt, reptant verius.

matur voluptas illa Epicuri (ita enim mehercules sentio), quum sobria et sicca sit : sed ad nomen ipsum advolant, quærentes libidinibus suis patrocinium aliquod ac velamentum. Itaque quod unum habebant in malis bonum, perdunt, peccandi verecundiam. Laudant enim ea quibus erubescebant, et vitio gloriantur : ideoque ne resurgere quidem adolescentiæ licet, quum honestus turpi desidiæ titulus accessit.

XIII. Hoc est, cur ista voluptatis laudatio perniciosa sit, quia honesta præcepta intra latent [1] : quod corrumpit, apparet. In ea quidem ipse sententia sum (invitis hoc nostris popularibus [2] dicam), sancta Epicurum et recta præcipere, et, si propius accesseris, tristia : voluptas
2 enim illa ad parvum et exile revocatur : et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturæ [3] ; parum est autem luxuriæ, quod naturæ satis est. Quid ergo est ? ille quisquis desidiosum otium, et gulæ ac libidinis vices [4] felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit auctorem [5] : et dum illo venit, blando [6] nomine inductus, sequitur voluptatem, non quam audit [7], sed quam attulit : et vitia sua quum cœpit putare similia præ-

XIII. Arg. Epicurus contra et sancta et recta præcepit. Senecam videmus h. l., Ep. 33., et alias Epicuro favere, et a conviciis, quibus lacessitus est a Stoicis, Cicerone al., eum defendere. Magno successu hoc Petr. *Gassendi* primum in recentioribus fecisse constat, in libro de vita et moribus Epicuri. Vide P. *Bayle*, et *Tiedemann* II, p. 366 sqq.

1. *Intra latent.* Oppositum est; apparet. Latet eos vera voluptatis potestas abstrusior, vulgari significatione captos et contentos.

2. *Popularibus.* I. e. Stoicis. Qui enim ejusdem sunt populi, factionis, sectæ, ii populares vocantur (Sallust. Catil. 22. 24.) i. e. socii.

3. *Jubet....... naturæ.* Et Epicurus et ejus coævus Zeno eamdem legem, sequere naturam, dixere. Ep. 4 fin.

4. *Gulæ ac libidinis vices.* Dum nempe post mensam epulasque libidinatur, atque ubi libidinari jam minus placet, instaurari de novo epulas jubet.

5. *Bonum..... auctorem.* Præ se ferendo Epicurum.

6. *Blando nomine.* Voluptatis.

7. *Audit.* Sensu Epicuri.

ceptis, indulget illis; non timide, nec obscure: luxuriatur etiam inoperto capite[1]. Itaque non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse: sed illud dico, male audit, infamis est: et immerito. Hoc scire quis potest, nisi interius admissus? frons ipsa dat 3
locum fabulæ, et ad malam spem invitat[2]. Hoc tale est, quale vir fortis stolam indutus[3]. Constante tibi pudicitia veritas[4] salva est: nulli corpus tuum patientiæ[5] vacat, sed in manu tympanum[6] est. Titulus[7] itaque honestus eligatur, et inscriptio ipsa excitans animum ad ea repellenda, quæ statim enervant, quum[8] venerint, vitia. 4
Quisquis ad virtutem accessit, dedit generosæ indolis spem; qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans a viro, perventurus in turpia: nisi aliquis distinxerit illi voluptates, ut sciat, quæ ex iis intra na-

1. *Inoperto capite.* Nam qui pudebant, caput fere operiebant.

2. *Frons ipsa.....invitat.* Quoniam voluptas Epicuri summum bonum est.

3. *Stolam indutus.* I. muliebriter ind. Stola matronarum vestis fuit (Horat. I, Sat. 2, 29.), ad talos demissa et instita, i. lembo lato subsuta, qua meretrices et libertinas abstinere oportuit. De Hercule Omphalæ serviente, qui tamen vir fortis mansit, cogitasse videri potest.

4. *Veritas.* I. e. rectum judicium, ideoque firma atque sincera vis tibi, ut viro integro constat. Omnium MSS. scriptura est. Hinc Lips. fecerat: *v. s. esto.* Gronov. emendat *virilitas s. est:* ingeniose propter quæ sequuntur.

5. *Patientiæ.* Nequitiæ, libidini. Cf. de Provid. 3, 11. Recte præfert Lipsius: *patientiæ τῷ impudicitiæ.* Patientes enim sunt pathici.

6. *Tympanum.* Inprimis erat insigne Gallorum, sacerdotum Cybeles, mollitia et infami libidine illustrium (Virg. Æn. IX, 619.). Ergo sensus est: mollia tractas et effeminata. Huc spectat Arcesilai dictum, ideo plerosque ad Epicuri sectam, nullum vero Epicureum ad cæteras se conferre, quia ex viris quidem Galli fiunt, ex Gallis viri nunquam. Diog. Laert. IV, 43.

7. *Titulus.* Dicit virtutem.

8. *Ad ea repellenda q. st. e., q. v. v.* Quum tria priora vocabula exsulant quinque Palat. codd., et posteriora etiam variant, unum Palat. tert. secutus Gronov. duabus litteris mutatis, effinxit: *et inscriptio ipsa excitans animum, quæ statim enervet, quum venerint, vitia.* In cod. erat: *enervant. Inscriptio*, s. *titulus* est virtus. At vulgata bonum et aptum sensum promit. Viri docti, qui hic interpolationem agnoscunt, plurium testimonio codicum freti, non meminisse videntur, unum male descriptum

turale desiderium sistant, quæ in præceps ferantur, infinitæque sint, et quo magis implentur, eo magis inexplebiles. Agedum, virtus antecedat: tutum erit omne vestigium. Voluptas nocet nimia: in virtute non est verendum, ne quid nimium sit; quia in ipsa est [1] modus. Non est bonum, quod magnitudine laborat sua [2].

XIV. Rationabilem porro sortiris naturam: quæ melius res, quam ratio proponitur? et si placet illa junctura, si hoc placet ad beatam vitam ire comitatu; virtus antecedat, comitetur voluptas, et circa corpus, ut umbra, versetur. Virtutem quidem, excellentissimam [3] omnium, voluptati tradere ancillam [4], nihil magnum animo capientis est. Prima virtus sit, hæc ferat signa: habebimus nihilominus voluptatem, sed domini ejus et temperatores
2 erimus; aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi qui voluptati tradidere principia [5], utroque caruere; virtutem enim amittunt; ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet: cujus aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa: miseriores, si obruuntur! sicut deprehensi mari Syrtico [6], modo in

codicem eumdemque fontem eorum quos contulerint, interpolationis ipsis fortasse suspicionem suppeditasse.

1. *In virtute... modus.* Vides hic justitiam et temperantiam (σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν) scholæ socraticæ innui.

2. *Non est..... sua.* De nimio virtutis rigore, qui humanis viribus major est, intelligo. Locutio est Liviana, bene Lipsio monente, præfat. Hist. rom.

XIV. Arg. Virtuti et rationi imperantibus voluptas et sensus obedire debent.

3. *Excellentissimam.* Antiqua lectio a codd. et priscis edd. probata et a Gronov. recte reducta, usu loquendi adstructo. Antea Mur. e conj. dederat; *excelsissima*: quod non intelligo.

4. *Voluptati tradere ancillam.* Cf. ad XI, 2, locum e Cic. laudatum.

5. *Principia.* Manet in metaphora a militia petita: antea dixerat: *ferat signa*, i. prior incedat. *Principia* fuit præcipua castrorum pars et prior (Liv. VII, 12), ubi imperatoris tribunal, deorum aræ, imperatorum imagines et signa. Cf. Adam, *Antiquités romaines*, *et Dictionnaire de l'Antiquité, de M. Bouillet*, vocab. *Camp*.

6. *Mari Syrtico.* Summa Gronovii ἀκρίβεια τὸ *in* ante *mari* Codd. et priscarum edd. jussu ejecit, quamquam et præpositio alibi invenitur.—

sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur. Evenit autem hoc nimia intemperantia, et amore cæco 3
rei; nam mala pro bonis petenti, periculosum est assequi. Ut feras cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominos : ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere, captæque cepere. Quæ quo plures majoresque sunt, eo ille minor ac plurium servus est, quem felicem vulgus appellat [1]. Permanere libet in hac 4
etiamnunc hujus rei imagine; quemadmodum qui bestiarum cubilia indagat, et *laqueo captare feras* [2] magno æstimat, et *magnos canibus circumdare saltus*, ut illarum vestigia premat, potiora deserit, multisque officiis renuntiat : ita qui sectatur voluptatem, omnia postponit, et primam libertatem negligit, ac pro ventre [3] dependit; nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.

XV. Quid tamen, inquit, prohibet in unum virtutem voluptatemque confundi [4], et effici summum bonum, ut idem et honestum et jucundum sit? Quia pars honesti non potest esse, nisi honestum : nec summum bonum habebit sinceritatem suam, si aliquid in se viderit dissimile meliori. Nec gaudium [5] quidem quod ex virtute oritur,

Sunt circa Africam extremam duo sinus (Syrtis major et minor, vicinæ Ægypto, unde epitheton ap. poetas et ad Ammonem transfertur, et ad accolas) : ut fors tulit altæ, ait Sallust. Jugurth. 78; alia in tempestate vadosæ. Nunc vocantur *Golfes de Sidra et de Gabes*.

1. *Quæ quo plures..... vulgus appellat*. Quo voluptatum major est numerus, eo plura vincula sunt quæ illum tenent quem nos felicem appellare suevimus.

2. *Laqueo captare feras*, et *magnos...... saltus*. Hi sunt e Virgilii Geor. I, vss 139, 140, desumti versus.

3. *Pro ventre*. Ut Nomentanus et Apicius, quos antea memoravit.

XV. ARG. Repetit, virtutem voluptatemque in unum cogi non posse : quippe sibi contrarias.

4. *Confundi*. I. e. conjungi, bono sensu. v. Ernesti Clav. Cic.

5. *Gaudium, lætitia, tranquillitas*. A Stoicis distinguuntur : ac primum virtus sine iis esse potest, quæ sine virtute in sapiente cogitari non possunt : deinde *gaudium* tan-

quamvis bonum sit, absoluti tamen boni pars est : non
magis quam lætitia et tranquillitas, quamvis ex pulcher-
2 rimis causis nascantur. Sunt enim ista bona, sed conse-
quentia summum bonum, non consummantia [1]. Qui vero
voluptatis virtutisque societatem facit, et ne ex æquo
quidem, fragilitate alterius boni, quidquid in altero vi-
goris est, hebetat, libertatemque illam ita demum, si
nihil se pretiosius novit, invictam [2], sub jugum mittit.
Nam (quæ maxima servitus est) incipit illi opus esse
fortuna; sequitur vita anxia, suspiciosa, trepida, ca-
3 suum pavens, temporum suspensa [3] momenta. Non das
virtuti fundamentum grave, immobile, sed jubes illam
in loco volubili stare. Quid autem tam volubile est,
quam fortuitorum exspectatio, et corporis, rerumque
corpus afficientium varietas? Quomodo hic potest Deo
parere, et quidquid evenit, bono animo excipere, nec
de fato queri, casuum suorum benignus interpres, si ad
voluptatum dolorumque punctiunculas concitatur? Sed
nec patriæ quidem bonus tutor, aut vindex est, nec ami-
4 corum propugnator [4], si ad voluptates vergit. Illo ergo
summum bonum escendat, unde nulla vi detrahatur :
quo neque dolori, neque spei, neque timori sit aditus,

tum sapientis est (ἡ χαρὰ), *lætitia*, sine ratione animi elatio : *tranquillitas*, gaudio subjecta est. Cf. ad II, de Ira VI, ibiq. laud.

1. *Sed consequentia summum bonum, non consummantia.* Id est : Hæc post summum bonum, post virtutem nascuntur, sed summum bonum, virtutem, non gignunt. *Consummare* enim h. l. est totum ponere, efficere.

2. *Libertatemque......... invictam.* Quatenus præit virtus, comitante, sed serviente voluptate, quæ gaudio, libertatique opponitur apud Stoicos.

3 *Temporum suspensa momenta.* Codd. et Erasmi lectio; τὸ *que* post *temp.* a Mureto erat : Gronov. conjecerat. — *Momento*, ut allusio ad momentum libræ esset apertior. Alii codd. ap. Grut. addunt : *sunt*, quo, Erasmo præeunte carebimus, intellecto : *sequuntur*.

4. *Nec patriæ... amicorum propugnator.* Patet scribenti Nostro succurrisse id ex Ode ad Lollium : « Non ille pro caris amicis Aut patria timidus perire. » Hor. Carm. lib. IV, od. 9, vs. 51.

nec ulli rei quæ deterius summi boni jus faciat. Escendere autem illo sola virtus potest; illius gradu clivus iste frangendus est [1] : illa fortiter stabit, et quidquid evenerit, feret : non patiens tantum, sed etiam [2] volens : omnemque temporum difficultatem sciet legem esse na-
turæ. Et ut bonus miles feret vulnera, enumerabit ci- 5
catrices, et transverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadet, imperatorem [3] ; habebit in animo illud vetus præceptum : Deum sequere [4]. Quisquis autem queritur, et plorat, et gemit; imperata facere vi cogitur, et invitus rapitur ad jussa nihilominus. Quæ autem de-
mentia est, potius trahi quam sequi ? tam [5] mehercule, 7
quam, stultitia et ignorantia conditionis suæ, dolere, quod aliquid tibi incidit durius, aut mirari, aut indigne ferre ea, quæ tam bonis accidunt quam malis : morbos dico, funera, debilitates, et cetera ex transverso in vitam humanam incurrentia. Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno nisu eripiatur animo [6]; ad hoc

1. *Illius gradu clivus iste frangendus est. Illius gradu* : animoso nempe et æquali et stabili, et quod neque asperitas angulorum, neque anfractuum salebræ loco dimovent. Ergo sensus est: *clivus* hic superandus est vi. Est poetica locutio : e. c. Sil. Ital. VIII, 555. Lucan. VIII, 373.

2. *Sed etiam volens*. Cupiens difficultates et obstacula. Quidam enim sæpe respuunt, aut ea modico gaudio habent quæ plane et obvia se tradunt, et id duntaxat venantur quod asperum et rebelle, quod insuperabile est, nisi conabere.

3. *Moriens amabit eum..... imperatorem*. Nota vox gladiatorum : « Ave, Cæsar, morituri te salutant.» Aliquid pulchrius, dignumque sane quod memoriæ tradatur, nostri Annales habent; quum nempe quædam cohortes jussæ fuissent Viliam, prærapidum et præaltum flumen, vado transmittere, milites, morti jam admoti, et vix ore eminente ex aquis, conclamaverunt: « Ave, imperator. » Vide quæ narravit CL. SÉGUR, *Hist. de la grande armée*, T. I, p. 149.

4. *Habebit.... deum sequere*. Sosiades tribuit uni e septem sapientibus : ἕπου θεῷ, ap. Stobæum Floril. Serm. III. (p. 97. Schow.); Boethius autem Pythagoræ tribuit, de Consolat., Prosa 4.

5. *Tam... quam*, etc. Hoc est *tam* demens *quam* si doleas quod, etc.

6. *Magno nisu eripiatur animo*. Librorum lectio et Erasmi : præter-

sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus : Deo parere libertas est.

XVI. Ergo in virtute posita est vera felicitas. Quid hæc tibi suadebit? ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitia continget; deinde, ut sis immobilis et contra malum ex bono; ut, qua fas est, Deum effingas [1]. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? ingentia et æqua divinis. Nihil cogeris : nullo indigebis : liber eris, tutus, indemnis : nihil frustra tentabis, nihil prohibeberis. Omnia tibi ex sententia cedent : nihil adversum accidet, nihil contra opinionem ac vo-
2 luntatem. Quid ergo? virtus ad vivendum beate [2] sufficit? perfecta illa et divina quidni sufficiat? immo superfluit. Quid enim deesse potest extra desiderium omnium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit? Sed ei qui ad virtutem tendit, etiamsi multum processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit, et omne vinculum mortale [3]. Quid ergo interest? quod alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti [4] quoque :

quam quod alii *visu* habent. Lipsio tamen placuit facere : *magno nobis excipiat animo*. Sensus est; magna ἐνέργειᾳ velut occupetur ab animo, in antecessum arripiatur.

XVI. Arg. Virtus ad beate vivendum sola sufficit, quin superfluit.

1. *Deum..... effingas*. Stoico dignum! vide e. c. de Constant. Sap. VIII, 2. Academicorum tamen, et inprimis Platonis opinio fuit, qui quum *ex ideis* prototypis omnia contenderet derivari, et ad eas vellet quasi ad exemplar omnia referri, hominem jubebat moribus suis et vitæ ordinandæ exigendæque ratione Deum exprimere, Deum imitari, tendere ut Deo quam maxime similem sese efficeret.

2. *Virtus ad vivendum beate sufficit? perfecta illa et divina quidni sufficiat?* Lipsii distinctionem excepi. Antea : *virtus..... divina? Quidni*, etc.

3 *Sed.... mortale*. Hæc vix stoica sunt : fortuna quippe censebant Stoici aut manente aut recedente facile carere posse virum bonum. Vid. supra XV, 2.

4. *Quod...... quoque*. Recte monet Lipsius : *alligati* vocem mollius vin-

hic qui ad superiora[1] progressus est, et se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.

XVII. Si quis itaque ex istis qui philosophiam conlatrant, quod solent, dixerit : « Quare ergo tu[2] fortius loqueris quam vivis? Quare superiori verba[3] summittis; et pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas, et damno moveris, et lacrimas, audita conjugis aut amici morte, demittis, et respicis famam, et malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est, quam natu- 2
ralis usus desiderat? cur non ad præscriptum tuum cœnas? cur tibi nitidior supellex est[4]? cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur? cur autem domus[5] disponitur? cur arbores præter umbram nihil daturæ[6] conseruntur? quare uxor tua locupletis domus censum auribus[7] gerit? quare pædagogium[8] pretiosa veste succingitur[9]? quare

culum; *adstricti*, arctius; *districti*, multiplex vinculum designare.

1. *Ad superiora.* I. perfectam illam ac divinam virtutem pæne assecutus est.

XVII. Arg. Objectioni : si virtus sola ad vivendum beate sufficit, cur plura requiris? respondetur.

2. *Fortius.* Principia rigidiora jubes, quam sequeris.

3. *Superiori...... summittis.* Λόγων ὑπείκεις, adularis.

4. *Quare......... supellex est.* Huc spectat Suilii accusatio (ap. Tacit. Ann. XIII, 42.) in Senecam; adde XIV, 53 sqq., Dio Cass. LXI, 10, ubi omnia confirmantur, quæ et hic Seneca de se pronuntiasse videtur. Sic interpretatur locum Lipsius : Quanquam et recte de alio divite exponas.

5. *Domus.* Erasmum sequor. Lipsius tamen omisit τὸ *domus*, suum aliosque codd. secutus. Retulit ad vinum, quod in apothecis ordine annorum disponebatur. Nostra lectio explicatur de Tranq. Animi, I, 5.

6. *Cur arbores........ conseruntur?* E. c. platanus, quæ ideo *cælebs* ap. Horat. Od. II, 15, 4. ubi intpp. Lauri, platani, cupressi inprimis colebantur, quarum cura servis, qui topiarii vocabantur, mandata erat. Plin. Epp. III, 19.

7. *Quare..... gerit?* Jam Horatius hunc luxum matronarum traduxit, Epod. VIII, 14. Sat. II, 3, 241. Plin. Nat. Hist. IX, 35 s. 56. Senec. Benef. VII, 9.

8. *Pædagogium.* Illa pars domus, in qua servi erudiebantur, et ipsi servi. Cf. ad De Tranquill. An. I, 5. Epist. 88 Plin. Epp. VII, 26.

9. *Succingitur.* Vestis, i. e. tunica; succingebantur alte, ut opera perficere possent.

ars est apud te ministrare [1] (nec temere, et ut libet, collocatur argentum, sed perite servatur[2]), et est aliquis scin-
3 dendi obsonii magister? » Adjice, si vis, cur trans mare possides[3]? cur plura, quam nosti? turpiter aut tam negligens es, ut non noveris pauculos servos; aut tam luxuriosus, ut plures habeas, quam quorum notitiæ memoria sufficiat[4]. Adjuvabo postmodum; convicia, et plura mihi quam putas, objiciam: nunc hoc respondebo tibi. Non sum sapiens, et, ut malevolentiam tuam pascam, nec ero.
4 Exigo itaque a me, non ut optimis par sim, sed ut malis melior[5]; hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, et errores meos objurgare. Non perveni ad sanitatem[6], ne perveniam quidem: delinimenta magis quam remedia podagræ meæ[7] compono, contentus si rarius accedit, et si minus verminatur[8]. Vestris quidem pedibus[9] comparatus, debiles[10], cursor sum.

XVIII. Hæc non pro me loquor: ego enim in alto vi-

1. *Ministrare*. Voc. propr. de servis, qui ad cœnam apparebant. Cf. Petron. 31. Juvenal. V, 56 sqq.

2. (*Nec...... servatur*). Sic locum hunc distinxi, sensu poscente. Explicative enim adjectum est. Anteà deerant uncini. *Servatur* omnium codd. et Erasmi lectio, et ea bona: i. cum cura hæc res custoditur, ne temere fiat collocatio. Sic bene fit oppositio, et Lipsii emendatione *struitur*, Mureti *servitur*, et Ciacconi *feriatur* tuto supersedebimus. Antea Mureti lectio vulgata erat.

3. *Trans mare*. Inprimis in Lybia, Sicilia, ut ex Horat. Od. I, 1. et aliis notum est.

4. *Aut tam luxuriosus....... sufficiat*. Cf. de Tranq. Animi VIII, 4.

5. *Malis melior*. Est ut dixit Martial., lib. XII, Epigramm. XII, vs. 7. « Optimus malorum. » Idem fere Horatius, lib. I, sat. 3, vs. 68: « Optimus ille qui minimis urgetur (vitiis). »

6. *Sanitatem*. Sapientiam stoicam.

7. *Podagræ*. Metaphorice h. l. sumpserim, de quacunque imbecillitate.

8. *Verminatur*. Pungit, et quasi vermium more vexat. De podagræ punctiunculis inprimis in usu est. Lipsius laudat Senec. ep. 79. 95. et Pomponium veterem poetam apud Nonium c. l. n. 189.

9. *Compar*. Si conferar cum v. ped.

10. *Debiles*. Allocutio est ad reprehensores suos. Recte Gronovius emendat. Antea: *debilis cursor sum*. — Quod ad sensum spectat eamdem metaphoram ac supra sequitur; debilis enim id. est ac podagra laborans.

XVIII. Arg. Non philosophi vita, sed præcepta suspicienda et imitanda.

tiorum omnium sum : sed pro illo, cui aliquid acti est. « Aliter, inquit, loqueris : aliter vivis. » Hoc, malignissima[1] capita et optimo cuique inimicissima, Platoni objectum est, objectum Epicuro, objectum Zenoni[2]. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi viverent, sed quemadmodum vivendum esset. De virtute, non de me loquor : et quum vitiis convicium facio, in primis meis facio; quum potuero, vivam quomodo oportet. Nec ma- 2
lignitas me ista multo veneno tincta deterrebit ab optimis; ne virus quidem istud, quo alios spargitis, vos necatis[3], me impediet, quo minus perseverem laudare vitam, non quam ago, sed quam agendam scio; quo minus virtutem adorem, et ex intervallo ingenti reptabundus sequar. Exspectabo scilicet, ut quidquam malevolen- 3
tiæ inviolatum sit, cui sacer nec Rutilius[4] fuit, nec Cato? Cur et aliquis non istis dives nimis videatur, quibus Demetrius Cynicus[5] parum pauper est? Virum acerrimum, et contra omnia naturæ desideria pugnantem, hoc pauperiorem quam ceteri Cynici, quod quum sibi interdixerint habere, interdixit et poscere, negant[6] satis egere! Vides enim? non virtutis scientiam, sed egestatis professus est.

1. *Malignissima*. Antea : *per malign*. Lipsio et Gronovio omnium codicum jussu ejicientibus. Est compellandi forma.

2. *Platoni...... Zenoni*. Diogenes Laert. pluribus locis hoc confirmat : et nunc est res nota.

3. *Vos necatis*. Vexatis et nocetis, quatenus a philosophia abhorretis.

4. *Rutilius*. Conf. de Provid. III, 3.

5. *Demetrius Cynicus*. Rutilius. Cf. ad Consolat. ad Marc. 22, 2.

6. *Quum sibi interdixerint habere interdixit et poscere, negant satis egere!* Gronovium sequor : qui cum aliis exclamandi particula, *O virum ac.*, quæ ap. Erasm. est, ejecta, unam litteram addidit, ut textui sinceritatem suam restitueret. Antea enim : *interdixerit*. Nullo sensu. Omnes Cynici, recte addit Gronovius, habere sibi interdixerant, non solus Demetrius ; solus autem poscere. Cæterum τὸ *hi*, quod Gronovius ante : *quum* invexit, ut non necessarium, omittendum putavi.

XIX. Diodorum Epicureum [1] philosophum, qui intra paucos dies finem vitæ suæ manu sua imposuit, negant ex decreto Epicuri fecisse, quod sibi gulam præsecuit; alii dementiam videri volunt factum hoc ejus, alii temeritatem. Ille interim beatus, ac plenus bona conscientia, reddidit sibi testimonium vita excedens, laudavitque ætatis in portu et ad ancoram actæ [2] quietem, et dixit: (quid vos inviti audistis, quasi vobis quoque faciendum sit?)

Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi [3].

2 De alterius vita, de alterius morte disputatis, et ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis. Expedit enim vobis [4], neminem videri bonum: quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit. Inviti splendida cum sordibus vestris confertis, nec intelligitis, quanto id vestro detrimento audeatis. Nam si illi qui virtutem sequuntur, avari, libidinosi, ambitiosique sunt: quid vos estis, quibus ipsum nomen virtutis odio est?
3 Negatis quemquam præstare quæ loquitur, nec ad exemplar orationis suæ vivere. Quid mirum? quum loquantur fortia, ingentia, omnes humanas tempestates evadentia? quum refigere se crucibus conentur, in quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adigit? ad supplicium tamen

XIX. ARG. Causæ frivolæ objectionis, philosophos non præstare quæ loquantur.

1. *Diodorum Epicureum*. Ejus hic tantummodo noster meminit, quantum equidem scio.

2. *In portu...... actæ*. Lipsius de quiete et privato otio, tanquam se non immiserit in reipublicæ fluctus, intelligit; ratione loquendi e poetis satis nota, e. c. Horat. Od. II, 10. Navis enim, quæ in portu est et in ancoris consistit, in tuto est. Laudat Diodorum, ut Stoicus.

3. *Vixi, et quem dederat...... peregi*. Versus est Virgilii notissimus Didonis, Æn. IV, 653. Senecæ itaque tempore mortem sibi homo, ut videtur non ignobilis, consciverit necesse est.

4. *Expedit vobis*. Gallic. *Il vous convient*.

acti stipitibus singulis pendent[1] : hi qui in se ipsi animadvertunt, quot cupiditatibus, tot crucibus distrahuntur : et maledici, in alienam contumeliam venusti sunt[2]. Crederem[3] illis hoc vacare, nisi quidam ex patibulo[4] suos spectatores conspuerent.

XX. Non præstant philosophi quæ loquuntur? multum tamen præstant, quod loquuntur, quod[5] honesta mente concipiunt. Nam si[6] et paria dictis agerent, quid esset illis beatius? interim non est quod contemnas bona verba, et bonis cogitationibus plena præcordia[7]. Studiorum salutarium[8], etiam citra effectum, laudanda

1. *Quum refigere...pendent.* Quum in eo sint, ut crucibus, i. e. cupiditatibus suis se liberent, vos unice hoc agitis, ut his ipsis crucibus afficiamini, vestra sponte vosmetipsos iis adigatis. Illi tamen, si crucibus se liberare non possunt, ideoque pœnas dare debent, propter unam cupiditatem puniuntur, quum vos multiplicem pœnam dare cogamini.

2. *Venusti.* I. e. hi improbi homines dicta jaciunt : sed hoc non constantia animi faciunt, quum vel a patibulatis sciam pessimis conspui spectatores, quamvis maximis doloribus sint districti.

3. *Crederem illis hoc vacare, nisi quidam.* Sic optimi codd. et Erasm., probante Gronov. Muretus dederat : *Crederem illis, nisi quidam* : libris non opitulantibus. Præcedentia : *hi qui in se ipsi a.* Gronovio suasore ex apparatu Gruteri reduxi. Antea : *in se ipsos a.*

4. *Patibulo.* Idem semper aut sæpe est quod crux et apud optimi seculi et optimæ notæ auctores perpetuum usurpatur. Imo et quidam autumavere, nescio an male, patibulum esse vere quod nos hodie *croix* appellamus, et Græci dicebant σταυρὸς ; crucem vero stipitem fuisse cui infigebantur damnati servi ; quod infame et fœdum supplicii genus soli in Europa nostra Turcæ ad hunc diem servavere, et a palo *impalari* (*empaler*) nuncupatur. Græcis fuit σκολοπίζειν. *Patibulum* quoque sæpe auctores sacrarum literarum dixerunt crucem quo Christus suspensus est. Quod vid. vel ex Hymn. Fortunati, « Vexilla regis, etc. »

XX. Arg. Ad hæc bona intentio philosophorum præclara suadentium laudanda est, ut desint vires paria dictis agendi. Locum hunc, in magnis etiam conari pulchrum esse, tractavit Cicero Orator. c. 1 et 2. Columell. de Re Rust. præfat. fin. Quintil. X, 1. Apuleius in Floridis III, p. 353. Elm.

5. *Honesta.* Virtutis studiosa.

6. *Nam si.* Erasmum sequor. Gronoviana al. *Nam quidem.*

7. *Præcordia.* I. e. animum, ut ap. Ovid. Heroid. XVI, 134.

8. *Studiorum salutarium* Philosophiæ. Laudat Lipsius ex Apuleio : Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est.

tractatio est. Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi? sed viros suspice [1], etiamsi decidunt, a magna conantes. Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad naturæ suæ vires, conari alta, tentare, et mente majora concipere, quam quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint. Qui sibi hoc proposuit [2]: « Ego mortem [3] eodem vultu audiam, quo jubebo [4] et videbo [5]; ego laboribus, quanticumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus; ego divitias et præsentes et absentes æque contemnam: nec, si alicubi jacebunt [6], tristior; nec, si circa me fulgebunt, animosior [7]; ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem [8]; ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam [9] omnium; ego sic vivam, quasi sciam aliis me natum, et naturæ

— Locus eximius Demosthenis Περὶ στεφάνου potuisset quoque ad h. l. excitari, ubi ille Chæronensis cladis invidiam deprecatur, decus autem vindicat, et laudes sibi ipse impertit, quas nullus aut legens denegabit aut denegavit audiens, quum dicit conatus a virili, excelso, divino animo esse, eventus a Diis; sibi nec ingenium, nec diligentiam, nec patriæ amorem, nec Philippi odium defuisse, Fortunam defuisse, quæ in potestate nullius est, sed cujus in potestatem gloria non cadit.

1. *Quid mirum, si non ascendunt in altum ardua aggressi? sed viros s.* Sic locum bene restituit Lipsius e codice suo, præterquam quod *viros* e conj. sua dedit. In cod. enim erat: *vires.* Erasmus habet: *Quid mirum, si non ascendunt in altum? Ardui aggressus ad virtutes suspice.*

2. *Qui sibi hoc proposuit.* Sunt ea omnia quæ sequuntur dogmata, e doctrina Stoicorum repetita, quæ sæpe in libro hoc et præcedentibus jam memorata et tractata sunt.

3. *Ego mortem.* Meam mihi obnuntiatam, ut Canus (de Tranq. An. 14.).

4. *Jubebo et.* Ex Erasmo reduxi. Sic hyperbato liberabimus Senecam, quo vulgata eum oppresserat.

5. *Jubebo et videbo.* Ut judex aliis impositam mortem intuetur.

6. *Ne si alicubi jacebunt.* Nullo aut pravo usu.—In quibusdam editionibus pro *alicubi* est *aliubi*, non repugnante sensu.

7. *Animosior.* Erasmus quoque hoc in codd. invenisse videtur: in margine enim notavit: al. *animosior.* Scripti tamen, ut et ipse in textu, habent: *animo ducor.* Unde Lipsius conjecit: *animo editior, vel diductior.*

8. *Ego fortunam........ recedentem.* Horat. Od. III, 29.

9. *Terras..... omnium.* Stoicum enim se solum esse regem dixisse constat. Diog. Laert. VII, 122.

rerum hoc nomine gratias agam[1] : quo enim melius ge- 3
nere negotium meum agere potuit[2] ? unum me donavit omnibus : uni mihi omnes. Quidquid habebo, nec sordide custodiam, nec prodige spargam; nihil magis possidere me credam, quam bene donata : non numero, nec pondere beneficia[3], nec ulla, nisi accipientis[4] æstimatione, pendam. Nunquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet. Nihil opinionis causa, omnia conscientiæ faciam[5] : populo teste fieri credam, quidquid me conscio[6] faciam. Edendi erit bibendique finis, desideria naturæ restinguere, non implere alvum, et[7] exinanire. Ego amicis jucundus, inimicis mitis et facilis[8], exorabor antequam roger; honestis precibus occurram. Patriam meam esse mundum sciam[9], et præsides deos : hos supra me, circaque me stare, factorum dictorumque censores. Quandocumque autem natura[10] spiritum repetet, aut ratio dimittet[11], testatus exibo, bonam me conscientiam amasse, bona studia : nullius per me libertatem diminutam, a nemine meam.[12] »

1. *Ego sic..... agam*. Cf. ad II, de Ira, 27, 3.

2. *Quo.... potuit?* Quanam meliori ratione mei curam gerere, res meas agere, potuit ?

3. *Non numero..... beneficia*. Quæ aliis tribuam.

4. *Accipientis*. Si sit beneficio dignus.

5. *Nihil opinionis...... faciam*. Lipsius laudat nostrum de Ira III, 41, 2. Conscientiæ satisfiat : nihil in famam laboremus.

6. *Conscio*. Erasmum et sententiam secutus, dedi. Vidit et Gataker ad Antonin. III, §. 4, p. 69. Antea *nescio*.

7. *Edendi.... exinanire*. Cf. Consol. ad Helv. IX, 10.

8. *Ego..... facilis*. Cf. de Otio Sap. XVIII, 4.

9. *Patriam...... sciam*. Cf. Cic. de fin. III, 19. — Notavimus jam quam tritum et vulgare apud Stoicos viros illud axioma fuerit : Patriam sapientis esse mundum. Unde jam patet κοσμοπολίτην illorum sapientem fuisse, et hæc Chrysippi responsio dilucida fit ad Athenienses jus civitatis offerentes : Una est sapientis civitas, nempe orbis universus.

10. *Natura*. I. e. dii.

11. *Ratio dimittet*. Suicidio.

12. *A nemine meam*. Erasmum et libros aliquot sequor. — Lipsio interprete, sensus est : nulli in me jus fuit. Animo mansi erectus et liber.

XXI. Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad deos iter faciet : næ ille, etiamsi non tenuerit [1], magnis tamen [2] excidet ausis. Vos quidem, qui virtutem cultoremque ejus odistis, nihil novi facitis; nam et solem lumina ægra formidant, et aversantur diem splendidum nocturna animalia, quæ ad primum ejus ortum stupent, et latibula sua passim petunt, abduntur in aliquas rimas timida [3] lucis. Gemite [4], et infelicem linguam bonorum exercete convicio; instate, commordete; citius multo
2 frangetis dentes, quam imprimetis [5] ! « Quare ille philosophiæ studiosus est, et tam dives vitam agit ? quare opes contemnendas dicit, et habet ? vitam contemnendam putat, et tamen vivit [6] ? valetudinem contemnendam, et tamen illam diligentissime tuetur, atque optimam mavult. Et exsilium nomen vanum putat, et ait : Quid est enim mali, mutare regiones ? et tamen, si licet, senescit in patria. Et inter longius tempus et brevius nihil interesse judicat : tamen si nihil prohibet, extendit ætatem, et in multa senectute placidus viret ? »

XXI. Arg. Improborum calumnias alias retundit. Et in his sunt plurima, quæ ad Senecam traducendum dicta esse videntur ab ejus inimicis. Quæ bona habentur, ea quamvis sint fortuita, et indifferentia, sapiens non respuit, e. c. divitiæ.

1. *Tenuerit*. Iter, cursum.

2. *Magnis..... ausis*. Ovidiana locutione, Metam. II, 328.

3. *Timida lucis*. Aliquoties jam supra observavimus, nostrum et in eo imitari poetas, quod adjectiva genitivis conjungat. Timidus procellæ ap. Horat., Art. poet. 28, occurrit.

4. *Gemite*. I. e. clamate. Sic ap. Horatium Carm. lib. II, Od. XX, vs. 14 : « Visam gementis litora Bospori. »

5. *Citius multo........ imprimetis*. Respicit clare ad notissim. Æsopi fabellam de *Vipera* et *Lima*, quam lege, in Phædr. lib. IV, fab. 8. necnon hujus imitationem a nostrate *Lafontaine* haud infeliciter expressam lib. I, fab. 18.

6. *Vitam contemnendam putat et tamen vivit?* Puerilis sane et putida objectio quam jamdudum aliquis, Scepticus, crediderim, Pyrrho, confutaverat aptissime, quum dicenti cuidam : At si nihil interest utrumne vivas an moriaris, quid non moreris, ait : Quia nil interest.

Ait ista [1] debere contemni [2]; non, ne habeat, sed ne sollicitus habeat; non abigit illa a se, sed abeuntia securus prosequitur. Divitias quidem ubi tutius fortuna deponet, quam ibi, unde sine querela reddentis receptura est? M. Cato [3] quum laudaret Curium et Coruncanium [4], et seculum illud in quo censorium crimen [5] erat paucæ argenti lamellæ [6], possidebat ipse quadringenties [7] sestertium: minus sine dubio quam Crassus, plus tamen quam censorius Cato. Majore spatio, si comparentur, proavum vicerat, quam a Crasso vinceretur. Et si majores illi obvenissent opes, non sprevisset; nec enim se sapiens indignum ullis muneribus fortuitis putat. Non amat divitias, sed mavult: non in animum illas, sed in domum recipit: nec respuit possessas, sed continet, et majorem virtuti suæ materiam subministrari vult.

1. *Ista*. I. e. opes, vitam, valetudinem, etc.

2. *Contemni*. Significat itaque h. l. non summo loco haberi, magni non æstimari. Erat autem in vitiis Stoicorum, ut verbis aliam ac vulgarem vim dare solerent, ut vel e Cicerone notum est. Cf. ad de Const. Sap. III, 1.

3. *M. Cato*. Uticensis, ut sequentia docent. Cato enim major s. censorius, si hæc deessent, hic bene locum haberet, quippe qui ap. Cic. in Catone maj. c. 13, 16

4. *M. Curium*, et *Tib. Coruncanium*, celeberrimos sui ævi, i. e. tempore belli Pyrrhi, propter simplicitatem morum et paupertatem laudibus extollit.

5. *Censorium crimen*. Val. Max. II, 9, 4, explicat: « Cornelium Rufinum bis consulem.... Fabricius censor Senatu movit, quod decem pondo argentea vasa haberet. » (conf. Liv. Epit. lib. 14. Plutarch. Sulla, c. 1. ubi vid. Leopold.). Factum hoc est hoc ipso seculo, de quo noster loquitur, a U. C. 479.

6. *Lamellæ*. Vid. ad Brevit. Vit. XII, 1.

7. *Quadringenties*. I. e. nostrarum pecuniarum ferme 8,151,664 fr. (duo ferme milliones Thal. Borussic., seu 400,000 aurei a Frederico appellati; Lipsius decies centena millia Philippicum). Quadringenties Lipsii est conjectura, quæ tamen digna visa est, ut reciperetur. Veritas conjecturæ apparet ex comparatione subsequente, quum addit Seneca, magis victum ab eo proavum Catonem, quam a Crasso ipsum. Atqui Crassus bis millies possedit: i. e. quinquies tantum. Antea: *quadragies*, i. e. 815,166 fr. (Plus quam 150,000 Thal. Boruss., seu 30,000 aurei Fred.; Lipsius centum millia Philippicum.) Modica, ait Lips., vel exigua potius summa in Cat. Uticensis illo ævo. Laudat Admi-

XXII. Quid autem dubii est, quin major materia sapienti viro sit, animum explicandi [1] suum in divitiis, quam in paupertate? quum in hac unum genus virtutis sit, non inclinari, nec deprimi: in divitiis, et temperantia, et liberalitas, et diligentia [2], et dispositio [3], et magnificentia, campum habeat patentem. Non contemnet se sapiens, etiamsi fuerit minimæ staturæ; esse tamen se procerum volet: et exilis corpore, ac amisso oculo valebit; malet tamen sibi esse corporis robur. Et hæc ita, ut sciat esse aliud in se valentius; malam valetudinem tolerabit, bonam optabit. Quædam enim, etiamsi in summam rei [4] parva sunt, ut et subduci sine ruina principalis boni possint, adjiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, et ex virtute nascentem. Sic illum afficiunt divitiæ, et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus, ut dies bonus, et in bruma ac frigore apricus
3 locus. Quis porro sapientum, nostrorum dico, quibus unum est bonum virtus, negat etiam hæc quæ indifferentia [5] vocamus, habere in se aliquid pretii, et alia aliis esse potiora? Quibusdam ex his tribuitur aliquid hono-

randa Rom., a se perscripta II, c. ult.

XXII. Arg. Sapienti divitiæ et omnia illa, quæ indifferentia vocabant Stoici, ampliorem præbent materiam et campum exercendi virtutem.

1. *Animum explicandi.* Virtutes animi ostendendi.

2. *Diligentia.* In quærendo et tuendo.

3. *Dispositio* autem in collocando et administrando cernitur.

4. *In summam rei.* I. si cum bono principali, i. e. virtute comparantur. Sunt hæc, secundum Stoicos, adiaphora, notante Lipsio e Diogene Laert. VII, 104; quæ nec ad felicitatem, nec ad infelicitatem conferunt: ut sunt divitiæ, sanitas, etc. Mox noster ea appellat *indifferentia*, quæ alias nominantur media. Cicero ea vocat producta, præposita, præcipua (προηγμένα), et rejecta (ἀποπροηγμένα), de Finib., III, 4, 16. Illa æstimationem, ἀξίαν, *honorem*, habent, ideoque digna sunt, quæ appetantur, e. c. virtutes animi et corporis, et opes, gloria, etc.; hæc defugienda sunt. Usus dat iis nomen, sive quum virtus, sive quum malitia accessit. Plura dabit Lipsius in Manuduct. II, 21, 22.

5. *Indifferentia.* Vid. not. supr.

ris[1], quibusdam multum. Ne erres itaque, inter potiora divitiæ sunt. « Quid ergo, inquis, me derides, quum eumdem apud te locum habeant, quem apud me ? » Vis 4
scire, quam non habeant eumdem locum ? mihi divitiæ si effluxerint, nihil auferent, nisi semetipsas : tu stupebis, et videberis tibi sine te relictus[2], si illæ a te recesserint ; apud me divitiæ aliquem locum habent : apud te, summum ; ad postremum, divitiæ meæ sunt · tu divitiarum es[3].

XXIII. Desine ergo philosophis pecunia interdicere ; nemo sapientiam paupertate damnavit[4]. Habebit philosophus amplas opes, sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sine cujusquam injuria partas, sine sordidis quæstibus, quarum tam honestus sit exitus quam introitus, quibus nemo ingemiscat, nisi malignus[5]. In quantum vis, exaggera illas, honestæ sunt : in quibus, quum multa sint quæ quisque sua dicere velit, nihil est quod quisquam suum possit dicere. Ille vero fortunæ benignitatem a se non sub- 2
movebit, et patrimonio per honesta[6] quæsito nec gloriabitur, nec erubescet. Habebit tamen etiam quo glorietur,

1. *Honoris*. V. not. 4 sup. pag. fin.

2. *Tibi sine te relictus*. Jam dimidiatus et altera cariore forsan parte tui fraudatus. Horat. in re diversa, sed simili et sententiæ et verborum tenore : « Ah ! te meæ si partem animæ rapit Maturior vis, quid moror altera, Nec carus æque, nec superstes Integer ? » Carm. lib. II, od. 14, vs. 5–8.

3. *Divitiæ meæ sunt : tu divitiarum es*. Hoc est, ego divitiarum dominus sum, quibus utor, fruor, lætor, non ita tamen ut evanescentibus his gemam, contrister, vacuum me putem ; tu earum servus es, quibus nec modeste uteris et elapsis consternere. « Et mihi res, non me rebus subjungere conor. » Horat. lib. I, Epist. 1, vs. 19.

XXIII. Arg. Philosophus divitias admittet iisque bene utetur. Donabit quoque, sed ex recta causa.

4. *Nemo damnavit*. I. nullus philosophus præscripsit, ut, qui ad sapientiam adspirent, pauperes esse debeant. Loquendi ratio consonat ad illam : damnari votis, obstringi ad vota solvenda.

5. *Malignus*. Propter invidiam.

6. *Per honesta*. Scil. negotia ; honeste. Est autem nostro familiaris mos, ut neutro plurali adjectivorum uti amet loco adverbiorum, vel substantivorum.

si aperta domo, et admissa in res suas civitate, poterit di-
cere : Quod quisque suum agnoverit, tollat ! O magnum
virum, optime divitem, si opus ad hanc vocem [1] consonet !
si post hanc vocem tantumdem [2] habuerit ! ita dico, si
tutus et securus scrutationem populo præbuerit, si nihil
quisquam apud illum invenerit, quo manus [3] injiciat :
3 audacter et propalam erit dives. Sicut sapiens nullum
denarium [4] intra limen suum admittet male intrantem :
ita et magnas opes, munus fortunæ, fructumque virtutis,
non repudiabit, nec excludet. Quid enim est, quare illis
bonum locum invideat ? veniant, hospitentur [5]. Nec jac-
tabit illas, nec abscondet ; alterum [6] infruniti animi [7] est ;
alterum timidi et pusilli, velut magnum bonum intra si-
num continentis. Nec, ut dixi, ejiciet illas e domo. Quid
4 enim dicet ? utrumne, inutiles estis ? an, ego uti divi-

1. *Opus ad hanc vocem consonet!* Si re quidem vera cuncta se ita habent et gerunt ut illa vox denuntiat, h. e. si nihil in domo est quod quisquam agnoscere, vindicare, tollere possit. Quæ sequuntur rem totam optime illustrant.

2. *Tantumdem habuerit.* Si tot nummos habeat, tot agros et domus, tot denique utensilia, quot ante domus scrutationem possidebat, h. e. si nihil a visentibus quærentibusque agnitum sublatumque sit. Unde integritas divitis clare sequitur.

3. *Quo manus injiciat.* Ad res suas vindicandas. Est vocabulum proprium de eo, qui res sibi vindicat, ut proprias. Liv. III, 43. — *Quo manus injiciat. Quo*, pro *ad quem locum*, πρόσρημα τοπικόν, ut aiunt; quod notandum, quum ad τὸ *nihil* referatur quod locum minime designat.

4. *Denarium.* Nummus argenteus fuit, cui id nominis impositum quod denos asses æquaret principio; mox (Ann. U. C. 536.) quum sestertius qui antehac duos asses et semis æquaverat, quatuor æquavit, denarius sexdecim continuit, non mutato tamen pondere. Nostr. monet. erat 0, 82 centim. ante Augustum ; et imperante Domitiano, 0, 70 cent.

5. *Hospitentur.* Hospitii jure gaudeant, admittantur, non coercendi aut distinendi, quocumque fugere libuerit.

6. *Infruniti.* Lipsius e suo cod. dedit. Lud. Carrio (Emendation. Lutet. 1584, lib. II, fol. 24,) sic jam conjecerat. Antea : *infirmi.*

7. *Infruniti animi.* I. e. insolentis, stulti. In Glossis, ἀπειρόκαλος, laudante Lipsio, qui et nostrum de Benef. III, 16, 2. Auli Gellii Noct. Attic. IV, 9. et Festum adhibuit et cum ἄφρων vel infrons (a frons, tis) comparavit. Occurrit et Macrob. Saturn. V, 1, extr.

tiis nescio? Quemadmodum etiam si pedibus suis poterit iter conficere, escendere tamen vehiculum malet: sic si poterit esse dives, volet: et habebit utique opes, sed tanquam leves et avolaturas: nec ulli alii, nec sibi graves esse patietur. Donabit [1]... quid erexistis aures? quid expeditis sinum? Donabit, aut bonis, aut iis quos facere poterit bonos. Donabit cum summo consilio, dignissimos eligens: ut qui meminerit, tam expensorum quam acceptorum rationem esse reddendam. Donabit ex recta et probabili causa; nam inter turpes jacturas malum munus est. Habebit sinum facilem, non perforatum; ex quo multa exeant, nihil excidat.

XXIV. Errat, si quis existimat facilem rem esse donare. Plurimum ista res habet difficultatis, si modo consilio tribuitur, non casu et impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo, huic succurro, hujus misereor. Illum instruo, dignum quem non deducat [2] paupertas, nec occupatum teneat [3]. Quibusdam non dabo, quamvis desit: quia etiamsi dedero, erit defuturum; quibusdam offeram; quibusdam etiam inculcabo [4]. Non possum in hac re esse negligens: nunquam magis nomina facio [5], quam quum

1. *Donabit.... quid* etc. Suspensio est, quæ vividiorem orationem efficit. *Quid expeditis sinum.* Togæ ad excipienda munera.

XXIV. Arg. Nec ulli bene cessit liberalitas, nisi sapienti, a quo longe distat studiosus sapientiæ: ille enim factis sententiam, divitias utiles quidem, sed bonum non esse, comprobat.

2. *Deducat.* I. deprimat. Sic codd. fere omnes. Antea: *diducat.*

3. *Illum instruo...... teneat.* Beneficiis pauperem orno, lautiorem amplioremque facio, ne a paupertate inclinetur, neu deprimatur. Hanc liberalitatem nostro propriam fuisse Juvenalis, Sat. V, 108, 109, et Martialis, epig. lib. XII, 36, 8; qui non ita longe post Senecam floruerunt, a Lipsio laudati, docent.

4. *Inculcabo.* Obtrudam, et vel invitis donabo.

5. *Nomina facio.* Commodo, do mutuum. Namque fœneratores quum pecuniam mutuam darent, eorum nomina Deltariis aut schedis scribebant apud quos locaverant. Martial. hinc, lib. VIII, èpigr. 44, vs 11: « Centum explicentur paginæ Kalendarum. »

2 dono[1]. « Quid ? tu, inquis, recepturus donas ? » immo non perditurus. Eo loco sit donatio, unde repeti non debeat, reddi possit. Beneficium collocetur, quemadmodum thesaurus alte obrutus : quem non eruas, nisi fuerit necesse. Quid ? domus ipsa divitis viri, quantam habet benefaciendi materiam ? Quis enim liberalitatem tantum ad togatos[2] vocat ? hominibus prodesse natura jubet : servi liberine sint, ingenui an libertini[3], justæ libertatis, an inter amicos datæ[4], quid refert ? ubicumque homo est,
3 ibi beneficio locus est. Potest itaque pecuniam etiam intra limen suum[5] diffundere, et liberalitatem exercere : quæ non quia liberis debetur, sed quia a libero animo proficiscitur, ita nominata est. Hæc apud sapientem[6] nec unquam in turpes indignosque impingitur; nec unquam ita defatigata errat, ut non, quoties dignum in-

1. *Nunquam magis.... quam quum dono.* Nam cui beneficiorum memor animus, nunquam satis dignas gratias rependere se arbitrabitur, et etiamsi nil pro dato possit reddere, amare, fausta precari potest quæ dulcissima nulli non sunt. Tum quæ dantur, non dispereunt, aut pessumeunt; eorum nulla jam pars aut elabi aut abripi potest. Vid. Senec. ips. de Benefic. lib. VI, cap. 3, ubi Antonium narrat dicentem : « Hoc habeo quodcumque dedi : » Tum Martial. lib. V, epigr. XLII, vss. 7 et 8 : « Extra fortunam est quidquid donatur amicis : Quas dederis, solas semper habebis opes. »

2. *Togatos.* Romanos cives ingenuos, quibus tantum toga uti licuit.

3. *Libertini.* S. manumissi, qui proinde ingenuis recte opponuntur. Ex hoc loco et aliis perspicias, quod obiter moneo, quam vere Ernesti Sueton. Claud. XXIV explicaverit. Liberti ad dominum, libertini ad genus hominum referuntur : quod nunc notum est.

4. *Justæ..... datæ.* Justa libertas fuit, quæ secundum leges data est servis, i. vindicta, censu, testamento. Hi tali modo manumissi plane pleneque erant liberi. Non justa erat libertas, inter amicos, in convivio, per epistolam data : libertos adhuc vinculo quodam attribuebat servituti : quin etiam deleri poterat. Lipsius ad Tac. Annal. XIII, 27. Cf. Adam *Antiquités romaines*, et *Dictionnaire classique de l'antiquité*, de M. Bouillet, Paris, 1826, voce *affranchissement.*

5. *Intra limen suum.* H. e. inter famulos et ancillas; quum ingenui pauci intra limen aut nulli sint, nisi quibus fortunas tuas te participare extra dubitationem est, ut filii, uxor.

6. *Hæc apud sapientem.* H. e. quum a viro sapiente exercetur, non a stolido prodigoque. Quasi Gallice foret : *La libéralité du sage.*

venerit, quasi ex pleno fluat. Non est ergo quod per-
peram exaudiatis [1], quæ honeste, fortiter, animose, a stu-
diosis sapientiæ [2] dicuntur; et hoc primum attendite: aliud 4
est, studiosus sapientiæ: aliud, jam adeptus sapientiam.
Ille tibi dicet: « Optime loquor [3], sed adhuc inter mala vo-
lutor plurima. Non est quod [4] me ad formulam meam exi-
gas [5]: quum maxime facio me et formo, et ad exemplar in-
gens attollo; si processero, quantum proposui, exige, ut
dictis facta respondeant. » Assecutus vero humani boni
summam, aliter tecum aget, et dicet: « Primum, non est
quod tibi permittas de melioribus ferre sententiam; mihi
jam, quod argumentum est recti, contigit, malis displi- 5
cere. Sed ut tibi rationem reddam, quam nulli mortalium
invideo [6], audi, quid promittam, et quanti quæque æsti-
mem. Divitias nego bonum esse: nam si essent, bonos
facerent; nunc quoniam quod apud malos deprehenditur,
dici bonum non potest, hoc illis nomen nego; ceterum
et habendas esse, et utiles, et magna commoda vitæ af-
ferentes, fateor.

1. *Non est...exaudiatis*. I. e. male interpretemini.

2. *Studiosis sapientiæ*. Stoici, quibus virtus scientia est, vitium, ignorantia, distinguunt inter *studiosum* (σπουδαῖον), qui operam adhuc dat, et *eruditum* (πεπαιδευμένον), qui jam adeptus est sapientiam. Lipsius in Manud. II, 1.

3. *Optime loquor* etc. De his et omnibus quæ sequuntur, usque ad τὸ *ut dictis facta respondeant*, conf. init. lib. de Constantia sapientis, ubi hæc quibus alloquitur Serenus Annæum non dissimilia sunt.

4. *Non est, quod*. H. e. nulla via est, nulla ratio, nulla causa cur, etc. nullo modo potes..... non par est.

5. *Ad formulam meam exigas*. *Formula* est ea verborum et rerum forma quam mihi proposui disponendæ et exigendæ vitæ magistram. Non me, inquit Seneca, ad mensuram metire quam ipse feci, non ad formulam excute quam mihimet ego finxi. Exigere vero est *excutere*, *lustrare*, gall. *passer en revue*.

6. *Invideo*. Denego. A Græco mutuata Latina lingua est hanc vocem quæ perelegans est. Nam apud Græcos centies: μὴ φθόνει φράσαι, pro *ne pigeat dicere*; et οὐδεὶς φθόνος idem sonat cum τῷ *libentissime*.—Hæc, quamvis tam perspicua, perperam interpretatus est *Lagrange* qui dicit: *pour vous montrer combien peu j'en-*

XXV. Quid ergo est? quare illas non in bonis numerem, et quid in illis præstem [1] aliud, quam vos, quoniam inter utrosque convenit habendas, audite. Pone in opulentissima me domo, pone ubi aurum argentumque in promiscuo usu sit: non suspiciam me [2] ob ista, quæ etiam si apud me, extra me tamen sunt. In sublicium [3] pontem me transfer, et inter egentes abjice: non ideo tamen me despiciam [4], quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt; quid enim ad rem, an frustum panis desit, cui non deest mori posse? Quid ergo
2 est? domum illam splendidam malo, quam pontem. Pone in instrumentis splendentibus [5], et delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum [6], quod purpura in conviviis meis substernetur. Nihilo miserior ero, si lassa cervix mea in manipulo fœni acquiescet, si super Circense tomentum [7], per sarturas

vie le sort d'aucun mortel; quasi *quam* esset *quantum*, non vero relativum pronomen.

XXV. Arg. Continuatio.

1. *Præstem.* Ostendam, proferam iis utens.

2. *Non suspiciam me.* H. e. non superbia intumescam. *Suspicere* est demirari. Hic enim suspicit qui ex inferiori loco in altiora oculos tollit, ubi fere semper miratur. Notum est e contrario *despicere* id. esse ac τὸ *aspernari;* hæc enim ex superiore loco despicis quæ inferiora sunt. Et inferius paulo videb. κατ' ἀντίθεσιν, *me despiciam.*

3. *In sublicium pontem.* Sæpius ut sedes mendicorum iste pons Tiberi impositus, ideoque hominum prætereuntium frequentia celebratus commemoratur apud Veteres: e. c. Ovid Ibi. 418; Martial. X, 5; Juven. XIV, 134; IV, 116. De ponte sublicio cf. Adleri descriptionem Romæ, p. 36.

4. *Me despiciam.* Vid. supr. not. 2

5. *In instrumentis splendentibus.* Instrumenta intellig. voluptatis et luxuriæ ut monopodia, gemmata pocula, dapes raræ et a longinquo petitæ, si ad convivia mentem verteris; tibicines celeberrimi, optimæ lyræ, si ad musicen; villas, thermas, circense tomentum, si ad otiandum; canes, equos, indaginem, si ad venandum, etc.

6. *Molle amiculum.* Ex meliore lana confectæ vestes cœnatoriæ, et sæpe purpureæ, et stragulæ et pulvilli, s. triclinaria, quæ Plin. N. H. IX, 36, e dibapha tyria jam vulgo facta ostendit.

7. *Circense tomentum.* Villi lanæque breves et paleæ sectaque stramenta, ad inferciendas culcitas adhibita a pauperibus, qui s. ludis Circensibus tali tomento usi sunt, s-

veteris lintei effluens, incubabo. Quid ergo est ? malo quid mihi animi sit ostendere prætextatus et chlamydatus[1], quam nudis scapulis aut semitectis[2]. Ut omnes[3] mihi dies ex voto cedant, novæ gratulationes prioribus subtexantur ; non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis : hinc illinc percutiatur animus, damno, luctu, incursionibus variis, nulla omnino hora sine aliqua querela sit : non ideo me dicam inter miserrima miserum, non ideo aliquem exsecrabor diem ; provisum est enim a me, ne quis mihi ater
dies esset[4]. Quid ergo est ? malo gaudia temperare quam 4
dolores compescere. Hoc tibi ille Socrates dicet : « Fac me victorem universarum gentium ; delicatus[5] ille[6] Liberi currus triumphantem usque ad Thebas a solis ortu vehat[7] ; jura reges Persarum[8] petant : me hominem esse

in Circo factis indormierunt. Martial. XIV, 159, 160.

1. *Prætextatus et chlamydatus.* Hanc lectionem in codd. reperiri apud Grut. et Lipsium in propatulo est. Sententia etiam agnoscit. Præstantissima haud dubie præferam, ait noster, iis, quæ sunt minoris pretii aut vilissima. Jam vero et *prætextam et chlamydem* fuisse præstantiorum vestium genera, constat. Cf. Ernesti Clav. Cic. De *prætextatus* una codd. scriptura est, quam Lipsius immerito mutavit in : *pexatus :* major varietas occupat in codd. alteram vocem : *clamidatus*, *candidatus*, *camisatus*, *causeatus*, *canusinatus* (ap. Muretum), *gausapatus*, quæ posterior Lipsio placuit. *Candidatus* habet Erasm. Facile intelligis, omnes has voces vel aberrationes, vel inepta interpretamenta librariorum esse. Eliminavi proinde Lipsii fœtus : *Pexatus et gausapatus* e textu.

2. *Aut semitectis.* E codd. bene eruit Lipsius. Ap. Erasmum desunt.

3. *Ut omnes.* I. e. etiam si omnes.

4. *Provisum..... esset.* Omnia illa ut a fortuna profecta inter indifferentia numero ; ideoque sive bene, sive male mecum egerit fortuna, ratio et sapientia mihi omnia, quocunque modo ceciderint, bona et candida facient. *Ater vero dies*, est infelix, infaustus.

5. *Delicatus.* Mollissime exornatus, gemmeus aureusque.

6. *Ille.* Celeberrimus.

7. *Delicatus..... vehat.* Triumphos ducam per totum terrarum orbem, Bacchi more, quem Thebis, Bœotiæ urbe oriundum, domitis Indis, in urbem patriam rediisse triumphantem constat, e. c. ex Ovidii Metam. etc. Est res tritissima.

8. *Reges Pers.* Ut potentissimi in Oriente, præsertim Socratis tempore, quum *reges magni* nominarentur.

tum maxime cogitabo, quum Deus undique consalutabor [1]. Huic tam sublimi fastigio conjunge protinus præcipitem mutationem : in alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam : non humilior
5 sub alieno curru agar, quam in meo steteram. » Quid ergo est ? vincere tamen, quam capi malo. Totum fortunæ regnum despiciam : sed ex illo, si dabitur electio, molliora sumam. Quidquid ad me venerit, bonum fiet : sed malo faciliora ac jucundiora veniant, et minus vexatura tractantem. Non est enim quod ullam existimes esse sine labore virtutem [2], sed quædam virtutes stimulis, quædam frænis egent [3]. Quemadmodum corpus in proclivo [4] retineri debet, in ardua impelli : ita quædam virtutes
6 in proclivi sunt, quædam clivum subeunt. An dubium sit, quin escendat, nitatur, obluctetur patientia, fortitudo, perseverantia, et quæcunque alia duris opposita virtus est, et fortunam subigit [5] ? Quid ergo ? non æque manifestum est per devexum ire liberalitatem, temperantiam, mansuetudinem ? In his continemus animum, ne prolabatur : in illis exhortamur, incitamusque. Acerrimas ergo paupertati adhibebimus, illas, quæ impugnatæ fiunt for-

Socratem hæc loqui inducit, quoniam ut omnis philosophiæ, ita stoicæ pater prædicabatur. Verbo tantum moneo, mentionem *ferculi*, currus, ut mox ipse explicat, ad morem Imperatorum romanor. triumphantium translatam esse, parum atticum.

1. *Quum Deus undique consalutabor.* Egregie restituit Lipsius (Elector. II, 9.). Erasmus habet : *cum Diis undique consultabo.* Pravo aut nullo sensu.

2. *Non est..... virtutem.* Hoc jam ex eo patet, quod virtus disci debet, secundum Stoicos. Aliter sensit lib. II de Ira, XIII, cap. 3, ubi videsis

3. *Sed quædam..... egent.* Illæ in rebus trepidis et adversis, hæ in prosperis. Bene laudat Lipsius Epistol. 66 fin. sed noster in seqq. sententiam suam ipse satis dilucide exposuit.

4. *In proclivo. Proclivus* aliquando pro *proclivis.* Minus tamen usitatus et hoc seculo et Ciceroniano. Mirum tamen est cur in *proclivo.* h. l. Annæus scripserit, sequente mox linea scripturus *in proclivi.*

5. *An dubium est.....subigit.* Num ulli dubitatio est eas virtutes quarum officium est dura aggredi et vincere,

tiores[1]: divitiis illas diligentiores, quæ suspensum gradum ponunt, et pondus suum sustinent[2].

XXVI. Quum hoc ita divisum sit, malo has in usu mihi esse, quæ exercendæ tranquillius sint, quam eas, quarum experimentum sanguis et sudor est[3]. Ergo non ego, inquit sapiens, aliter vivo quam loquor, sed vos aliter auditis. Sonus tantummodo verborum ad aures vestras pervenit : quid significet, non quæritis. « Quid ergo inter me stultum, et te sapientem interest, si uterque habere[4] volumus ? » Plurimum. Divitiæ enim apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio; sapiens divitiis nihil permittit[5], vobis divitiæ omnia[6]. Vós, tanquam aliquis vobis æternam possessionem earum promiserit, assuescitis illis, et cohæretis : sapiens tunc maxime paupertatem meditatur[7], quum in mediis

fortunamque ipsam submittere animi potentioris jugo, eas, inquam, virtutes viro similes esse qui escendit, nititur, obluctatur. Illæ enim conantur. Conantem vero incitare operæ pretium est; ne stet, timendum, non ne nimium cite moveatur.

1. *Quæ impugnatæ fiunt fortiores.* Erasmi et all. librr. bona lectio, quam tamen haud multum abest Lipsius, quin postponat Græcismo : *pugnare sunt fortiores* : hoc est, simplicius contortiori.

2. *Acerrimas ergo.. sustinent.* Sensus : Ergo illas virtutes adversus paupertatem, ut illa vincatur frangaturque, adhibebimus quæ fortissimæ et tenacissimæ plus etiam capiunt incrementi et fortitudinis, dum dimicant et impugnantur; divitiis vero illas applicabimus opponemusque, ut earum minuantur pericula et facilis descensus in vitia asperetur, quæ lente et pedetentim gradiuntur, suspendentes quodammodo pedem et corpus suo pondere declive sustinentes.

XXVI. Arg. Discrimen inter divitem stultum i. e. nulla philosophia excultum, et sapientem. Sequitur admonitio ad virtutem suspiciendam.

3. *Sanguis et sudor est.* Quæ nonnisi in rebus asperis exerceri possunt : quas nonnisi sanguine, ut inter tormenta, et sudore, multo labore, ostendere et probare possumus.

4. *Habere.* Divitias.

5. *Divitiis nihil permittit.* H. e. nihil concedit; dum jus illis denegat sive in laborem et studium litterarum scientiarumque, sive in temperantiam, castimoniam, justitiamque et cæteras virtutes, sive in tempus ipsum.

6. *Divitiæ omnia.* Cf. supra ad caput XXII, 4.

7. *Meditatur.* Præparat se exercetque ad paupertatem æquo animo ferendam.

divitiis constitit. Nunquam imperator ita paci credit, ut non se præparet bello, quod etiamsi non geritur, indictum est [1]. Vos domus formosa, tanquam nec ardere nec ruere possit, insolentes vos opes [2], tanquam periculum omne transcenderint, majoresque sint quam quibus consumendis satis virium habeat fortuna [3], obstupefaciunt!
3 Otiosi divitiis luditis, nec providetis illarum periculum: sicut barbari plerumque inclusi, et ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quo illa pertineant, quæ ex longinquo struuntur, intelligunt [4]. Idem vobis evenit : marcetis in vestris rebus, nec cogitatis, quot casus undique immineant, jamque pretiosa spolia laturi. Sapienti quisquis abstulerit divitias, omnia illi sua relinquet [5] : vivit enim præsentibus lætus, futuri securus.
4 « Nihil magis, Socrates inquit, aut aliquis alius, cui idem jus adversus humana atque eadem potestas est [6], persuasi mihi, quam ne ad opiniones [7] vestras actum [8] vitæ meæ flecterem. Solita conferte undique verba [9] : non conviciari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos. »

1. *Quod..... indictum est.* Quoniam mox geri potest. Argutius hoc dictum esse, facile intelligas.

2. *Possit, insolentes vos opes.* Sic distinxi, sententia postulante. Antea: *possit insolentes, v.* At opes epitheto non bene carere possunt, deinde allocutio esse nequit, quum sequitur : *obstupefaciunt.* Conjungo itaque *opes* cum τῷ *insolentes*, i. e. magnæ.

3. *Tanquam omne periculum...... fortuna.* Quasi jam pericula omnia evaserint et citra vices ludosque Fortunæ evectæ sint, quasi majores sint, quam quæ aut aliquis subito casus rapere, aut prodigentia absorbere aut demum fortuna quoquo modo consumere et ad alios deferre possit.

4. *Sicut barbari.... intelligunt.* Apposite laudat Lipsius Julii Cæsaris Comment. B. G. II, 30, et Tacit. Annal. XII, 45.

5. *Sapienti quisquis...... relinquet.* Ad hoc spectat Prienensis Biantis vox: « Omnia mea mecum porto. » Perdiderat tamen domum, divitias et quidquid unquam habuerat.

6. *Cui idem jus..... est.* Atque Socrati.

7. *Opiniones.* Utpote falsas et improbas.

8. *Actum.* Agendi rationem. *Actus vitæ* ergo est ratio agendæ vitæ, vel quod Gallice vocamus *conduite.*

9. *Solita conferte verba.* H. e. conviciamini.

Hæc dicet ille, cui sapientia contigit; quem animus vitiorum immunis increpare alios, non quia odit, sed in remedium, jubet. Adjiciet his illa: « Existimatio me 5
vestra non meo nomine, sed vestro movet; odisse et lacessere virtutem, bonæ spei ejuratio[1] est. Nullam mihi injuriam facitis; sicut ne diis quidem hi, qui aras evertunt: sed malum propositum apparet, malumque consilium, etiam ubi nocere non potuit. Sic vestras allucina- 6
tiones[2] fero, quemadmodum Jupiter[3] optimus maximus ineptias poëtarum: quorum alius illi alas[4] imposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit, et abnoctantem, alius sævum in deos, alius iniquum in homines, alius raptorum ingenuorum corruptorem, et cognatorum quidem; alius parricidam, et regni alieni paternique expugnatorem. Quibus nihil aliud actum est, quam ut pudor hominibus peccandi demeretur, si tales deos credidissent. Sed quamquam ista me nihil lædant, vestra tamen vos moneo causa: suspicite virtutem. Credite his, 7
qui illam diu secuti, magnum quoddam ipsos, et quod in dies majus appareat, sequi clamant. Et ipsam ut deos

1. *Bonæ spei ejuratio.* Abdicatio. Val. Max. II, 7, 7. Lipsius confert ipsum Senec. de Benef. VI, 4, 2: « aversari et ejurare jus fasque... », et Festum: « ejuratio significat, non posse id, quod desideratur, præstari. »

2. *Allucinationes.* Falsa visa, dementes opiniones; hic convicia ficta.

3. *Jupiter.* Similia occurrunt de Constant. Sap. VI, 2; de Benef. VII, 7.

4. *Quorum alius illi alas*, etc. Mythologica, quæ sequuntur, notiora sunt, quam ut iis longius immoremur. Ledam convenisse fingitur in cygnum mutatus: Europam, bos factus et cornua gerens decepit: specie conjugis Amphitryonis indutus adulteravit Alcmenam. Sævus fuit in Saturnum quem exsecuit, in Vulcanum quem præcipitavit e cœlo; immo in ipsam uxorem Junonem quam catenis vinctam terram inter et cælum suspendit. Ganymedem, Trois filium, cum Jove cognati propter stirpis auctorem Dardanum (Hom. Il. xx, 215) rapuit. — *Abnoctantem.* Non h. l. ut vulgo noctem foris agentem, et ut Gallice dicimus, *découchant*, sed noctem longiorem efficiens quam esse solet. Alludit clare ad hanc noctem qua Amphitryonis ora mutuatus Jupiter Alcmenen vitiavit: quæ nox duplo, aut, ut alii volunt, triplo longior fuit quam reliquæ sunt.

et professores ejus ut antistites colite[1], et quoties mentio sacra litterarum[1] intervenerit, favete linguis[2]! » Hoc verbum non, ut plerique existimant, a favore trahitur; sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente[3].

XXVII. Quod multo magis necessarium est imperari vobis, ut, quoties aliquid ex illo proferetur oraculo, intenti et compressa voce audiatis. Quum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; quum[4] aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat[5]; quum aliquis genibus per viam repens ululat[6]; laurumque linteatus senex, et medio lucernam die præferens[7], conclamat, iratum aliquem deorum; con-

1. *Litterarum*. Librorum philosophicorum, ipsius philosophiæ.

2. *Favete linguis*. Quæ formula favorem applausumve indicandi causa; sed vulgo usurpabatur et in sacris faciendis, a sacerdote iis qui aderant, silentium, ne verba mali ominis dicerent, imperabatur, εὐφήμει· ἴσχω, εὐφημεῖτε. Postremo sensu noster hoc vocab. sacrum interpretatus est. Non hoc volo, ut faveatis bonis, sed ut de iis sileatis. Sic bene exponit Lips.

3. *Hoc..... obstrepente*. Fuerunt, qui pro supposito totam hanc ῥῆσιν haberent, exemp. c. Joseph. Castalio (Obss. in Critic. Lugd. 1608, p. 118 sq.). Immerito. Nec Lipsii conjecturæ: *ad favorem trahitur*, sive etiam *trahit* accedo. Senecæ mens est, hoc verbum non a favore sacris præstando deducendum esse, sed a favore qui linguæ præbeatur, quippe quam ne dii malo quo afficiant infausta proferentem metuendum sit: ideoque ad silentium hoc verbum refert noster. Sic Græci: Σίγα πᾶς ἴσχω λεώς, quod sæpe ap. Aristophanem occurrit.

XXVII. Arg. Alloquium Socratis in calumniatores veritatis et virtutum.

4. *Quum*, etc. Vides hic superstitionum et fanatismi genera quædam commemorari, iis quæ vel nostro tempore passim spectantur, potissimum in occidentalibus Europæ regionibus, haud dissimilia.

5. *Quum sistrum...... cruentat......* Ad Isidis sacerdotes et Gallos Cybeles s. matris Deum antistites et Bellonarios spectat, qui ex Ægypto et Phrygia hæc sacra enthusiastica (cf. Heynii Commentat. de Religionum et sacrorum cum furore peract. origg. et causs. T. VIII, Commentatt. Soc. reg. Scientt. Gotting.) Romam attulere. *Sistrum*, crepitaculum æneum (hinc *æra* dicuntur a Tibull. I, 3, 24.) Isidis sacerdotibus proprium, quo ad divinationes usi esse videntur.

6. *Quum..... ululat*. Fanatico furore actus ad deos placandos (Tibull. I, 2, 85, ib. Heyne).

7. *Laurumque....præferens*. Et hic

curritis et auditis, et divinum [1] esse eum, invicem mu-
tuum alentes stuporem, affirmatis. Ecce [2] Socrates [3] ex illo 2
carcere, quem intrando purgavit, omnique honestiorem curia reddidit! Proclamat: « Quis iste furor? quæ ista » inimica diis hominibusque natura est? infamare vir» tutes, et malignis sermonibus sancta violare? Si po» testis, bonos laudate: si minus, transite. Quod si vobis » exercere tetram istam licentiam placet, alter in alte» rum incursitate; nam quum in cælum insanitis, non » dico sacrilegium facitis, sed operam perditis. Præbui » ego aliquando Aristophani [4] materiam jocorum: tota

ad fanaticos pertinebat, ægyptiorum sacerdotum ritu indutus linteo: laurus et lucerna, illa vaticinii s. enthusiasmi, hæc lustrationis signum.

1. *Divinum.* Instinctum divino numine. Sic Virgil. Eclog. V, 45 et X, 17, *divine poeta.*

2. *Ecce Socrates ex illo..... reddidit! Proclamat*, etc. Hac distinctione Senecam a crimine negligentiæ liberavimus. Antea: *Ecce..... reddidit, proclamat*, etc. Omitto ineptas conjecturas, eo nomine cusas, ut, quæ ad Socratem vivum spectare non poterant, ad Senecam ipsum referrentur. Vid. not. infra.

3. *Socrates.* Quæ hic Socratem inducit noster loquentem, sunt haud dubie præclara et eo digna. Difficultas tamen haud exigua existit ex eo, quod §. 5, anachronismi occurrunt, omnem orationis probabilitatem funditus evertentes. Proinde fuere, qui ea ad Senecam, tamquam sua persona loquentem retulerint: quamquam omnia hæc continuo filo cohærent, nec a Seneca satis decore dici possunt: « O vos.... contigerit, » et cap. 28: « At ego ex alto prospiciens, etc, » quæ adeo cap. 24, §. 4, aperte adversantur. Hactenus bene refutat Lipsius istam opinionem. At quum ipse ad prosopopæiam doctius quam aptius confugit, nullam loco, ut ipse innuit, conclamato opem attulit. Quare tandem a calumniis, quas Athenæus (Dipnosophist. V, 16 sqq. p. 325, ed. Schæffer.) in Platonem aliosque philosophos effundit, (πάντ' οὖν ψεύδονται οἱ φιλόσοφοι, ait, καὶ πολλὰ παρὰ τοὺς χρόνους γράφοντες οὐκ αἰσθάνονται) excusationem petivit. Enimvero his argutiis recte carebimus: saniore enim interpunctione instituta (ut sup. nota admonuimus locus) facilis est ad expediendum, modo non illud: *ex illo carcere* ad τὸ *proclamat* referatur. « Ad istam procacitatem vestram, ait Seneca, reprimendam adducam vobis hominem, qui multa sublimia et dixit et magno animo executus est. Ecce Socrates nunc vobis adest ex illo carcere! Proclamat etc. » Jam vero omnes anachronismi, prosopopæiæ et excusationes evanescunt. Ex alto enim Socrates prospicit, retundens procaces illos sapientiæ contemtores.

4. *Præbui...... aliquando Aristophani* etc. Cf. Xenoph. Sympos. VI, 6 sqq. Œconom. II, 3. Inprimis ab

» illa mimicorum [1] poëtarum manus [2] in me venenatos
3 » sales suos effudit [3]. Illustrata est virtus mea, per ea
» ipsa, per quæ petebatur; produci enim illi et tentari
» expedit; nec ulli magis intelligunt quanta sit, quam
» qui vires ejus lacessendo senserunt. Duritia silicis nulli
» magis, quam ferientibus, nota est. Præbeo me non
» aliter, quam rupes aliqua in vadoso mari destituta,
» quam fluctus non desinunt, undecunque moti sunt, ver-
» berare: nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates
4 » crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impe-
» tum: ferendo vos vincam. In ea, quæ firma et insu-
» perabilia sunt, quidquid incurrit, malo suo vim suam
» exercet [4]. Proinde quærite aliquam mollem cedentem-
» que materiam, in quam tela vestra figantur. Vobis au-
» tem vacat aliena scrutari mala, et sententias ferre de
» quoquam? Quare hic philosophus laxius habitat, quare
5 » hic lautius cœnat? Papulas observatis alienas, ipsi ob-

Aristophane, in Comœdia, Nubes (Νεφέλαι) inscripta, Eupoli et Amipsia, exagitatum constat Socratem. cf. Schol. ad Aristoph. Nub. 96, 129. Fabricii Bibl. Græc. Vol. II, p. 363, 445, 409. Menag. ad Diog. Laert. II, 28. Causæ vero hujus irrisionis continebantur eo, quod Socrates juvenis Sophistarum, quos potissimum exagitandos sibi sumerent Comici, scholas frequentaret, et postea Euripidis, quicum Comici itidem depugnarunt, amicus esset. Egregie causas hasce, primus, nisi fallor, exposuit Tychsen, Profess. Gotting. (*Bibliothek der alten Literatur u. Kunst. St.* I, p 41 sqq.).

1 *Mimicorum*. I. comicorum.

2. *Tota illa....... manus.* « Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetæ, Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est. » Horat. lib. I. Satyr. IV, vss. 1 et 2.

3. *Venenatos sales..... effudit.* Nil enim illis sacrum aut intactum fuit, et quisquis in republica ingenio plurimum, dignitate, virtute, divitiis, valebat, ut qui ridiculo aut vitiis famosus, mimicæ licentiæ ludibrium erat. Boileau, Art poét. III,

Aux accès insolens d'une bouffonne joie,
La sagesse, l'honneur, l'esprit, furent en proie.

Et ipse Horat. Art. poetic. vs. 282, sq. « Sed in vitium libertas excidit et vim Dignam lege regi; lex est accepta, chorusque Turpiter obticuit, sublato jure nocendi. »

4. *In ea quæ firma..... exercet.* Respicit iterum ad fab. modo laudatam de *Vipera et Lima*. Cæterum laxe sumpta sententia, non vera est. Nam « Gutta cavat lapidem. »

» siti plurimis ulceribus[1]: Hoc tale est, quale si quis pul-
» cherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat,
» quem fœda scabies depascitur. Objicite Platoni [2] quod 6
» petierit pecuniam : Aristoteli [3] quod acceperit; Demo-
» crito [4], quod neglexerit; Epicuro [5], quod consumserit;
» mihi ipsi Alcibiadem et Phædrum objectate [6]. O vos
» usu [7] maxime felices, quum primum vobis imitari vitia
» nostra contigerit! Quin potius mala vestra circumspici-
» tis, quæ vos ab omni parte confodiunt, alia grassantia
» extrinsecus, alia in visceribus ipsis ardentia? Non eo
» loco res humanæ sunt, etiamsi statum vestrum parum
» nostis, ut vobis tantum otii supersit, ut in probra me-
» liorum agitare linguam vacet [8].

» XXVIII. Hoc vos non intelligitis, et alienum fortunæ » vestræ vultum geritis : sicut plurimi quibus in circo » aut in theatro desidentibus, jam funesta domus [9] est,

1. *Papulas....... ulceribus.* Hanc eamdem sententiam a multis jam expressam fuisse satis notum est, suntque percelebrata et sancti Evangelii et poetæ Horatii loca huic maxime similia.

2. *Platoni.* Dum navigat in Siciliam, ad Dionysium et Dionem. Lipsius. Diog. Laert. III, 3, quædam habet, quæ huc referas.

3. *Aristoteli........ acceperit.* Ab Alexandro M. cujus primum præceptor, postea amicus fuit.

4. *Democrito .... neglexerit.* Cf. ad VI de Provident. §. 1.

5. *Epicuro..... consumserit.* Diog. Laert. X, 7.

6. *Mihi ipsi Alcibiadem et Phædrum objectate.* Nescio quo animo id cavillationum genus Socrati Annæus attribuat, quasi levissima res omnium et simplicissima fuerit, Alcibiadem et Phædrum vitiavisse. Quod ut argumentis firmis non probatum, ita tamen si probaretur inureret philosopho sapientissimo turpissimam labem. Quanquam et Socratis temporibus et qua ætate Noster scribebat, infame id vitii genus ita pervulgatum usu esset, ut quavis jam libidinandi forma non pejus haberetur et amasios tunc omnes ut amicos profiterentur.

7. *Usu.* Lipsius et Gronovius hic adhæserunt. Ille emendat: *O vos isti:* hic, *O vos tum maxime felices!* Nam *usu* i. e experiendo, hic parum aptum est. Fortasse eam ob causam totum hoc ejecerat Muretus. Sed *usu* est hic, ut sæpius, idem quod eo casu, si hoc fieret, tum.... etc.

8. *Ut in probra meliorum..... vacet.* Ut sit vobis ad exerendam linguam et evomendas contumelias in eos qui meliores vobis sunt.

XXVIII. Arg. Continuatio.

9. *Jam funesta domus est.* Luctus

» nec annuntiatum malum. At ego ex alto prospiciens, » video quæ tempestates aut immineant vobis, paulo tar- » dius rupturæ nimbum suum[1], aut jam vicinæ vos ac » vestra rapturæ, propius accesserint. Quid porro? nonne » nunc quoque (etiamsi parum sentitis) turbo quidam » animos vestros rotat, et involvit, fugientes petentes- » que eadem, et nunc in sublime allevatos, nunc in in- » fima allisos rapit? **** [2] »

est intra domum, aut funerata uxore aliquove e pignoribus, aut exardescente incendio, etc.

1. *Rupturæ nimbum suum*. E nimbis exsiliunt, quos videntur vi magna rumpere, imbres, grando, fulmina, etc.

2. Hic esse lacunam, haud parvam, patet. Hinc signa lacunæ apponi jussimus. Lipsio præeunte, opusculum de Otio aut Secessu Sapientis, quod vulgo huic subjungitur, ut ejusdem libri pars ultima, sejunximus, quippe a toto argumento omnino alienum. (Vide illius libri argumentum.)

CLARISSIMI VIRI *D. DIDEROT*

TESTIMONIUM

AD L. ANNÆI SENECÆ LIBRUM

DE VITA BEATA.

POINT de bonheur sans la vertu. Sénèque adresse ce petit Traité, qu'on peut regarder comme son apologie et la satire des faux Épicuriens, à Gallion son frère :

« O Gallion, mon frère, tous les hommes veulent être heu» reux, mais tous sont aveugles lorsqu'il s'agit d'examiner en » quoi consiste le bonheur ! »

Notre philosophe avait rencontré la vraie base de la morale. A parler rigoureusement, il n'y a qu'un devoir, c'est d'être heureux ; il n'y a qu'une vertu, c'est la justice.

Avant que d'entrer dans quelques détails sur cet écrit qu'on peut analyser en peu de mots, il faut que je jette un coup-d'œil sur la morale des anciens, et sur les progrès successifs de cette science importante.

Tout ce qu'elle a de plus élevé, de plus profond, les anciens l'avaient dit, mais sans liaison. Ce n'était point le résultat de la méditation, qui pose des principes et qui en tire des conséquences ; c'étaient les élans isolés et brusques d'ames fortes et grandes.

Qui est-ce qui inspirait à l'Iroquois de se précipiter au milieu des flots en courroux, pour ravir à la mort des Européens naufragés sur ses côtes, et près de périr. Lorsque ces malheureux sont prosternés tremblans aux genoux de leurs ennemis, qui est-ce qui fait dire au chef des sauvages : « Relevez-vous, ne craignez rien. Tout-à-l'heure vous étiez des hommes malheureux, et

nous vous avons secourus; demain vous serez nos ennemis, et nous vous égorgerons. »

Le fait que je vais raconter, je le tiens d'un missionnaire de Cayenne, témoin oculaire. Plusieurs nègres marrons avaient été pris, et il n'y avait pas de bourreaux pour les exécuter. On promit la vie à celui d'entre eux qui consentirait à supplicier ses camarades, c'est-à-dire, au plus méchant. Aucun n'acceptant la proposition, un colon ordonne à un de ses nègres de les pendre, sous peine d'être pendu lui-même. Ce nègre demande à passer un moment dans sa cabane, comme pour se préparer à obéir à l'ordre qu'il a reçu : là, il saisit une hache, s'abat le poignet, reparaît, et présentant à son maître un bras mutilé dont le sang ruisselait : A présent, lui dit-il, fais-moi pendre mes camarades.

Voilà donc un homme sans éducation, sans principes, réduit par son état à la condition de la brute, qui s'abat un poignet plutôt que de s'avilir. N'oublions jamais que le serviteur peut valoir mieux que son maître.

Qui est-ce qui a placé un sentiment aussi héroïque dans l'ame de celui-là? Est-ce l'étude? est-ce la réflexion? est-ce la connaissance approfondie des devoirs? Nullement. Dans les premiers tems, les hommes qui se sont distingués par les actions les plus surprenantes étaient asservis aux plus grossiers préjugés. Le rêve d'une vieille femme avait peut-être mis les armes à la main du brave Iroquois qu'on vient d'entendre parler si fièrement à ses ennemis. Un autre chef leur eût peut-être impitoyablement cassé la tête.

Il n'y a pas de science plus évidente et plus simple que la morale pour l'ignorant; il n'y en a pas de plus épineuse et de plus obscure pour le savant. C'est peut-être la seule où l'on ait tiré les corollaires les plus vrais, les plus éloignés et les plus hardis, avant que d'avoir posé des principes. Pourquoi cela? C'est qu'il y a des héros long-tems avant qu'il y ait des raisonneurs. C'est le loisir qui fait les uns, c'est la circonstance qui fait les autres : le raisonneur se forme dans les écoles, qui s'ouvrent tard; le héros naît dans les périls, qui sont de tous les tems. La morale est en action dans ceux-ci, comme elle est en maximes dans les poètes : la maxime est sortie de la tête du poète, comme Minerve

de la tête de Jupiter..... Souvent il faudrait un long discours au philosophe pour démontrer ce que l'homme du peuple a subitement senti.

Qu'est-ce que le bonheur?.... Ce n'est pas une question à résoudre au jugement de la multitude.

« Lorsqu'il s'agira du bonheur, ne me dites pas, comme si » vous aviez recueilli les opinions au sénat, voilà l'avis du plus » grand nombre. »

Qu'est-ce que la multitude? — Un troupeau d'esclaves. Pour être heureux, il faut être libre : le bonheur n'est pas fait pour celui qui a d'autres maîtres que son devoir. — Mais le devoir n'est-il pas impérieux? et s'il faut que je serve, qu'importe sous quel maître? — Il importe beaucoup : le devoir est un maître dont on ne saurait s'affranchir sans tomber dans le malheur; c'est avec la chaîne du devoir qu'on brise toutes les autres.

Le stoïcisme n'est autre chose qu'un traité de la liberté prise dans toute son étendue.

Si cette doctrine, qui a tant de points communs avec le culte religieux, s'était propagée comme les autres superstitions, il y a long-tems qu'il n'y aurait plus ni esclaves ni tyrans sur la terre.

Mais qu'est-ce que le bonheur, au jugement du philosophe?... C'est la conformité habituelle des pensées et des actions aux lois de la nature.

Et qu'est-ce que la nature? qu'est-ce que ses lois? Il n'aurait pas été mal de s'expliquer sur ces deux points : car il est évident que la nature nous porte avec violence, et nous éloigne avec horreur d'objets que le stoïcien exclut de la notion du bonheur.

Mais Sénèque écrivait à Gallion, homme instruit, que les définitions que l'on exige ici auraient ramené aux premiers élémens de la philosophie.

L'homme heureux du stoïcien est celui qui ne connaît d'autre bien que la vertu, d'autre mal que le vice; qui n'est abattu ni enorgueilli par les événemens; qui dédaigne tout ce qu'il n'est ni le maître de se procurer, ni le maître de garder, et pour qui le mépris des voluptés est la volupté même.

Voilà peut-être l'homme parfait; mais l'homme parfait est-il l'homme de la nature?

« Quand on est inaccessible à la volupté, on l'est à la douleur..... » Voilà un de ces corollaires de la doctrine stoïcienne auquel on n'arrive que par une longue chaîne de sophismes. Une statue qui aurait la conscience de son existence serait presque le sage et l'homme heureux de Zénon..... « Il faut vivre selon la nature..... » Mais la nature, dont la main bienfaisante et prodigue a répandu tant de biens autour de notre berceau, nous en interdit-elle la jouissance? Le stoïcien se refuse-t-il à la délicatesse des mets, à la saveur des fruits, à l'ambroisie des vins, au parfum des fleurs, aux caresses de la femme?... « Non; » mais il n'en est pas l'esclave..... » Ni l'épicurien non plus. Si vous interrogez celui-ci, il vous dira qu'entre toutes les voluptés, la plus douce est celle qui naît de la vertu. Il ne serait pas difficile de concilier ces deux écoles sur la morale. La vertu d'Épicure est celle d'un homme du monde; et celle de Zénon, d'un anachorète. La vertu d'Épicure est un peu trop confiante peut-être; celle de Zénon est certainement trop ombrageuse. Le disciple d'Épicure risque d'être séduit; celui de Zénon, de se décourager. Le premier a sans cesse la lance en arrêt contre la volupté; le second vit sous la même tente, et badine avec elle.

Il me semble que, dans la nature, le corps est le tyran de l'ame, par les passions effrénées et les besoins sans cesse renaissans, et qu'au contraire, dans l'état de société, il n'en est ni l'esclave ni le tyran : ce sont deux associés qui se commandent et s'obéissent alternativement; quand j'ai mangé, je médite; et quand j'ai médité, il faut que je mange.

La philosophie stoïcienne est une espèce de théologie pleine de subtilités; et je ne connais pas de doctrine plus éloignée de la nature que celle de Zénon.

La recherche du vrai bonheur conduit Sénèque à l'examen de la volupté d'Épicure; et voici comment il s'en explique : « Pour moi, dit-il, je pense, et j'ose l'avouer contre l'opinion » de nos stoïciens, que la morale de ce philosophe est saine, et » même austère pour celui qui l'approfondit : sa volupté est renfermée dans les limites les plus étroites. La loi que nous pres-

» crivons à la vertu ; il l'impose à la volupté ; il veut qu'elle soit » subordonnée à la nature ; et ce qui suffit à la nature est bien » mince pour la débauche. Ceux qui se pressent en foule à la porte » de ses jardins, ne savent pas combien la volupté qu'on y pro- » fesse est tempérante et sobre ; ils y sont attirés par l'espoir » d'y trouver l'apologie de leurs vices : ces faux disciples avaient » besoin d'une autorité respectable, et ils ont calomnié le maître » dont ils ont emprunté le manteau. »

« Épicure fut un héros déguisé en femme. »

La volupté naît à côté de la vertu, comme le pavot au pied de l'épi ; mais ce n'est point pour la fleur narcotique qu'on a labouré.

Il paraît que le mot *volupté*, mal entendu, rendit Épicure odieux, ainsi que le mot *intérêt*, aussi mal entendu, excita le murmure des hypocrites et des ignorans contre un philosophe moderne.

Des efféminés, des lâches corrompus, pour échapper à l'ignominie qu'ils méritaient par la dépravation de leurs mœurs, se dirent sectateurs de la volupté, et le furent en effet, mais c'était de la leur, et non de celle d'Épicure. Pareillement des gens qui n'avaient jamais attaché au mot *intérêt* d'autre idée que celle de l'or et de l'argent, se révoltèrent contre une doctrine qui donnait l'intérêt pour le mobile de toutes nos actions : tant il est dangereux en philosophie de s'écarter du sens usuel et populaire des mots ?

De l'apologie de l'épicuréisme, Sénèque passe à l'apologie de la philosophie en général. Combien j'ai été satisfait, en lisant les chapitres XVII et XVIII, d'y trouver les mêmes impertinences adressées à Sénèque et par les mêmes personnages, que de nos jours ! On lui disait comme à nos sages :

« Vous parlez d'une façon, et vous vivez d'une autre. »

« Ames perverses, répond-il, sachez que les Platon, les Épi- » cure, les Zénon entendirent autrefois le même reproche. Ce » n'est pas de nous que nous parlons, c'est de la vertu. Quand » nous faisons le procès aux vices, nous commençons par les » nôtres : quand je le pourrai, je vivrai comme je dois. Et le » moyen de ne pas paraître trop riche à des gens qui n'ont pas » trouvé que Démétrius fût assez pauvre ? »

« Lorsque vous parlez de nos mœurs, ou vous les connaissez,
» ou vous ne les connaissez pas. Si vous ne les connaissez pas,
» taisez-vous, et ne vous exposez pas au nom d'infames calom-
» niateurs; si vous les connaissez, citez nos mauvaises actions. »

« Nous ne nous sommes rien prescrit aussi fortement que
» de ne pas régler notre conduite sur vos opinions. Continuez
» vos injurieux propos : ce sont pour nous les vagissemens d'en-
» fans qui souffrent. »

Voici comment on attaquait autrefois le stoïcien Sénèque, et la manière dont il se défendait.

« Si donc un de ces détracteurs de la philosophie vient me
» dire, comme ils disent tous : Pourquoi votre conduite ne
» répond-elle pas à vos discours? pourquoi ce ton soumis avec vos
» supérieurs? pourquoi regarder l'argent comme une chose né-
» cessaire, et sa perte comme un malheur? pourquoi ces larmes,
» lorsqu'on vous annonce la mort de votre femme ou de votre
» ami? qu'est-ce que cet intérêt si délicat sur l'article de votre
» réputation? cette sensibilité si exquise à la piqûre la plus lé-
» gère de la satire? pourquoi vos terres sont-elles plus culti-
» vées que les besoins naturels ne l'exigent? pourquoi ces pré-
» ceptes austères de frugalité à des tables somptueusement
» servies? pourquoi ces meubles recherchés, ces vins plus vieux
» que vous? ces projets qui se succèdent sans fin? ces arbres qui
» ne rendent que de l'ombre? pourquoi votre femme porte-t-elle
» à ses oreilles la fortune d'une famille opulente? que signifient
» ces étoffes précieuses dont vos esclaves sont couverts? pour-
» quoi le service est-il un art dans vos salles à manger? à quoi
» bon ces vaisseaux d'argent? pourquoi sont-ils si curieusement
» arrangés? et ces maîtres dans l'art de découper les viandes,
» quelle figure font-ils autour d'un philosophe? Ajoutez, si vous
» voulez, pourquoi ces possessions au-delà des mers? ces biens
» immenses dont vous n'avez pas même l'état? N'est-il pas éga-
» lement honteux de ne pas connaître vos esclaves, si vous en
» avez peu, ou d'en avoir un si grand nombre que votre mé-
» moire n'y suffise pas?..... Sont-ce là tous vos reproches? Je
» vais vous aider, et vous en fournir auxquels vous ne pensez
» pas. Pourquoi? pourquoi? Écoutez, et retenez bien ma ré-

» ponse. C'est que je ne suis pas un sage ; et, pour ménager » de l'aliment à votre malignité, c'est que je ne le serai ja- » mais. L'épicurien Diodore vient de se tuer : c'est un insensé, » disent les uns ; les autres, c'est un téméraire. Vous attaquez la » vie du stoïcien, et la mort de l'épicurien : il est donc bien in- » téressant pour vous qu'on ne croie pas aux gens de bien ! Si les » partisans de la vertu sont vicieux, qu'êtes-vous donc ? S'ils ne » conforment pas leur conduite à leurs leçons, c'est qu'elles sont » sublimes, ces leçons ; c'est que la pratique en est difficile. Et ces » sublimes leçons, dites-vous, quelles sont-elles ? Les voici. Je » verrai la mort avec autant de fermeté que j'en entends parler. » Je me résoudrai aux travaux, quelque durs qu'ils soient. Je » mépriserai la richesse absente comme présente ; ni plus triste, » pour la savoir ailleurs, ni plus vain, pour l'avoir chez moi. » Que la fortune vienne à moi, ou qu'elle me quitte, je ne m'en » douterai pas. Les terres d'autrui me seront comme si elles » m'appartenaient, et les miennes comme si elles appartenaient » à autrui. Né pour tous les hommes, tous les hommes seront » nés pour moi. Mes biens, je ne les posséderai point en avare, » je ne les dissiperai point en prodigue : je jugerai de mes bien- » faits sur le mérite de celui qui les aura reçus ; s'il en est digne, » je ne croirai pas avoir beaucoup fait. Ma conscience, et non » votre opinion, sera la règle de ma vie ; mon propre témoignage » prévaudra auprès de moi sur celui de tout un peuple. Je me » rendrai agréable à mes amis ; je serai indulgent pour mes en- » nemis ; j'irai au devant des demandes honnêtes ; je saurai que » l'univers est ma patrie ; je vivrai, je mourrai sans crainte, parce » que j'aurai toujours chéri la vertu, et que je n'aurai nui à la » liberté de personne, ni à la mienne. O vous, qui haïssez la » vertu et ses adorateurs, mordez, déchirez, continuez d'ou- » trager les gens de bien ; mais sachez du moins qu'au tems où » Caton louait les Curius, les Coruncanus, et qu'au siècle où » la possession de quelques lames d'argent exposait à la répri- » mande du censeur, lui, Caton, jouissait de quatre cent mille » sesterces ; sachez que s'il lui fût survenu une plus grande for- » tune, il ne l'aurait pas rejetée. Où le sort peut-il mieux pla- » cer la richesse que chez un dépositaire qui saura l'employer

» avec jugement, et la lui restituer sans plainte? La richesse » m'appartient, et vous lui appartenez : le sage ne l'a pas dé- » robée ; elle n'est point souillée de sang ; elle n'est ni le fruit » de l'extorsion, ni le produit d'un gain sordide ; elle sortira de » chez lui d'une manière aussi innocente qu'elle y est entrée. Il » n'y aura que l'envie, qui souffrait lorsqu'elle la vit arriver, » qui pourra sourire quand elle la verra s'en aller. Il donnera... » Vous ouvrez les oreilles, vous tendez la main ! mais il ne » donne qu'aux gens de bien. »

Tout ce qui précède, tout ce que j'omets, tout ce qui suit est très beau. Quand on cite Sénèque, on ne sait ni où commencer, ni où s'arrêter. Les philosophes modernes pourraient dire à leurs détracteurs ce que le sage de Sénèque disait aux siens : « Ne vous permettez pas de juger ceux qui valent mieux que » vous ; nous possédons déjà un des premiers avantages de la » vertu : c'est de déplaire aux méchans. Soyez moins empressés » de surprendre nos défauts, et regardez aux vôtres, dont les » uns éclatent, les autres sont cachés dans vos entrailles qu'ils » dévorent. En attendant, les exemples, les exhortations ne » sont pas à mépriser : laissez-nous donc prêcher la vertu ; peut- » être un jour ferons-nous mieux. »

Il serait à souhaiter que les philosophes modernes, sourds aux cris de l'envie, et connaissant mieux le prix et la douceur du repos, suivissent l'exemple du sage Fontenelle ; se fissent, comme lui, un système de bonheur indépendant des opinions et des jugemens du vulgaire, et se dissent froidement : « Je n'ai » jamais lu aucun des ouvrages de mes ennemis ; je n'ai ni » le droit de les mépriser, parce que j'ignore s'ils ont du » talent ou s'ils en manquent, ni celui de les haïr, puisqu'ils ne » m'ont pas fait le moindre mal, puisqu'ils ne m'ont pas donné » un instant d'humeur pendant le jour, ni un quart-d'heure d'in- » somnie pendant la nuit. Où en serions-nous, si les hommes » pervers pouvaient rendre faux ce qui est vrai, mauvais ce qui » est bon, laid ce qui est beau? Le vrai, le bon et le beau, for- » ment à mes yeux un groupe de trois grandes figures, autour » desquelles la méchanceté peut élever un tourbillon de pous- » sière qui les dérobe un moment aux regards des gens de bien ;

» mais le moment qui suit, le nuage disparaît, et elles se mon-
» trent aussi vénérables que jamais. Si j'ai raison, il est inutile
» que je me défende ; si j'ai tort, ma défense ne me donnera pas
» raison. Je me suis fait un oreiller sur lequel il est difficile de
» troubler mon repos : et qui est-ce qui sait mieux que moi ce
» qu'il faut que je me dise et ce qu'il faudrait que je fisse pour
» me rendre meilleur ? »

FINIS LIBRI DE VITA BEATA.